NOTATIONES
IN PRIMAM ET SECUNDAM DECADEM
PSALMORUM

AUCTORE CAESARE MALANIMA

IN PISANO ATHENAEO PUB. PROF.

ET

BIBLIOTHECAE CURATORE

PISIS

APUD NICOLAUM CAPURRO

MDCCCXVIII.

HUMANO LECTORI

Si tibi has meas lucubrationes haud omnino displicuisse persentiscam, scito, adhuc nonnullas in promptu esse, quas vel crastina die publici juris faciam: sin minus, eadem commiseratione, qua in alios, in me etiam precor utaris; et ego vicissim parcam fastidio. Vale.

PSALMUS I.

ARGUMENTUM

In hoc priori Psalmo, qui est veluti prologus totius Psalterii, traditur ratio consequendi felicitatem in hac et in altera vita; simulque edicuntur fata contrariam sequentium.

V. 1. Beatitates viri, qui non ivit in consilio improborum et in via peccatorum non stetit: et in consessu derisorum non sedit.
2. Sed in Lege Domini voluntas ejus et in Lege Ejus meditabitur interdiu et noctu.
3. Et erit, ut arbor plantata secus rivos aquarum, quae fructum suum dabit in tempore suo et folium ejus non flaccescet: et omne quod faciet prosperabit.
4. Non sic improbi: sed ut gluma, quam dispellit eam ventus.
5. Ideo non subsistent improbi in judicio: et peccatores in congregatione justorum.
6. Nam sciens Dominus viam justorum: et via improborum peribit.

COMMENTARIUS

V. 1. *Beatitates viri*, beatus ille: dictione hac אשרי, collatis duabus radicibus ישר et אשר, propriè significantur *recti incessus*, *felices progressus*, et *prosperi successus*.

qui non ivit in consilio improborum, et in via peccatorum non stetit, in hoc orationis membro videor

videre speciem quandam hypallages, pro *qui non stetit in consilio improborum, et in via peccatorum non ivit*, h. e. qui neque cum improbis stetit, quum prava consilia vel inirent, vel exequutioni mandarent, neque peccatorum vestigia sequutus est. Rationem hujusce sententiae dat Theognis in *Sentent. ad Cyrnum v.* 1171.

Ἐκ κακῆς ἑταιρείης κακὰ γίγνεται.

Ex malo consortio mala fiunt.

et antea præceperat *v.* 1167.

Τοῖς ἀγαθοῖς σύμμισγε· κακοῖσι δὲ μήποθ' ὁμάρτει.

Bonis conversare: malos verò numquam sequere.

רשעים, *improbi*, ex primigenia potestate radicis רשע *turbido motu jactatus fuit*, dicuntur ii, *qui turbido affectuum aestu, pravorumque studiorum impetu jactantur*; et activè *qui alios jactant:* ad hanc verbi potestatem respicit Jesaias *cap.* 57. *v.* 20. inquiens, והרשעים *Et improbi sunt ut mare jactatum*. Hoc sensu a Latinis usurpatur vocabulum *impotens*, quo notatur *is, qui in sua potestate non est, qui affectus suos regere non valet, sed ab iis vincitur, et aufertur:* talis a Vellejo Paterculo *Lib.* 2. *cap.* 11. pingitur C. Marius, *immodicus gloriae, insatiabilis, impotens, semperque inquietus;* et ab Horatio Cleopatra *Lib.* 1. *Od.* 37. *v.* 10. דרך *via*, hic est *agendi modus, vitae genus, institutum*. Adi Senecam de *Vita beata cap.* 1. חטאים, ἁμαρτωλοί, *peccatores*, dicuntur ii, *qui habitu ex repetitis malis actionibus acquisito delinquunt*, ut Catilina apud Ciceronem, *scelerum exercitatione assuefactus*. *Orat.* 2. *cap.* 5.

et in consessu derisorum non sedit, thema לוץ Wellero apud Simonis in *Lexico* est *verba inflectere, invertere, convertere, mutare*, quæ significatio pulchrè aptatur *interpreti*, et *derisori:* nam ille verba alterius in aliam linguam *mutat*, et cum aliis *com-*

mutat; hic autem alterius verba sic *invertit* et *mutat*, ut eum risui exponat. Hujusmodi homines notat Horatius *Lib.* 1. *Sat.* 4. *v.* 82. *seqq.*

solutos
Qui captat risus hominum famamque dicacis,
. . . .
. . . *hic niger est, hunc tu Romone caveto.*

Istic Pocta, ut Lambinus putat, respicit ad symbolum illud Pythagoreum, quod monet μὴ γεύεσθαι τῶν μελανούρων, i. e. *non gustare de iis, quibus nigra est cauda*, quo vetabat Pythagoras συνδιατρίβειν μέλασιν ἀνθρώποις διὰ κακοήθειαν, *versari cum hominibus, qui nigri essent morum improbitate*, ita declarante Plutarcho de *Liber. educand. pag.* 12. *D.* Conciliabula hujusmodi male feriatorum hominum et otiosorum et olim esse consueverunt in tonstrinis, in myropoliis, seu tabernis unguentariis, et in medicinis, seu medicorum officinis, uti tradit Theophrastus in *Notation. morum cap.* 8. ubi vide Casaubonum; nec non Aelianus *Lib.* 3. *V. H. cap.* 7. ubi vide Perizonium. In hanc rem alibi legimus: *Non sedi cum hominibus vanitatis: et cum occultantibus se* propter infamiae notas, quibus erant affecti, *non introibo,* commercium non colam. *Ps.* 26. *v.* 4. *Sedebas in fratrem tuum loquebaris: in filium matris tuae dabas probrum. Ps.* 50. *v.* 20. *Confabulabantur in me sedentes portae: et* eram *cantiones bibentium siceram. Ps.* 69. v. 13.

V. 2. *Sed in Lege Domini voluntas ejus,* תורה est *institutio* quævis et *doctrina*, et per excellentiam *Lex* divina: חפץ est *voluntas, desiderium, oblectatio,* sine qua Lex non operatur virtutem, quae praedicatur *Ps.* 19. *v.* 8. cui declarationi accommodari possunt Ciceronis verba, *Orat. in Pison. cap.* 20. *pr. His ego rebus pascor, his delector, his perfruor.*

Ait *pascor*, quod est necessitatis: *delector*, quod est jucunditatis: *perfruor*, quod est felicitatis: quibus in rebus consistunt *Beatitates viri*. *v.* 1.

et in Lege Ejus (Domini) יהגה *meditabitur*, vel *leget*, *interdiu et noctu*, sic Dominus ad Jehosuam, *Non recedet Liber Legis hic de ore tuo*, והגית *sed meditaberis*, vel *leges*, *in eo interdiu et noctu*, *ut custodias facere juxta omne quod scriptum est in eo: quia tunc prosperabis viam tuam, et tunc prudenter ages*. *Cap.* 1. *v.* 8. Voces *interdiu* et *noctu*, quatenus verbum הגה *lectionem* notat, accipiendae sunt de statis diei et noctis temporibus pro publicis et privatis lectionibus et precationibus, de quibus adi Rhenferdium *Dissert. I. de decem Otiosis Synag.* §. 39. *seqq.* unde ratio Horarum Canonicarum. Pro significandis his actibus religiosis plus una vice legitur in Al-Korano, *Qui stare faciunt orationem*. *Sur.* 2. *v.* 2. qua loquutione, notante Marraccio, notatur observantia quinque orationum, seu precum, quas quinque statis temporibus, partim diei, partim noctis, Mohammedani persolvunt. Vide Relandum de *Relig. Moham. Lib.* 1. *cap.* 9. Quatenus verò *meditationem* consignat, hanc homo peraget per omnia ea temporis momenta, quibus humanae sinunt necessitates. Caeterùm ex quo homo crebra reiteratione actuum eò devenit, ut divinae institutionis desiderio sponte sua, et quasi naturaliter teneatur, in ea delectetur, planeque acquiescat, licèt interdum cesset áctus, pius tamen affectus perinde ei imputatur, ac si indesinenter *legat*, et *meditetur*. Simili modo praecipit Horatius *A. P. v.* 268. *seq.*

vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, *versate diurna*.

V. 3. *Et erit* vir ille, *ut arbor plantata secus rivos aquarum etc.* Clericus propter verba, *et folium*

ejus non יבול *flaccescet*, vel *arescet*, vel *marcore-decidet*, eò magis inclinat, ut credat, hic innui omne genus plantarum semper virentium: ego verò arbitror, significari specialiter *palmam*, quae, sicuti probarunt Bochartus *Hieroz. Part. II. Lib.* 6. *cap.* 5. *col.* 820. et Mangerus ad Arabsiadem in *Vita Timur. Tom. II. pag.* 20. *not.* 26. per excellentiam dicitur *arbor*. Videmus enim oculis, et Plutarchus scribit *Sympos. Lib.* 8. *Probl.* 4. *pag.* 723. quòd etiam arbores, quae semper virescunt, ut laurus, olea, myrtus etc. non eadem semper folia servant, sed prioribus defluentibus alia suppullulant: ὁ δὲ φοίνιξ ὐδὲν ἀποβάλλων ἀφ' αὐτȣ̃ τῶν φυομένων, βεβαίως ἀείφυλλός ἐϛι. *palma autem nihil abjicens a se eorum, quae innascuntur, constanter foliis semper ornatur*. Ad arbores verò illas respicit Glaucus apud Homerum in similitudine, quæ extat *Iliad.* 6. *v.* 146 *seqq.*

Οἵηπερ φύλλων γενεὴ, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν·
Φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δέ θ' ὕλη
Τηλεθόωσα φύει, ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη.
Ὣς ἀνδρῶν γενεὴ, ἡ μὲν φύει, ἡ δ' ἀπολήγει.
Qualis foliorum generatio, talis et hominum:
Folia alia quidem ventus humi fundit, alia verò silva
Germinans producit, verisque crescunt tempore.
Sic hominum generatio, haec quidem nascitur, illa verò desinit.

Ad quae verba clarissimus Damm in *Lexico* ad vocem φύλλον haec notat: sermo autem est, non de arboribus omnino amittentibus folia sua tempore autumni, sed de semper virentibus, ex quibus tamen ventus aliqua arescentia dejicit, atque in locum eorum subnascuntur verno tempore sensim alia: sic apertè pingitur successio generis humani, quod numquam totum intercidit, sequitur tamen assiduè nova proles

in locum majorum suorum. Itaque si etiam ex arboribus semper virentibus, perenni uligine nutritis, folia defluunt, ne istis quidem, nedum aliis, quae per autumnum prorsus spoliantur, aptantur verba, *et folium ejus non flaccescet*, sed bene conveniunt *palmae*, quae, nisi corrumpatur nimia siccitate, folia sua constanter integra servat. Hanc de palma sententiam tenent in hoc loco etiam Hillerus *Hierophyt. Part. I. cap.* 4. §. 2. et Celsius *Hierobotan. Tom. II. pag.* 530. Sed rem citra omnem dubitationem ponit Auctor *Psalmi* 92. *v.* 13. ubi pariter fit justi comparatio cum palma: ***Justus ut palma virescet: ut cedrus in Libano crescet.***

quae fructum suum dabit in tempore suo, quaevis arbor, malos vel nullos proferens fructus, ad excisionem vel execrationem plerumque damnatur: sententia excisionis adversus arborem, quae malum fructum profert, extat apud Mattaehum, *Omnis arbor non faciens fructum bonum exscinditur, et in ignem abjicitur. Cap.* 3. *v.* 10. et *cap.* 17. *v.* 19. adde *Jes.* 5. *v.* 4. *seq.* Sententia excisionis adversus arborem, quae nullum fructum profert, occurrit apud Lucam, ***Ficum habebat quidam in vinea sua plantatam: et venit fructum quaerens in ea, et non invenit. Dixit autem ad vinitorem, Ecce tres annos venio quaerens fructum in ficu hac, et non invenio: exscinde eam: ut quid etiam terram otiosam facit? Cap.*** 13. *v.* 6. *seq.* Exemplum execrationis habetur apud Matthaeum: ***Conspicatus*** Jesus ***ficum quandam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea, nisi folia tantùm: et dicit ei, Ne ex te fructus nascatur in aeternum. Et exaruit illico ficus. Cap.*** 21. ***v.*** 19. Non parum negotii facessit Interpretibus Marcus, qui referens hoc ipsum ait: ***Et conspicatus ficum a longè habentem folia, venit, si forte inveni-***

ret quid in ea : et profectus ad eam, nihil invenit, nisi folia, non enim erat tempus ficuum. Et respondens Jesus dixit ei, Ne amplius ex te in aeternum quisquam fructum edat. Cap. 11. *v.* 13. *seq.* Si tum, quum ad eam accederet Jesus, non erat tempus ficuum, quî digna erat execratione arbor illa? Sic nodus solvitur: Non ob id eam execratus est Jesus, quòd maturos fructus non invenerit in ea, *non enim erat tempus ficuum*, nec is illuc accesserat certa spe inveniendi ficus maturos, prout dicitur, *si forte inveniret quid in ea*, quod scilicet, si non maturum, quodammodo tamen comestibile esset; sed execratus est eam, quia *nihil invenit, nisi folia*, idque contra indolem ejus: etenim in quibusdam locis, ut Plinius *Lib.* 16. *cap.* 26. *seg.* 49. scribit, *ei* (fico) *serius folium nascitur, quàm pomum*. Propterea, quum ne grossuli quidem inessent, postquam folia jam emiserat, nihil amplius expectandum erat ex ea. At execrationis consilium rem ponit in aprico. Divinus Magister, qui saepe per symbola et signa loquitur et docet, signo hujusce ficus habentis quidem folia multa, grossos verò nullos, spiritualem sterilitatem ac hypocrisin carpit Judaeorum, et praesertim Pharisaeorum, eisque imminens exitium praefigurat. Vide tamen prae caeteris Lightfootum et Wetstenium ad *Matth. et Marc. cc. ll.* nec non Edzardum ad *Aboda zara cap.* 1. *pag.* 285. Notandum verò est, quòd etiam res inanimatae, quae non praestant ea, quorum causa vel a natura, vel ab homine comparatae sunt, in culpa esse existimantur, et congruis punitionibus fiunt obnoxiae. Exempla dedi ad *Job.* 2. *v.* 10 et ad *Jes.* 11. *v.* 15. Additur *in tempore suo*, quia pro variis arborum speciebus varia sunt et fructuum tempora.

et omne quod faciet prosperabit, quod aqua vel

uligo est palmae, quae, teste Plinio, *gaudet riguis, totoque anno bibere amat*, *Lib.* 13. *cap.* 4. *sect.* 7. id est homini lectio, meditatio, et oblectatio in Lege Domini: per istam enim et vivacitatem et prosperitatem vitae consequitur.

V. 4. *Non sic* erunt *improbi*, hi non eodem modo vivaces erunt, neque prosperè agent, *sed* erunt *ut gluma, quam dispellit eam ventus*, h. e. momento temporis auferentur e numero viventium.

quam dispellit eam, frequens Orientalium idiotismus, pro *quam dispellit ventus*. Vide tamen Schroederum *Gramm. Hebr. pag.* 252. *pr.*

V. 5. *Ideo non subsistent improbi in judicio*, propterea quod impii dispellentur, ut gluma a vento, ideo non erunt superstites sub insequentis diei judicium: nam Deus, ut infra *Ps.* 7. *v.* 12. videbimus, quotidie judicium exercet de hominibus; quique in judicio hodiernae diei damnantur, hi, dum peragetur judicium crastinae diei, non existent amplius in vivis. Innuuntur illi, qui Prophetis dicuntur *excisi e populis suis: Genes.* 17. *v.* 14. Canonistis verò Ebraeorum dicuntur *coelitus*, vel *divinitus excisi*, nempe a Deo praerepti morte intempestiva, seu immatura. De his videndi sunt, praeter alios, Buxtorfius in *Lex. Chald. Talmud. col.* 1100 *seq.* et Lightfootus in *Hor. Hebr. et Talmud. ad Matth. cap.* 5. *v.* 22.

et peccatores non subsistent *in congregatione justorum*, non amplius versabuntur inter justos, quum judicialiter damnati fuerint. Repetitio ejusdem sententiae.

Interpretes, qui accipiunt hunc textum de extremo Judicio, hi, ni fallor, longè abeunt a veritate. Verba textus sunt לא יקומו רשעים: si ea reddis, *non resurgent improbi*, tum quoad istos negabis judi-

cium, quia negas eorum interventum judicio: si autem reddis *non perstabunt*, quia, ut quidam ajunt, sustinere non poterunt rigorem examinis, nec fulgorem divinae Majestatis, id erit contra apparatum judicii, quem ipsemet Judex sic eloquitur: *Quum autem venerit Filius hominis in gloria sua, et omnes sancti Angeli cum eo, tum sedebit super thronum gloriae suae. Et congregabuntur coram eo omnes gentes: et separabit eos, alteros ab alteris, quemadmodum pastor separat oves ab hoedis. Et statuet oves quidem a dextris suis, hoedos autem a sinistris. Tunc dicet Rex iis, qui a dextris ipsius* erunt*: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis a jactis fundamentis mundi.........* *Tunc dicet et iis,* qui erunt *a sinistris: Abite a me maledicti in ignem aeternum paratum Diabolo et Angelis ejus. Matth.* 25. *v.* 31. *seqq.* Itaque, si *congregabuntur coram eo omnes gentes*, utique *resurgent* etiam *improbi in judicio:* si dicet his Judex, *Abite a me maledicti etc.* idque dicet, postquam invitaverit justos, *Venite benedicti etc.* profectò *stabunt improbi in judicio*, totumque, velint nolint, sustinebunt negotium illius, et ultimi discedent, quò tristiores abeant, conspecta justorum sorte. Unicè ergo quadrat, *non subsistent* amplius, quia esse desierint, ut explicavi, in vivis. Confer *vers. seq.*

V. 6. *Nam sciens* est *Dominus viam justorum*, ejusque *curam gerens*, utramque significationem habet verbum ידע: alterius exempla extant *Genes.* 39. *v.* 6. 8. *Prov.* 12. *v.* 10. et alibi. Dictione דרך notatur hìc *via ad metam temporis*, quod unius cujusque vitae assignatur; et sensus est: Dominus curam gerit proborum, ut hi consuetum vitae pensum per-

agant conficiantque; atque hoc est, *et folium ejus non flaccescet*, *v.* 3.

et via improborum peribit, non conficient suum iter ad consuetam vitae metam, sed immatura morte praeripientur, idque est, *ut gluma etc. v.* 4. Idem sensus recurret *Ps.* 2. *v.* 12.

PSALMUS II.

ARGUMENTUM

David, quum ea dissidia praevideret, quae in constituendis rebus novi Foederis excitanda erant, eodem fere modo, quo Sibylla Cumaea de rebus Trojanorum in Italia constituendis cecinit apud Virgilium 6. Aeneid. v. 86. seq.

bella, horrida bella,
Et Tybrim multo spumantem sanguine cerno,

ipse quoque admirabundus, nec sine indignatione, ex abrupto, et quasi jam praeterita narrans, infit:

V. 1. Quare fremuerunt gentes: et nationes meditatæ sunt vanitatem?

2. Stiterunt se reges terrae, et ponderantes consilia inter-sese-consultarunt unanimiter: adversus Dominum et adversus Unctum ejus.

3. Avellamus vincula eorum: et abjiciamus a nobis funes eorum.

4. Sedens in Cœlis ridebit: Dominus subsannabit eis.

5. Tunc loquetur ad eos in naso suo: et in aestu suo terrebit eos.

6. Et ego unxi Regem meum: super Tzionem montem Sanctitatis meae.

7. Recitabo, In decreto Dominus dixit ad me Filius meus Tu: Ego hodie genui te.

8. Postula a me, et dabo gentes haereditatem tuam: et possessionem tuam fines terrae.

9. Conteres eos in virga ferri: ut vas figuli disperges eos.

10. Et nunc reges intelligite: erudimini, judices terræ.

11. Colite Dominum in timore: et circumite, in tremore.

12. Osculamini Filium ne forte irascatur et pereatis via, quia accenditur ut exiguum nasus ejus: beatitudines universitatis confitentium in eo.

COMMENTARIUS

V. 1. *Quare* רגשו *fremuerunt*, cum indignatione, et comminatione; nec non *cum-strepitu-concurrerunt, gentes?* scilicet ad concionem indictam a regibus et consiliariis, de qua *vers. seq.*

et nationes meditatae sunt (in Ebraeo *meditabuntur*) *vanitatem,* Homerica phrasi μεταμώλια βάζειν, *vana loqui, Odyss.* 18. *v.* 331. *et* 391. acquid magis vanum et stultum est, quàm homines decretis Dei resistere? Oratores dicuntur *meditari*, dum se praeparant verba facturi, juxta illud Ciceronis in *Pison. cap.* 25. *Si ipse coram congredi poteris, meditare quibus verbis incensam illius cupiditatem comprimas, atque restinguas.* Dictio לאמים notat *nationes foederatas*, a themate לאם *conglutinatus est, in foedus aut societatem coivit*. Vide Schultensium in *Clav. Dialect. pag.* 251. et ad *Prov.* 14. *v.* 28.

V. 2. *Stiterunt se* (in Ebraeo *sistent se*), in comitiis gentium congregatarum, *reges terrae,* oppositè ad *Sedens in Coelis*. *v.* 4.

et ponderantes-consilia, radix רזן consignat, *sublatam rem libravit manu, explorandi ergo, gravis ne, an levis esset*, et hinc participium רוזנים notat *eos, qui ponderant res agendas, consiliarios*.

inter-sese-consultarunt unanimiter, verbum יסד valet *fundavit*, in Niphàl *fundatus est*, et sensu reciproco, *inter sese firmiter statuerunt, decreverunt;* vel potius (petita significatione a nomine סוד *arcanum, consilium secretum*) *inter sese consultarunt*. Quid autem consilii ceperint, dicit *vers. seq.*

adversus Dominum, et adversus Unctum ejus, directè adversus Unctum, indirectè verò etiam adversus Dominum, qui unxit: vel potius, ex regula ἓν διὰ δυοῖν, *unum per duo*, vult dicere, *adversus Unctum Domini*.

Duobus hisce versibus Vates praenunciat cospirationes Ebraeorum, aliorumque populorum adversus Christum Dominum, prout legitur apud Lucam iu *Act. Apostol. eap. 4. v. 1. seqq. Loquentibus autem illis* (Petro et Joanne) *ad populum, adstiterunt istis Sacerdotes et Dux* (Praefectus) *Templi et Sadducaei, aegrè laborantes, propterea quod ipsi docebant populum, et annuntiabant in Jesu resurrectionem mortuorum etc.* Ac deinde, post relata verba hujus carminis *cit. loc. v.* 25. 26. prosequitur sacer Historicus eorum sermonem: *Congregati sunt enim verè adversus sanctum Filium tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israelis, cit. loc. v.* 27. Fremitum, tumultum, aestum, concursum, et consultationem regum et populorum, quae omnia breviter enunciat hìc David, ob oculos ponit Homerus, dum Graecorum Duces et milites introducit in concionem coeuntes deliberandi gratia. *Iliad.* 2. *v.* 85. *seqq.*

Οἱ δ' ἐπανέστησαν, πείθοντό τε ποιμένι λαῶν

Σκηπτῦχοι βασιλῆες, ἐπεσσεύοντο δὲ λαοί.
Ἠύτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἀδινάων,
Πέτρης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομενάων,
Βοτρυδὸν δὲ πέτονται ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν,
Αἱ μέν τ' ἔνθα ἅλις πεποτήαται, αἱ δέ τε ἔνθα·
Ὣς τῶν ἔθνεα πολλὰ νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων
Ἠϊόνος προπάροιθε βαθείης ἐστιχόωντο
Ἰλαδὸν εἰς ἀγορήν· μετὰ δέ σφισιν ὄσσα δεδήει,
Ὀτρύνουσ' ἰέναι, Διὸς ἄγγελος. οἱ δ' ἀγέροντο.
Τετρήχει δ' ἀγορή, ὑπὸ δ' ἐστοναχίζετο γαῖα
Λαῶν ἱζόντων, ὅμαδος δ' ἦν. ἐννέα δέ σφεας
Κήρυκες βοόωντες ἐρήτυον, εἴποτ' ἀϋτῆς
Σχοίατ', ἀκούσειαν δὲ διοτρεφέων βασιλήων.

Hi autem surrexerunt, parueruntque pastori populorum
Sceptrigeri reges, et accurrebant milites.
Sicut agmina prodeunt apum frequentium
E petra cava semper recens venientium,
Et instar racemi involant vernis floribus,
Et aliae hac confertim volant, aliae illac:
Ita illorum turbae multae a navibus et tentoriis
Litus ante profundum procedebant ordine
Agminatim ad concionem: inter autem ipsos Fama accendebatur,
Incitans ire, Jovis nuncia: illique congregabantur.
Tumultuabatur autem concio, et subtus gemebat terra
Turbis sedentibus, et tumultus erat: novemque ipsos
Praecones vociferantes cohibebant, ut aliquando a clamore
Desisterent, et audirent Jovis-alumnos reges.

V. 3. *Avellamus*, vel *rumpamus vincula eorum*, verba sunt regum et consiliariorum, edicentium in concione populorum scopum conspirationis, ideoque in principio subauditur *dicendo*. Pronomen *eorum* refertur ad *Dominum*, et ad *Unctum* ejus, de

quorum rejicienda doctrina et infringenda potestate reges ineunt consilium.

et abjiciamus a nobis funes eorum, repetitio ejusdem rei: עבות substantivè est *implexitas, contorsio;* metonymicè *funis implexus, contortus*, talisve *catena*.

Libet penitius inspicere in hunc versum. Sicut Jesaias Babylonio regi aptavit famigeratissimum carmen, quod tum circumferebatur de Luciferi lapsu, *Quomodo cecidisti e Coelo, Lucifer fili Aurorae? etc. cap.* 14. *v.* 12. ita David applicat regibus et populis, Messiani regni oppugnatoribus, aliud carmen, vel potius alia ejusdem carminis verba super consilio, quod Lucifer ejusque sectatores, statim post ipsorum ejectionem e coelestibus sedibus, et in tartareum carcerem detrusionem, inierunt de se in libertatem vindicandis, impediendoque regno Messiae: qua de re adeundus est Marraccius in *Al-Korani Refutat. Sur.* 2. *v.* 30. *seqq.* Ratio, cur ita sentio, est, quia in sacris voluminibus saepe occurrunt ejusmodi velut disjecta membra vetustissimorum carminum: vide sis Lowthum de *Poes. Hebr. Praelect.* 9. et ibi Michaelis *not.* 13. *edit. Goetting.* 1770. nec non Mazochium in *Spicileg. ad Genes.* 4. *v.* 23. 24. Confirmatur mea sententia etiam historia belli Gigantei, quae, ut aliae Poetarum fabulae, derivata est e Biblica veritate. Quòd autem haec Gigantum fabula sit ex Angelorum rebellium conatibus detorta, triplici argumento demonstratur. Primum est, quia sicut in hoc Psalmo *reges terrae v.* 2. conspirant adversus Dominum et adversus Unctum ejus, unum cum Spiritu Sancto Deum, habitantem *in Coelis v.* 4. ita in Poetarum fabulis Gigantes, *Terrae* filii e Titanum sanguine, Diis bellum inferunt, qui passim dicuntur ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες, *Coele-*

stes domos habentes. Alterum argumentum est, quia sicut Lucifer ejusque comites in subeunda rebellionis poena vincti fuere catenis et vinculis, quam opinionem Synagoga semper tenuit, uti testantur Petrus *Epist.* 2. *cap.* 2. *v.* 4. *Si enim Deus Angelis, qui peccaverunt, non pepercit, sed catenis caliginis in tartarum detrusos tradidit in judicium reservatos etc.* et Judas *vers.* 6. *Et Angelos, qui non servaverunt suum principatum, in judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit:* sic Gigantes, ut Mythographi omnes fabulantur, vinculis constricti, a Jove detrusi fuerunt in tartara, ubi omnis eorum conatus eò tendit, ut sese, abruptis catenis, in libertatem vindicent. Tertium denique argumentum est, quòd uti Satanae sociorumque potentia delenda erat per Divinam Personam humana carne indutam *Genes.* 3. *v.* 15, ita Gigantum arrogantia fracta est ope Semideorum, quemadmodum ad istud Pindari *Nem. Od.* 1. *v.* 100. *seqq.*

Καὶ γὰρ ὅταν Θεοὶ ἐν πεδίῳ Φλέ-
γρας Γιγάντεσσι μάχαν
Ἀντιάζωσι, κ. τ. λ.
Etenim quando Dii in campo Phle-
grae Gigantibus in pugna
Contraierint etc.

notat Scholiastes: Τῶν δὲ ἐχόντων τὴν μάχην πρὸς τȣ̀ς Γίγαντας, καὶ μὴ περιγινομένων τῆς μάχης, φασὶν εἰρηκέναι τὴν Γῆν, μὴ ἄλλως ἁλῶναι τȣ́τȣς, εἰ μὴν συμμαχήσειαν αὐτοῖς δύο τῶν Ἡμιθέων. Ἡρακλέος τοίνυν καὶ Διονύσȣ συνελθόντων, ἐκράτησαν οἱ Θεοὶ τῶν Γιγάντων. *Habentibus autem Diis bellum contra Gigantes, neque valentibus esse superioribus in pugna, ajunt, oraculum reddidisse Terram: Non aliter hos deletum iri, nisi ipsis opitularentur in praelio bini Semideorum. Hercule igitur et Baccho congredientibus, Dii*

vicerunt Gigantes. Modò audiamus Claudianum in *Gigantomachia v. 14. seqq.* ubi Terra mater sic alloquitur Gigantes filios:

O pubes domitura Deos, quodcumque videtis,
Pugnando dabitur: praestat victoria mundum.
Sentiat ille meas tandem Saturnius iras:
Agnoscat, quid Terra potest: sic viribus ullis
Vincor? cur Cybele nobis meliora creavit?
Cur nullus Telluris honos? cur semper acerbis
Me damnis urgere solet? quae forma nocendi
Defuit? hinc volucrem vivo sub pectore pascit
Infelix Scythica fixus convalle Prometheus:
Hinc Atlantis apex flammantia pondera fulcit,
Et per canitiem glacies asperrima durat.
Quid dicam Tityon, cujus, sub vulture saevo,
Viscera nascuntur gravibus certantia poenis?
Sed vos, o tandem veniens exercitus ultor,
Solvite Titanas vinclis: defendite matrem.
Sunt freta, sunt montes, nostris ne parcite membris:
In Jovis exitium telum non esse recuso.
Ite, precor, miscete polum, rescindite turres
Sidereas: rapiat fulmen sceptrumque Typhocus:
Enceladi jussis mare serviat: alter habenas
Aurorae pro Sole regat: te Delphica laurus
Stringat, Porphyrion, Cirrhaeaque templa teneto.

Claudiano addendus est Ovidius *Lib. 5. Fastor. v. 35. seqq.*

Terra feros partus, immania monstra, Gigantes,
Edidit, ausuros in Jovis ire domum.
Mille manus illis dedit, et pro cruribus angues,
Atque ait, In magnos arma movete Deos.
Extruere hi montes ad sidera summa parabant,
Et magnum bello sollicitare Jovem.
Fulmina de Coeli jaculatus Jupiter arce,
Vertit in auctores pondera vasta suos.

Si quis me incuset, quòd fabulosa misceam sanctissimis Oraculis, causam pro me dicent Divus Hieronymus, qui ad *Jes. cap.* 27. *Tom. IV. Opp. col.* 361. *edit. Veron.* 1735. citat hos versus ex Gigantomachia:

Quo fugis Encelade? quascumque accesseris oras,
Sub Jove semper eris.

et Divus Ambrosius, qui *Lib.* 3. *de Fide cap.* 5. *Tom. II. Opp. col.* 497. *edit. Paris.* 1686. scribit: *Nam et Gigantes et vallem Titanum prophetici sermonis series non refugit*. Legendum integrum caput.

V. 4. *Sedens in Coelis*, verbum ישב significat hic *sessionem* regis in throno: quo sensu rex Assyriae apud Jesaiam *cap.* 10. *v.* 13. jactabundè ait, *et descendere faciam* (dejiciam, deturbabo) *ut herospraepotens* יושבים *sedentes*, h. e. regnantes. Haec phrasis *sedens in Cœlis* opponitur alteri *reges terrae vers.* 2.

ridebit, trepidis populorum concursibus et regum consultationibus Vates opponit Domini risum et sannas. Cujus oppositionis ut assequamur rationem, sciendum est, id apud Orientales in more positum esse, ut vir generosus, si qua afficiatur injuria, in moeroris signum, ab omnibus iis rebus se abstineat, quae hilaritatis vel pacatae mentis tempore in deliciis habentur, donec inimicum ulciscatur. Sic Abulfeda in *Vit. Mohamm. cap.* 29. ubi narrat bellum *Alsavik*, i. e. *farinae*, quod ita fuit appellatum, quia, quum Abu-Sofianus et socii fugerent, quò leviores essent, saccos farinae projecerunt, scribit: *Abu-Sofianus juravit, sese tantisper non contrectaturum odoramenta et mulieres, donec Mohammedum praelio aggressus esset propter caesos in campo Bedrense.* Idem Auctor, occasione expeditionis adversus gen-

tem Mostalaki, refert *cap.* 42. Mokaiisum, necato sui fratris Heshami occisore, dixisse:

Solvi in eo nervum meum, assequutus sum talionem
meam, et sum ad idola primus rediens.

Istic *nervus* est jusjurandum, quo se adstrinxerat de sumenda ultione. Vide sis Adlerum ad *Abulfedam an.* 6. *Hegir. pag.* 117. Explanatius et uberius Marzukius ad *Hamasam*: *Quum quis alium laesisset, ideoque vindictae cupidum effecisset, hic vovebat, se non biblturum vinum, neque accessurum ad mulierem, neque abluturum caput, nec hoc iis rebus aspersurum, quas quisque summopere curat, quando illis uti fas est, donec hostem ultus fuerit. Ea de re dixit Amra-l-Kaisius post impressionem in Assaditas, et assequutionem earum rerum, quas ipse optabat adversus illos:*

Jam licitum est mihi vinum: antea eram in negotio,
quod me distinebat ab ejus potu.
Hodie bibam absque imputatione criminis in Deum,
nec alieni symposii assecla.

Haec referuntur a Reiskio in *not.* 37. *ad Abulfed. an.* 2. *Hegir. pag.* 18. *seq.* Huc pariter spectat quod Achilles, indignatus ob caedem Patrocli, respondet Agamemnoni et Ulyssi, qui milites cibo potuque reficiendos esse censebant, priusquam certamini committerentur. *Iliad.* 19. *v.* 199. *seqq.*

Ἀτρείδη, κύδιστε, ἄναξ ἀνδρῶν, Ἀγάμεμνον,
Ἄλλοτέ περ καὶ μᾶλλον ὀφέλλετε ταῦτα πένεσθαι,
Ὁππότε τις μεταπαυσωλὴ πολέμοιο γένηται,
Καὶ μένος οὐ τόσον ἦσιν ἐνὶ στήθεσσιν ἐμοῖσι.
Νῦν δ' οἱ μὲν κέαται δεδαϊγμένοι, οὓς ἐδάμασσεν
Ἕκτωρ Πριαμίδης, ὅτε οἱ Ζεὺς κῦδος ἔδωκεν.
Ὑμεῖς δ' ἐς βρωτὺν ὀτρύνετον· ἦτ' ἂν ἔγωγε
Νῦν μὲν ἀνώγοιμι πτολεμίζειν υἷας Ἀχαιῶν
Νήστιας, ἀκμήνους· ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι

Τεύξεσθαι μέγα δόρπον, ἐπὴν τισαίμεθα λώβην.
Πρὶν δ' ὄυπως ἂν ἔμοιγε φίλον κατὰ λαιμὸν ἱείη
Οὐ πόσις, ὀυδὲ βρῶσις, ἑταίρου τεθνειῶτος,
Ὅς μοι ἐνὶ κλισίῃ δεδαϊγμένος ὀξέϊ χαλκῷ
Κεῖται, ἀνὰ πρόθυρον τετραμμένος, ἀμφὶ δ' ἑταῖροι
Μύρονται· τό μοι ὄυτι μετὰ φρεσὶ ταῦτα μέμηλεν,
Ἀλλὰ φόνος τε καὶ αἷμα, καὶ ἀργαλέος στόνος ἀνδρῶν.
Atride, gloriosissime, rex virorum, Agamemnon,
Aliàs certè potius debetis haec procurare,
Quando aliqua cessatio a pugna fuerit,
Et ira non tanta sit in pectoribus meis.
Nunc verò illi quidem jacent confossi, quos domuit
Hector Priamides, quando ei Jupiter gloriam praebuit:
Vos autem ad cibum urgetis: ego sane omnino
Nunc quidem hortarer pugnam inire filios Achivorum
Impastos, impotos: ut verò sol occiderit,
Parare magnam cœnam, postquam ulti essemus contumeliam:
Ante verò nequaquam mihi quidem meum per guttur demittetur
Nec potus, nec cibus, sodale mortuo,
Qui mihi in tentorio confossus acuto aere
Jacet, in vestibulum conversus, circum autem socii
Lugent. Ideo mihi neutiquam in mente haec curae sunt,
Sed caedesque, et sanguis, et gravis gemitus virorum.

Sic quidem afficiuntur homines, praesertim Orientis, post acceptam injuriam: Dominus verò, cujus Majestas a regibus terrae laesa est ob consilium temere initum de suis infringendis decretis, nequaquam angitur, ut illi, vindictae sollicitudine, τοῦ γὰρ κράτος ἐστὶ μέγιστον, *quia ejus potentia est infinita, Il.* 2. *v.* 118. ideoque certus ultionis, sed e contrario ridet.

subsannabit למו *eis*, vel *ad eos*, vel *de eis*, repetitio

ejusdem rei. Verbum לעג Syris est *balbutivit*, *balbus*, *blaesus fuit*, *Exod.* 4. *v.* 11. et *cap.* 6. *v.* 12. 30. *Jes.* 33. *v.* 19. *a balbutiendo* Ebraeis est *barbarè loquutus fuit*, *Jes.* 28. *v.* 11. et *cap.* 33. *v.* 18. dein *subsannavit*, *irrisit*, ac si dicas, *balbutientem imitatus est*; unde reddere licet, *balbutiendo loquetur eis*, per modum *irrisionis*, more *sannionum*: *sanna* verò, ut est apud veterem Interpretem *Persii ad Sat.* 1. *v.* 72. dicitur os distortum cum vultu, quod facimus, quum alios deridemus.

V. 5. *Tunc*, quando autem oppugnatores, facta Regis inauguratione, conabuntur exequutioni mandare inita consilia de ejus regno evertendo, *tunc loquetur ad* (contra) *eos in naso suo*, videlicet in ira sua. Dictio אף, a radice אנף *prominuit*, significat *nasum*, quatenus hic est *prominentia* oris; et per metonymiam signat *iram*, utpote quæ in *naso* se maximè prodit, ut Caprarius dicit ad Tyrsim apud Theocritum loquens de Deo Pane *Idyll.* 1. *v.* 17. *seq.*

ἐντί γε πικρός·
Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.
estque amarulentus;
Et ei semper acris bilis in naso insidet.

Plautus in *Amphitruone Act.* 4. *sc.* 11. *Di vostram fidem!* *v.* 40. *seq.*

Vetu' st adagium, Fames et mora
Bilem in nasum conciunt.

et Persius *Sat.* 5. *v.* 91.

Disce, sed ira cadat naso, rugosaque sanna.

qua in loquutione Poeta respicit ad canum naturam, qui corrugatis naribus iram indicant. Praeterea, quia nasus est medium *spirationis*, hinc verbum אנף, ducta potestate e suo derivato אף *nasus*, transfertur ad significandam vehementiorem illam *spirationem*, quae fit in *ira*, et sic valet *anhelavit iram*.

Tum, inquam, loquetur Dominus κρατερὸν μῦθον, *imperatorium sermonem Iliad.* 1. *v.* 25. *et* 16. *v.*199. in *celsitudine nasi,* utpote in qua statuitur ab Orientalibus celsitas animi et magnitudo, seu generosa indoles, et inaccesta majestas, quæ sui reverentiam semper intactam atque illibatam servat, omnemque repellit injuriam, quam dum quis recipit, *in naso affici* dicitur. Exemplis, quibus Albertus Schultens id illustrat in Opere *de Defect.* §. 245. *seqq.* addo sententiam, quae legitur in *Al-Navabig. vers.* 127.
Nisi fueris praeditus naso elatiore,
Eris ad odorem abjectionis inclinans.
ubi vide laudatum Schultensium: vide et Ibn Doreid in *Idyll. v.* 36. *et* 64. et ibi Scheidium.

et in aestu suo, et in calore irae suae, *terrebit,* vel *conturbabit eos;* verbum בהל generalem involvit notionem *praecipitis, subitanei, et confusanei motus,* sive is corporis sit, unde significatio *festinationis,* sive animi, unde sensus *terroris* et *perturbationis,* seu *emotionis* mentis, quæ pathemata fiunt ex Dei *loquutione* in ira, quippe quam statim excipit *maledictio*, cujus pariter significationem in se continet nostra radix; et ideo rectè exponi potest per Homericam phrasin λύειν μένος, *solvere robur* alicujus. Vide ad *Ps.* 6. *v.* 4.

V. 6. *Et ego*, postquam edixit Propheta, Deum Patrem in naso inaccessae Majestatis suae loquuturum ad conjuratos, eosque in aestu indignationis suae perturbaturum, introducit eum reipsa loquentem, et evulgantem Regis inaugurationem a se jam factam, inquiens, *Et ego etc.* ubi particula *Vau, Et,* (quam Noldius sub *num.* 17. declarat per *ecce*) non tam signat copulam, quàm emphasim, ac si dicat: Quandoquidem ego, qui rerum omnium sum conditor, dominus, moderator, et arbiter, Messiam pronun-

ciavi Regem, quae est ista temeritas vestra, qui, facta inauguratione, fremitis, et tumultuamini, regnum illius evertere cogitantes? Huic dicto quamsimillimum est illud Jovis *Iliad.* 1. *v.* 526. *seq.*

. . . ὀ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλὸν,
Οὐδ' ἀτελεύτητόν γ', ὅ, τι κεν κεφαλῇ κατανεύσω.

. . . *non enim meum* verbum est *retractabile, neque deceptorium*,
Neque non ad finem suum perducendum, quodcumque capite adnuero.

unxi Regem meum, qui scil. constituat, regat, et administret *regnum meum* in terris, nempe *Ecclesiam*, quae hinc in Libris Novi Foederis dicitur *Regnum Dei*, et *Regnum Coelorum*. Quæ sequuntur, *super Tzionem montem sanctitatis meae*, quatenus referuntur ad *Regem*, signant locum totius Regni, quae est Ecclesia: et ratio est, quia, ut ajunt Expositores, in monte Tzione, ante extructum Templum, adservabatur Arca Foederis Dei cum Israelitis 1. *Reg.* 8. *v.* 1. et 2. *Par.* 5. *v.* 2. unde postea, Templo extructo, in contiguum jugum Morjam translata est. 2. *Par.* 3. *v.* 1. Accedit, quòd priscis temporibus Numen colebatur in montibus, quos sacer arborum horror et solitudo venerabiliores reddebant. Quatenus autem ea verba *super Tzionem etc.* referuntur ad verbum *unxi*, signant locum peculiarem, ubi facta est *unctio*, seu *inauguratio*: qua de re agetur inferius *Ps.* 110. *v.* 2. ad vocem *ex Tzione*. Per vocabulum *Sanctitatis* ego hìc intelligo cùm *Arcam Foederis*, tum caetera *omnia vasa sancta*, *quae erant in Tabernaculo*, ut dicitur 1. *Reg.* 8. *v.* 4. et 2. *Par.* 5. *v.* 4. etenim res suas cariores in eo loco Numen adservari amat, quem caeteris praefert. Sic Virgilius 1. *Aen.* *v.* 12. *seqq.* narrat:
Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,

Carthago, Italiam contra Tyberinaque longè
Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli,
Quam Juno fertur, terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo: hic illius arma,
Hic currus fuit: hoc regnum Dea gentibus esse,
Si qua Fata sinant, jam tum tenditque, fovetque.

Similiter apud Ovidium 6. *Fast. v.* 45. *seq.* dicit eadem Juno:

Poeniteat, quòd non fovi Carthaginis arces,
Quum mea sint illo currus et arma loco.

Verbum נסך propriè notat *fudit*: a *fundendo* sanguine, *sacrificavit;* et hinc *Dei cultui devotus*, et *religiosus fuit:* a *fundendo* oleo, *unxit*. De *unctione* rerum et personarum in genere diximus ad *Genes.* 28. *v.* 12. de *unctione* Regum legendus est præ aliis Wilhelmus Schickardus in *Jus Reg. Hebraeorum cap.* 1. *Theor.* 4. *cum adnotatis Benedicti Carpzovii:* de sanctissima *Unctione*, quam David hìc prænuntiat, videndus est Jo. Andreas Danzius in *Dissertatione de Inauguratione Christi* §. 5. Effectus hujus divinae loquutionis in ira ad conjuratos, et deinde ad refractarios omnes per totam Ecclesiae durationem, patefiet *infr. v.* 9.

℣. 7. *Recitabo*, rem totam, prout initio gesta est: Messias excipit hìc sermonem Dei Patris. Verbum ספר hìc idem sibi vult, ac verbum λέγω in formula Oratorum ad Nomophylacem, seu Tabularium, λέγε τὸ ψήφισμα, *recita decretum*.

in decreto, præpositionem אל reddo *in*, ut *Genes.* 6. *v.* 6. *Jud.* 6. *v.* 39. Nomen חק, a radice חקק, *decrevit, statuit*, nec non *certò constitit res*, signat *decretum*, quo Deus Pater solenniter (ut ita dicam) constare voluit de *veritate generationis et filiationis*, quod inprimis necessarium est in persona suscipientis regnum, ut legitimè susceptum dicatur.

Adi Schickardum *Jus Reg. Hebr. d. cap.* 1. *Theor.* 3. *pag.* 49. *seqq.*

Dominus (Deus Pater) *dixit ad me, Filius meus es tu*, decretum de addicendo regno Messiae sancitum fuit in Concilio Sanctissimae Trinitatis: ejus verò publicatio inter homines facta est, quando Deus Pater dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo bene complacui. Matth.* 3. *v.* 17. et in repetitione ejusdem declarationis addit, *ipsum audite. Matth.* 17. *v.* 5. nempe ejus dicto audientes estote. Postea addit (liceat sic loqui) tempus generationis, ut fieri solet in attestationibus de nativitate inter homines, inquiens, *ego hodie genui te*. Quando haec dictio היום *hodie*, vel *hoc die*, adhibetur extra indicationem specialis cujusdam diei, vel temporis, determinationem recipit a qualitate subjecti, ad quod refertur; ita ut, si ad hominem referatur, denotet *dies* vitae humanae, juxta illud Apostoli, *Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies*, ἄχρις ὃ τὸ σήμερον καλεῖται, *usque quo hodie cognominatur. ad Hebr.* 3. *v.* 13. videlicet usquedum humana durat vita. Sic in *Al-Korano Sur.* 16. *v.* 63. haec eadem dictio היום *hodie* valet *in hoc mundo*. Si verò ad Deum referatur, significat ἡμέραν αἰῶνος, *hodie aeternitatis*, uti loquitur Petrus *Epist.* 2. *cap.* 3. *v.* 18. *coll. v.* 8. in quo, ut ait Augustinus ad *h. loc.* nec praeteritum quidquam est, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit, sed praesens tantùm, quia quidquid aeternum est, semper est; ideoque apud Deum numquam crastinus, numquam hesternus dies est, sed semper *hodie*. Nempe היום cum articulo distributivè accipitur, ad universalitatem inferendam, perinde ac si dicatur *quolibet die*, sicut alibi, היום *Hodie* (i. e. quolibet die) *si audiveritis vocem meam*. *Ps.* 96. *v.* 7. *Judicet Dominus, qui judicat* היום *ho-*

die (h. e. in quolibet die) *inter filios Israelis et inter filios Ammonis Jud.* 11. *v.* 27. Confer Danzium in *d. Dissert. de Inaugur. Christi* §. 29. *not.* e. Hac eadem de re Philo Judaeus in Opusculo de *Profugis T. I. pag.* 549. *edit.* 1742. ad illud Deuteronomii: *Et vos adhaerentes in Domino Deo vestro: vivitis omnes vos* היום *hodie cap.* 4. *v.* 4. Ita praeclarissimè scribit: *Fugientes enim ad Deum, ejusque deprecatores, solos agnoscit pro vivis, reliquos pro mortuis. Illis autem, ut par est, immortalitatem pollicetur, proptereaquod verbo* vivitis *addit* ἐν τῇ σήμερον hodie. *Istud verò* hodie ἐστιν ὁ ἀπέρατος, καὶ ἀδιεξίτητος αἰών, *est infinitum et impereurribile aevum. Mensium enim, et annorum, et in universum temporum circuitus sunt placita hominum magnificantium numerum: verum autem nomen aevi est* ἡ σήμερον hodie.

Unà cum superiori expositione verborum, *ego hodie genui te*, stare potest et altera haec, quòd iis Pater significet amorem erga Filium, de quo in duobus Matthaei locis ante allatis, ac si dicat, Filius meus es tu, ita dilectus, quasi ego hodie (pro humano loquendi more) genuerim te : solent enim homines ad nuncium, natum sibi esse marem, sic exultare ac tripudiare, prouti contristari ad nuncium, natam sibi esse foemellam : qua de re vide in *Al-Korano Sur.* 16. *v.* 57. *seq.* et *Sur.* 43. *v.* 16. *seq.* Confer et quae notantur in *vers. seq.*

V. 8. *Postula a me, et dabo gentes haereditatem tuam,* prosequitur Messias recitare verba decreti: Pater, ait is, post factam declarationem, me esse Filium suum, in signum immensi erga me amoris, promisit, se daturum mihi omnes nationes orbis terrarum in haereditatem : quae promissio, utpote facta a Deo vero, rata omnino erit, quidquid mei hostes in contrarium conentur. De hujusmodi promissio-

nibus et dationibus agetur magis accuratè inferius ad *Ps.* 110. *v.* 4. Adhaec constitutio Filii in Regem id necessariò poscit, ut ei Pater titulo regni certam terrae portionem assignet, in qua munus regium exerceat. Vult autem, eum ubique gentium regnare.

et possessionem tuam, fines terrae, repetitio ejusdem rei: cum his concinunt illa Jovis de Romanorum potentia et magnitudine 1. *Aen. v.* 282. *seq.*
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi.

V. 9. *Conteres eos*, nimirum gentes, nationes, reges terrae, et libratores consiliorum, de quibus *vers.* 1. 2. quotquot obstinatè tuo regno resistent.

in virga ferri, locum hunc exquisitae eruditionis copiâ illustravit Lakemacherus *Part.* 8. *Observat.* 4. §. 3. cujus verba, quia Opus non omnium manibus praesto est, nec ego meliora proferre possum, libenter exscribam » Baculo ferreo Regem nostrum dum instruit Psaltes, respicere mihi videtur ad morem illum antiquum, quo Heroes, armorum loco, clavas gestabant, easque non ligneas tantùm, sed etiam ferreas. Herculis enim cui ignota est clava ingens, qua ille, praeter alios, Eurythionem occidit bubulcum, cani, qui in Herculem irruerat, suppetias atque opem ferentem, (vide Apollodorum *Lib.* 2. *Biblioth. cap.* 5. *pag.* 133. *edit.* 1782.) et propter quam *Clavigeri* ab Ovidio *Lib.* 15. *Met. v.* 284. et *Fast.* 1. *v.* 544. mactatus est cognomine? Clava etiam, Periphetae latroni erepta, pro armis usus est Theseus, rex Athenarum post Cecropem decimus, Heroum Graecorum non postremus. Plutarchus in *Theseo pag.* 4. *B.* Καὶ πρῶτον μὲν ἐν Ἐπιδαυρίᾳ Περιφήτην, ὅπλῳ χρώμενον κορύνῃ, καὶ διὰ τοῦτον Κορυνήτην ἐπικαλούμενον, ἁπτόμενον αὐτοῦ, καὶ κωλύοντα προάγειν, συμβαλὼν ἀπέκτεινεν. ἡσθεὶς δὲ τῇ κορύνῃ,

λαβὼν ὅπλον ἐποιήσατο, καὶ διετέλει χρώμενος, ὥσπερ ὁ Ἡραγλῆς τῷ δέρματι τȣ̃ λέοντος. ἐκείνῳ μὲν ȣ̃ν ἐπίδειξις ἦν φορȣ́μενον, ἡλίκȣ τὸ μέγεθος θηρίȣ κρατήσειεν. ȣ̃τος δὲ τὴν κορύνην ἐπεδείκνυεν ἡττημένην μὲν ὑπ' αὐτȣ̃, μετ' αὐτȣ̃ δὲ ἀήττητον ȣ̃σαν. *Primùm in finibus Epidauri Peripheten, qui pro armis utebatur clava, ideoque Corynetes,* sive Claviger, *appellabatur, apprehendentem ipsum, et vetantem progredi, congressus cum eo, interfecit* Theseus. *Oblectatus clava, cepit eam pro armis: qua deinceps est usus, ut pelle leonis Hercules. Atque ut huic illud tegmen, quàm immanem belluam superasset, argumentum erat, ita* Theseus *clavam ab se ostendebat victam, secum invictam esse.* Diodorus Siculus *Lib.* 4. *Biblioth. hist. cap.* 59. Πρῶτον μὲν ȣ̃ν ἀνέιλε τὸν ὀνομαζόμενον Κορυνήτην, χρώμενον τῇ προσαγορευομένῃ κορύνῃ, ἥτις ἦν αὐτῷ ὅπλον ἀμυντήριον, καὶ τȣ̀ς παριόντας ἀποκτείνοντα. *Primùm igitur* Theseus *Coryneten, quem a clava sic nominant, trucidat. Clavam hic pro armis, quibus se defenderet, gestans, viatoribus necem inferebat.* Clava autem ferrea fuit: quod licèt neque Plutarchus indicet, neque Diodorus, indicat tamen Apollodorus *Lib.* 3. *Biblioth. cap.* 16. *pag.* 283. Πρῶτον μὲν ȣ̃ν Περιφήτην, τὸν Ἡφαίςȣ καὶ Ἀντικλέιας, ὃς ἀπὸ τῆς κορύνης, ἣν ἐφόρει, Κορυνήτης ἐπεκαλεῖτο, ἔκτεινεν ἐν Ἐπιδαύρῳ. πόδας δὲ ἀσθενεῖς ἔχων ȣ̃τος, ἐφόρει κορύνην σιδηρᾶν, δι' ἧς τȣ̀ς παριόντας ἔκτεινε. ταύτην ἀφελόμενος Θησεὺς ἐφόρει. *Primùm quidem Peripheten, Vulcani et Anticliae filium, qui quòd clavam gestaret, Coryneta dicebatur, ad Epidaurum occidit: qui quum imbecillis pedibus esset, ferrea clava munitus, viatores interficiebat: quam ex illo praereptam Theseus ipse ferre consuevit.* Eadem fuit Areithoi regis, et post hunc Ereuthalionis armatura, de qua Homerus *Iliad.* 7. *v.* 136. *seqq.*

Τοῖσι δ' Ἐρευθαλίων πρόμος ἵςατο, ἰσόθεος φῶς,
Τεύχε' ἔχων ὤμοισιν Ἀρηϊθόοιο ἄνακτος,
Δίε Ἀρηϊθόε, τὸν ἐπίκλησιν Κορυνήτην
Ἄνδρες κίκλησκον, καλλίζωνοί τε γυναῖκες,
Οὕνεκ' ἄρ' ἐ τόξοισι μαχέσκετο, δουρί τε μακρῷ,
Ἀλλὰ σιδηρείῃ κορύνῃ ῥήγνυσκε φάλαγγας.
Τὸν Λυκόοργος ἔπεφνε δόλῳ, ἔτι κράτεΐ γε,
Στεινωπῷ ἐν ὁδῷ, ὅθ' ἄρ' ἐ κορύνη οἱ ὄλεθρον
Χραῖσμε σιδηρείη.

Inter illos autem Ereuthalion in acie primus stabat,
par Deo vir,
Arma habens humeris Areithoi regis,
Nobilis Areithoi, quem cognomento Coryneten
(clavigerum)
Viri appellabant eleganterque cinctae mulieres,
Quoniam non arcubus pugnabat hastaque longa,
Sed ferrea clava rumpebat phalanges.
Hunc Lycurgus interfecit dolo, non vi,
Angusta in via, ubi clava non ei exitium
Arcebat ferrea.

Sed quid exempla Heroum clavigerorum apud exteros conquirimus, quum non desint in Historia sacra? Quonam enim armorum genere Philistaeos Samgar, non solus quidem, sed adjutus ab aliis, opera tumultuaria collectis, concidit sexcentos? *Jud.* 3. *v.* 31. *Stimulus* fuit *bovis* מלמד הבקר, h. e. baculus, sive lignum, clavae non absimile, nisi quod ferro praefixum esset acuto: quamquam contendere cum illis nolo, qui cum Sebast. Schmidio baculum intelligunt ex ferro confectum solido. Porro Benajae, filio Jojadae, quod fuit telum, quum in certamen descenderet contra virum Aegyptium, proceritate spectabilem, hastaque praegrandi instructum? 2. *Sam.* 13. *v.* 21. *et* 1. *Par.* 11. *v.* 23. Fuit שבט, *baculus*, sive *clava*, vel lignea, vel ferrea. Nec abhorruit ab

usu τῶν שבטים (*baculorum*, sive *clavarum*) Joabus, dux fortissimus. Transfixit enim tribus שבטים (*baculis*, sive *clavis*) corpus Absalomi, quercu pendentis: 2. *Sam.* 18. *v.* 14. ubi perinde est, sive ligneos intelligas baculos, sive ferreos, modò sint cuspidati. Cum fructu leges integram *Observationem*.

ut vas figuli disperges eos, bene, et secundum proprietatem radicis נפץ, vertit Pagninus *confractos disperges*, sequutus Kimchium, qui sic exponit: Verbum תנפצם eam denotat *confractionem*, quæ cum *dispersione* partium fit: quum enim vas fictile *confringitur*, fragmenta ejus *disperguntur*. Confer *Jud.* 7. *v.* 19.

V. 10. *Et nunc reges intelligite*, reges jam ferrea virga contriti, et instar testae confracti et dispersi, dum apud Inferos excruciantur, a Vate introducuntur inclamantes alios reges adhuc in vivis, ne obstinato animo fiant eisdem tormentis obnoxii, sed per resipiscentiam sibi consulant. Iisdem pene verbis Virgilius narrat de Theseo apud Inferos excruciato. *Aen.* 6. *v.* 617. *seqq.*

sedet, aeternumque sedebit
Infelix Theseus, Phlegyasque miserrimus omnes
Admonet, et magna testatur voce per umbras:
Discite justitiam moniti, et non temnere Divos.

Plato etiam, qui, ut omnibus compertum est, peragravit Orientem, ut istorum populorum imbueretur sapientia, teste cum aliis Diogene Laërtio *Lib.* 3. *num.* 8. ita scribit de Ardiaeo et aliis scelestis *Lib.* 10 *de Rep. Tom. II. pag.* 615. *seq.* Ἐνταῦθα δὴ ἄνδρες ἄγριοι καὶ διάπυροι ἰδεῖν, παρεστῶτες, καὶ καταμανθάνοντες τὸ φθέγμα, τοὺς μὲν ἰδίᾳ λαβόντες ἦγον. Τὸν δὲ Ἀρδιαῖον καὶ ἄλλους συμποδίσαντες χεῖρας τε καὶ πόδας καὶ κεφαλὴν, καταβαλόντες καὶ ἐκδείραντες, εἷλκον παρὰ τὴν ὁδὸν, ἐκτὸς ἐπ᾽ ἀσπαλάθων κνάμπτοντες,

καὶ τοῖς ἀεὶ παριοῦσι σημαίνοντες, ὧν ἕνεκα τε ταῦτα ὑπομένοιεν, καὶ ὅτι εἰς τὸν τάρταρον ἐμπεσούμενοι ἄγοιντο. *Illic homines quidam feri, et aspectu igneo terribiles, adstantes, ubi hiatus mugitum audivissent, illos singulatim captos rapiebant. Ardiaeum, verò aliosque socios manibus pedibus et cervice ligatos, in terram afflictos, et excarnificatos, trahebant ad viam, extra quam tribulis lacerabant, et praetereuntibus indicabant, quorum causâ talia paterentur, eosque adeo in Tartarum datum iri praecipites.* Et de Ere Armenio *d. Lib.* 10. *pag.* 614. Ἑαυτοῦ δὲ προσελθόντος, εἰπεῖν, ὅτι δέοι αὐτὸν ἄγγελον ἀνθρώποις γίνεσθαι τῶν ἐκεῖ, καὶ διακελεύοιντο οἱ ἀκούειν τε καὶ θεᾶσθαι πάντα τὰ ἐν τῷ τόπῳ. *Quum verò ad judices ipse quoque accessisset, illos ajebat respondisse: Redire eum hominibus nuncium de illis, quae illic viderat, oportere, jussisseque, illum audire et intueri, quaecumque eis in locis fierent, diligenter.* Legenda et quae sequuntur. Huc insigniter facit etiam historia de Sancheribo, Arabum Assyriorumque rege, cujus statua posita est in templo Vulcani Aegyptii murem manu habens cum hac inscriptione, Ἐς ἐμέ τις ὁρέων, εὐσεβὴς ἔσω. *In me quis intuens, pius esto.* Is templum ingressus armatis copiis, victus est coelesti prodigio, immissis agrestibus muribus, qui noctu pharetras, scutorumque habenas ambederunt, ita ut postera die hostes sese viderint nudos et inermes. Rem narrat Herodotus in *Euterpe*, seu *Lib.* 2. *cap.* 141. Ixion, qui, quòd fuerit ingratus, gravissimas dat poenas apud inferos, alios suo exemplo gratos fieri docet apud Pindarum *Pyth. Od.* 2. *v.* 39. *seqq.*

Θεῶν δ' ἐφετμαῖς
Ἰξίονα φαντὶ ταῦτα
Βροτοῖς λέγειν, ἐν πτερόεντι τροχῷ

Παντᾶ κυλινδόμενον,
Τὸν εὐεργέταν ἀγανοῖς ἀμοιβαῖς
Ἐποιχομένυς τίνεσθαι.
Deorum autem mandatis
Ixionem ajunt haec
Mortalibus dicere, dum in alata rota
Circumquaque volvitur,
Benefactorem placidis remunerationibus
Excipientes, solvere grates.

Haec sententia de nostris verbis plenissimè confirmatur testimonio Lucae in Evangelio, ubi famosus ille Dives, apud inferos cruciatus, sublatis oculis, quum eminus vidisset Abrahamum, inclamavit eum inter caetera: *Rogo te, Pater, ut mittas eum* (Lazarum) *ad domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in locum hunc cruciatus. Cap.* 16. *v.* 27. *seq.* Confer cum his posteriora verba Platonis.

erudimini judices terrae, quia regum tantummodo est dijudicare lites, ad id enim requiritur suprema et absoluta potestas in litigantes, hinc *judices terrae* ex parallelismo hìc iidem sunt, ac *reges*. Nec tamen inde excluduntur caeteri magistratus, qui delegatam jurisdictionem exercent; siquidem et isti, dum suo munere funguntur, vices gerere regum putantur, ut שפטים *Shophetìm Judices* Ebraeorum. Sic etiam Poenis, quos nemo ignorat esse colonos Tyriorum, et idcirco eadem cum Ebraeis lingua uti, supremus Magistratus appellabatur *Sufetes*, cujus vocabuli origo rectà venit ex *Shophetè, Judices* apud Ebraeos, quum eadem planè sit utriusque Magistratus etiam auctoritas, prout illos Livius describit *Lib.* 28. *cap.* 37. ubi Mago *ad colloquium Sufetes eorum, qui summus Poenis est Magistratus, cum Quaestore elicuit.* et *Lib.* 30. *cap.* 7. *Senatum itaque Sufetes*

(*quod velut consulare imperium apud eos erat*) *vocaverunt*. Quibus posterioribus verbis adstipulatur etiam Festus: *Sufes Consul linguâ Poenorum. Calidius: Senatus, inquit, censuit referentibus Sufetis*. Sane Tyrii et Ebraei Magistratus suos ita distinguebant, ut alii essent *Reges*, alii *Judices*. Habebant Judices aliquid regium, quòd essent perpetui; sed quia erant reddendis rationibus obnoxii, ideo *Magistratus* potius erant, quàm *Reges*, uti et Reges Lacedaemonii, qui nihil habuere regium, praeter nomen, et primum in Curia locum. Tales igitur fuere *Shophetim* Judaeorum, quales *Sufetes* Tyriorum et Poenorum. Atque haec ferme Vossius in Etymologico ad vocem *Sufes*. Scaligero autem *Lib.* 3. *Canon. Isagogicor. Eusebio adjunctorum pag.* 321. *et* 331. nec non in *Animad. Eusebian. ad an.* 1242. *pag.* 64. *Sufes* est צופה, ἔφορος, ἐπίσκοπος, ἐπόπτης, *Ephorus*, *Episcopus*, *Inspector*, a צפה *speculatus est*. Vide et Dacerium ad Festum in d. voce *Sufes*. Admonitio haec dirigitur ad *Reges* et ad *Judices*, ea etiam de causa, quia istorum est plebi exemplo praeire juxta illud Claudiani de *IV. Consul. Honor. v.* 299. *seqq.*

componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita Regentis.
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

et quia, ut ait Horatius *Lib.* 1. *Epist.* 2. *v.* 14.

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

V. 11. *Colite Dominum in timore*, iidem reges, post generalem et indeterminatam admonitionem, *intelligite*, et *erudimini*, *v. sup.* specialius adhuc docent alios quod facere debent, ad eamdem punitionem cavendam: contraria nempe suggerunt consilio ab ipsis inito. Ipsi in praefatis comitiis unanimi con-

sensu decreverant unà cum suis popularibus, *Avellamus vincula eorum: et abjiciamus a nobis funes eorum*. *v*. 3. quibus verbis palam et publicè edixerunt, nolle se officia Domino praestare per subjectionem Uncto ejus: contra ea nunc hortantur alios, ut omnimodam ei obedientiam sincero corde exhibeant, *Colite* tamquam servi *Dominum in timore: et circuite in tremore*. ac si dicat: Pro arrogantia, qua nos insanivimus, renuentes obtemperare decretis Domini de regno Messiae, vos illum in timore colite ut servi, et circuite eum in tremore, quidquid praecipiat vobis hilari animo exequentes. Dictiones *timor* et *tremor* copulantur etiam ab Apostolo in simili argumento *in Epist. ad Ephes.* 6. *v.* 5. *Servi, auscultate dominis secundum carnem cum timore ac tremore*.

Radici גיל tribuo hìc loci potestatem *circumeundi*, quae est princeps in Arabica dialecto; eaque *circuitione* ajo notari sedulitatem famulorum atque famularum, qui quaeque idcirco a Graecis dicuntur ἀμφίπολοι, *circumversantes*, eoquod dominis suis praesto jugiter sunt ad eorum jussa capessenda, quemadmodum alibi dicitur: *Ecce sicut oculi servorum ad manum dominorum suorum, sicut oculi ancillae ad manum herae suae etc. Ps.* 123. *v.* 2. de quo Orientalium more agimus ad *Genes.* 20. *v.* 16. Hanc intèrpretationem poscit etiam ratio parallelismi cum praecedenti verbo עבדו, *colite*, *servite*.

V. 12. *Osculamini filium*, varia sunt osculorum genera: hìc significatur *osculum subjectionis*, scilicet illud, quod inferior superiori libat, quo se in potestate illius esse testatur, simulque fidem et observantiam profitetur. Ita Pharao, quum rebus regni sui praeficeret Josephum, dixit ei, *Tu eris super domum meam, et super os tuum osculabitur universitas po-*

puli mei. *Genes.* 41. *v.* 40. ac si dicat, universus populus jussa tua et imperium sponte et peramanter suscipiet: osculum enim est amoris signum, quale ipsemet Josephus dedit, quando *osculatus est omnes fratres suos*. *Genes.* 45. *v.* 15. nec non David et Jehonathan, quando *osculati sunt se mutuò*. 1. *Sam.* 20. *v.* 41. Hoc pariter modo subjectionem suam significavit Samuel, quando, post effusam lenticulam olei super caput Sauli, *osculatus est eum*. 1. *Sam.* 10. *v.* 1. Tale osculum, Patris aeterni Filio libandum, nunc praedicti reges aliis regibus inculcant, tanquam modum *colendi Dominum* per Regem Messiam, qui ad hoc a Patre missus est in mundum, ut homines generaliter omnes, praesertim verò reges, qui sibi subjectis exemplo esse debent, sincerè eum ament ut Mediatorem apud ipsum, piè venerentur ut Magistrum, eique hilariter prompteque obsequantur ut Regi; et sic in se suscipiant Regnum Coelorum. Variae autem sunt corporis partes, quibus oscula feruntur, os, genae, frons, totumque caput, manus, humeri, genua, pedes etc. quarum tamen nulla hic memoratur, quia osculo significatur simpliciter honor et obedientia. Super hoc argumento legendi sunt Martinus Kempius in *Oper. de Osculis Dissert.* 9. Justus Lipsius *Lib.* 2. *Elector. cap.* 6. et Fortunatus Scacchius *Myrothec.* 3. *cap.* 35.

Quoad vocem בר *Filium*, certa quidem est ejus significatio, sed non ita ejus derivatio, neque derivationis ratio. Quia prima littera *Beth*, quando vox crescit a fine, amittit propriam vocalem *Patàch*, et assumit *Shevà*, ut videmus in בְּרִי *Fili mi*, *Prov.* 31. *v.* 2. hinc manifestè patet, ejus radicem esse ברה, quae, auctore Wilmeto in *Lex Arab.* propriè notat, *rasit*, *trivit*, *asciavit*, dein *nitidavit*, *polivit*.

Hinc בר mihi est *nitidus*, et metaphoricè *illustris*, appellativum nempe nomen filiis Regum et Principum dari solitum, ut ἀγλαὸς apud Graecos, quod Homerus, fidissimus Ebraicarum phrasium interpres, vetustiorumque morum promus condus, suis Heroibus frequenter tribuit. Sic Eurypylus dicitur *Evaemonis* ἀγλαὸς *illustris filius*. *Iliad*. 5. *v*. 79. et *Iliad*. 11. *v*. 574. Pandarus *Lycaonis* ἀλγαὸς *illustris filius*. *cit. loc. v*. 95. 101. Antilochus *Nestoris* ἀγλαὸς *illustris filius*. *Iliad*. 10. *v*. 196. et *Iliad*. 23. *v*. 302. Periphantem appellat *Ochesii* ἀγλαὸν *illustrem filium*. *Iliad*. 5. *v*. 843. Clitum *Pisenoris* ἀλγαὸν *illustrem filium*. *Iliad*. 15. *v*. 445 Laodamantem *Antenoris* ἀλγαὸν *illustrem filium*. *cit. loc. v*. 517. Eudorum, e Mercurio et Polymela natum, ἀγλαὸν *illustrem filium*. *Iliad*. 16. *v*. 185. quibus in locis de Principum et Deorum natis sermo est. Similiter et Ebraicum nomen בר usurpatur hoc loco de Messia, aeterni Regis Filio; et *Prov*. 31. *v*. 2. usurpatur de Salomone, Regis Davidis filio; nec alibi in Ebraicis Bibliis occurrit: in Caldaicis verò et Syriacis frequentissimè. Dum igitur ajunt, *Osculamini* בר, perinde est, ac si Graecè dixissent τὸν Ἀγλαὸν, *Illustrem*, nempe Filium Regis aeterni, quo *nil majus generatur*, quamverissimè diceret Horatius (*Lib*. 1. *Od*. 12. *v*. 17.) Huic derivationi nominis בר ex radice ברה in allata significatione non parum ponderis addit cognata radix ברר *purus fuit*: hujusmodi enim radices, ut ajunt Grammatici, significationem frequenter mutuantur abinvicem, et etiam una pro altera adhibetur.

ne forte יאנף *irascatur*, propriè *vehementius spiret*, uti fit in ira, et hinc fiat quod sequitur, *et pereatis in via*, clavâ contriti, et dispersi ut vas figuli, antequam vitae metam hominibus constitutam attinga-

tis, qui est maledictionis effectus. Virgiliana phrasi reddes, *pereatis ante diem*. *Aeneid.* 4. *v.* 620. confer notata ad *Ps.* 1. *v.* 6. Huic loco pulchrè aptatur dictum Pindari *Pyth. Od.* 3. *v.* 20. *seqq.*

χόλος
Δ' ἐκ ἀλίθιος
Γίνεται παίδων Διός.

Ira
Enim non vana
Est filiorum Jovis.

quia accenditur ut exiguum nasus ejus, sensus vocis כמעט, quam reddidi *ut exiguum*, Italicè *per poco*, non satis liquidus est penes Interpretes, sed liquidò, ut mihi quidam videtur, fluit ex voce ὀλίγα, *exigua*, totoque loco Euripidis in *Medea* *v.* 119. *seqq.* ubi Nutrix ait:

Δεινὰ τυράννων λήματα. καί πως
'Ολίγ' ἀρχόμενοι, πολλὰ κρατοῦντες,
Χαλεπῶς ὀργὰς μεταβάλλουσι.

Saevi sunt *tyrannorum* (principum) *spiritus: et quodammodo*
Exigua incipientes, multa retinentes,
Difficulter iras animo-mutato-deponunt.

Istic verba, *Exigua incipientes*, valent, *exigua initia habentes*, seu *ex levi caussa initium capientes:* altera, *multa retinentes*, valent, *per multa tempora*, et adverbialiter, *multùm, diu retinentes*. Luculentiorem verò rationem hujusce rei dat Ulysses apud Homerum *Iliad.* 2. *v.* 196. *seq.*

Θυμὸς δὲ μέγας ἐςὶ διοτρεφέος βασιλῆος.
Τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐςι, φιλεῖ δέ ἑ μητίετα Ζεύς.

Ira enim magna est regis alumni-Jovis:
Siquidem honor regis *ex Jove est, et amat eum prudens Jupiter.*

Confer et *Iliad.* 1. *v.* 80. *seqq.* et ibi Eustathium.

Rex autem noster unctus est a Deo vero, ab eo amatur quà Filius, et in possessionem universorum missus est. *vv.* 6. 7. 8. Jure igitur, pro humano loquendi modo, dicitur Rex Messias irasci ob exiguas etiam defectiones.

Nanninga in *Sylloge Dissert. Philolog. pag.* 919. derivat vocem מעטה in Jechizkiele *cap.* 21. *v.* 20. *al.* 15. ex radice מעט, quae, ut ipse statuit, apud Arabes propriè notat *radere*, *deradere*, ut quid *glabrum* ac *nitidum* fiat; deinde *pag.* 920. subjungit: Apud Hebraeos non contemnenda hujus notionis *radendi*, *deradendi*, vestigia supersunt. Sic מעט *parum*, *paucum*, propriè est *ramentum*, id quod *deraditur*, quo sensu occurrit *Prov.* 10. *v.* 20. *Argentum lectissimum est lingua justi: cor improborum* כמעט *instar ramenti*. Unde dein pro eo, quod *paucum* atque *exile* est, ponitur. Si haec firmo nituntur fundamento, videant Critici, an locus hic noster verti possit, *quia accenditur* כמעט *ut ramentum nasus ejus*, videlicet ut res tenuissima, e rasura lignorum decidens, quae, vix ignem odorata est, flammam concipit.

beatitudines universitatis confidentium in eo, epiphonema, quo praedicti reges, aut etiam Vates, hortationem claudunt, enunciando immensum bonorum omnium cumulum, quo potientur fruentur qui sese dociles imperio Regis Messiae submittent, et ad illum, ut Ἀλεξίκακον, et Ἀποτρόπαιον, i. e. *Averruneum*, confugient. Convenienter huic hortationi Achilles ad Minervae consilium, licèt iratus, respondet *Iliad.* 1. *v.* 218.

Ὅσκε Θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτῦ.

Quisquis Diis obtemperaverit, admodum exaudiunt ipsum.

Proprietatem verbi חסה, *confisus est*, Schultensius

ad *Haririum Cons.* 2. *pag.* 58. et *Cons.* 6. *pag.* 182. *seqq.* deducit ex Arabico participio חושיה, quo substantivè sumpto significatur *limbus*, *ora vestis*, dein *umbra*, *protectio*, ab *expansione vestis* super clientes, ac si dicat, *laciniâ vestis apprehensâ se in alicujus clientelam et tutelam tradidit:* qui mos viget apud Orientales, ut videre est in historia Ruthae, dum haec ait Boazo, *Expande oram vestis tuae super ancillam tuam*. *Ruth* 2. *v.* 9. Vide amplius apud Schultensium *cc. ll.* De constructione autem participii חוסי cum particula *Beth* Schroederus *Grammat. Hebr. pag.* 231. statuit hanc regulam » Ea forma, quam habent nomina in regimine posita, interdum etiam extra regimen usurpatur, quando nomen alia quadam construendi ratione arctius conjungitur cum voce sequente. Id fieri potest I. intercedente particula vel inseparabili, vel separata » et inter exempla citat hunc locum.

Ebraei recentiores accipiunt hunc Psalmum tanquam a Davide de se ipso compositum, et verba, quae extant *vers.* 3. accipiunt ut a regibus et consiliariis praesertim Philistaeorum prolata: qui quum audivissent, Davidem jussum esse Regem in Israele, bellum intulerunt ei, 2. *Sam.* 5. *v.* 17. ut *vincula* et *funes* eorum disrumperent, summam nempe Israelitarum consensionem in recipiendo rege Davide: ita Jarchius et Kimchius ad *hunc Psalm.* Verùm antiquiores, iisdem Rabbinis testibus, acceperunt de Rege Messia: Jarchius enim, prout ejus verba ad *vers.* 1. restituit supplevitque ex integris Codicibus Pocockius in *Not. Miscell. cap.* 8. *pr. pag.* 303. ita commentatur et confitetur: רבותינו דרשו את הענין על מלך המשיח ולפי משמעו ולתשובת המינים נכון לפתרו על דוד עצמו · *Doctores nostri exposuerunt sensum hujus Psalmi de Rege Messia: at, juxta sensum*

ejus litteralem, et ut respondeatur Minaeis, (haereticis, i. e. Christianis) *rectius est interpretari eum de ipsomet Davide*. Item Kimchius in *fin. Comment. ad h. Ps.* ויש מפרשים זה המזמור על גוג ומגוג והמשיח הוא מלך המשיח וכן פירשו רבותינו ז"ל ומבואר זה המזמור על זה הדרך אבל הקרוב הוא כי אמרו דוד על עצמו כמו שפירשנו *Sunt qui interpretantur Psalmum istum de Gog et Magog, estque Messias Rex Messias; atque ita exposuerunt Doctores nostri f. r. et est perspicuus Psalmus iste juxta hanc expositionem: at vero propius est, quòd dixerit eum David de se ipso, uti nos exposuimus.* Vide et quae Pocockius notat *d. cap.* 8. *per tot.* Doctores, ad quos Rabbini isti provocant, forsitan sunt ii, de quibus dicitur in *Tract. Talmud. Succà fol.* 52. *a circa med.* תנו רבנן משיח בן דוד שעתיד להגלות במהרה בימינו אומר לו הקדוש ברוך הוא שאל ממני דבר ואתן לך שנאמר אספרה אל חק ..... אני ילדתיך שאל ממני ואתנה גוים נחלתך *Tradunt Magistri nostri: Deus sanctus benedictus dicet Messiae Filio Davidis, qui citò in diebus nostris revelabitur: Pete a me quidpiam, et dabo tibi, ut dictum est*. Narrabo decretum Domini ..... ego hodie genui te. Postula a me, et dabo gentes haereditatem tuam etc. *Ps.* 2. *v.* 7. 8. Confer *Matth. cap.* 26. *v.* 63. et *Jo. cap.* 1. *v.* 49.

PSALMUS III.

ARGUMENTUM

David pressus exercitu Absalomi, ob fiduciam in auxilio Numinis, nihil sibi ab illo veretur.

V. 1. Psalmus Davidis: in fugere eum a faciebus Absalomi filii sui.

2. Domine quàm multi facti sunt hostes mei! multi insurgentes adversus me!

3. Multi dicentes animae meae, Non est omnimoda salus ei in Deo Sèlah.

4. Sed tu Domine clypeus circa me: gloria mea, et elevans caput meum.

5. Voce mea ad Dominum clamabo: et exaudivit me de monte Sanctitatis suae Sèlah.

6. Ego recubui, et dormivi evigilavi: quia Dominus fulciet me.

7. Non timebo a myriadibus populi: quae circum posuerint contra me.

8. Surge Domine, serva me Deus meus, nam percussisti omnes inimicos meos maxillam: dentes improborum confregisti.

9. Domino salus: super populum tuum benedictio tua Sèlah.

COMMENTARIUS

V. 1. *Psalmus,* מזמור *canticum membris suis incisum,* a radice זמר *secuit, incidit:* in Pièl *incidit*

pec. *sonos, cecinit voce*, vel *instrumento;* dein *canendo celebravit, psallit*.

לדוד *Davidis*, praefixum Lamed signat *auctorem* cantici.

in fugere eum (quum fugeret) *a faciebus Absalomi*, historia hujus fugae narratur 2. *Sam. cap.* 15. *seqq*.

V. 2. *Multi insurgentes*, quàm multi sunt insurgentes: de verbo קום dicetur infra *v*. 8.

V. 3. *Multi* sunt *dicentes animae meae*, h. e. mihi, seu de me: nec minus multi sunt, qui propter tantam multitudinem hostium, in diem insurgentium contra me, vulgò dictitant, Numen aversum esse a me, adeoque actum esse de me; et hoc est, *non est omnimoda salus ei in Deo*. ישועתה est nomen ישועה, cujus ה propter alterum ה intensivum, versum est in ת: volunt dicere, nulla omnino salus, vel auxilium est ei in Deo: sic alibi dicunt, *Deus dereliquit eum: persequimini et comprehendite eum, quia non est eruens*. *Ps*. 71. *v*. 11.

Selah, desperata videtur hujusce vocis סלה pervestigatio, ita ut quid non sit potius, quàm quid sit, statuere liceat. Michaelis in *Supplementa ad Lexica Hebraica*, post relatas aliorum sententias, eò inclinat, ut existimet, esse compendium scriptionis ignotum, litteris initialibus, vel etiam aliis, pro integris vocibus, positis. Sed, quum non aliis exemplis e sacro Textu petitis opinionem suam confirmet, vereor, ut tutum sit inniti ei. Mihi prae caeteris arridet sententia Maii apud Stockium in *Clav. Ling. San*. qui derivat ex Arabica radice כלה, *liquidus, defaecatus fuit:* metaphoricè *tranquillo contentoque animo fuit*, *levatus* anxio amore, vel moerore, ut in *Amralkeisi Moallaka v*. 42.

תסלח *Defaecantur caecitates virorum ab amore juvenili.*

videl. levantur, tranquilli fiunt insipientes. Hinc סלוה vel סלה *animi securitas,* qua in Deo ejusque verbo planè acquiescimus: quo sensu convenit cum Ebraico verbo שלה, *tranquillus fuit, quievit,* unde, auctore Schultensio *Lib.* 1. *Orig. cap.* 3. §. 40. nomen Messiae שילה *Shiloh*, i. e. *Eliquator*, utpote qui turbata omnia et confusa ad *liquidissimam* iterum et *defaecatissimam tranquillitatem pacemque* revocavit; fuit enim *Princeps pacis. Jes.* 9. *v.* 5. Nimirum est vox, qua, post narratam rem tristem, quam deprecamur, vel laetam, quam expetimus, quave laetamur, exclamamus, adprecamurque, *utinum ne id fiat,* vel cum Terentio in *Andr. Act.* 3. *Sc.* 3. *v.* 36. *quod Dii prohibeant,* vel cum Cicerone *Lib.* 9. *Epist.* 2. *ad Att. Dii averruncent,* per quemdam veluti euphemismum: aut e contrario, *utinam id fiat, ita sit,* vel cum Terentio in *Heautontimor. Act. I. Sc.* 1. *v.* 109. *Utinam id Dii faxint:* ac si dicamus, *Tranquillitas sit* per hujus rei successum, vel per ejus aversionem. Sed pro hac explanatione non decerto. Quoad formam imitatur, uti suspicor, nomina נכה *Ps.* 4. *v.* 7. et חגה *Ps.* 8. *v.* 2. habet autem Segòl pro Shevà sub Sàmec, quia fere semper occurrit in fine periodi, ubi est Sillùk, qui mutat Shevà in Segol. In tribus locis *Ps.* 57. *v.* 4. *Chabak.* 3. *v.* 3. 9. in quibus medium periodi tenet, habet Athnàch, qui pariter mutat Shevà in Segòl: semel tantùm est citra finem aut medium periodi, et consequenter absque Sillùk, aut Athnàch, nempe *Ps.* 55. *v.* 20. at ibi est vox penacuta ob accentum Merca mahpachatum. Sed quaerenda tutiora. In Psalmis occurrit septuagies et semel, ter in Chabakuko *d. cap.* 3. *v.* 3. 9. 13. neq alibi reperitur,

Interpretes Graeci ubique reddunt per διάψαλμα, quam vocem Suidas interpretatur μέλους ἀναλλαγή, *melodiae*, seu *cantus*, *modulationisve immutatio*. Latinus omittit.

V. 4. *Sed tu Domine clypeus circa me*, nomen מגן *clypeus*, *scutum*, quo pugnator se *protegit ac defendit*, metaphoricè Deo tributum indicat ipsius *protectionem* et *praesidium* contra impetum hostium, ut hìc, et *Genes.* 15. *v.* 1. ubi Deus dicit Abramo, *Ego clypeus tibi*. Latini quoque translatè *clypeum* ponunt pro *tutela*, *praesidio*, et *munimine*, ut Claudianus de *IV. Consul. Honor. v.* 432. *seq.*

quem fratribus ipse
Discedens clypeum defensoremque dedisti.

nempe Stilichonem: et L. Florus de Fabio Cunctatore, *Hinc illud ex populo, ut Imperii scutum vocaretur. Lib.* 2. *cap.* 6. *sect.* 27. Similiter Homerus vocat ἕρκος, *septum*, *vallum*, non solùm omne id, quo tutamur nos contra lanceas, gladios, tela, et omne periculum, uti *laminam* thoracis *Iliad.* 4. *v.* 137. ipsumque adeo *scutum Iliad.* 15. *v.* 645. *seq.* sed et *inclytos bellatores*, qui aliis praesidio ac defensioni sunt, ut Achillem *Iliad.* 1. *v.* 284. et Ajacem *Iliad.* 7. *v.* 211. Confer notata ad *Ps.* 49. *v.* 15. super vocabulo *Rupes*. Isthaec metaphora fluxit ab Orientalibus, qui *Principes* et *Magnates*, quorum est subditos a vi injusta protegere et defendere, *clypeorum* titulo exornant, ut *Ps.* 84. *v.* 10. *Clypeum nostrum vide Deus*, nempe Regem, ut in altero hemistichio explicatur, *et respice facies Uncti tui*. et alibi, *Etenim Dominus clypeus noster: et Sanctus Israelis Rex noster*. *Ps.* 89. *v.* 19.

circa me, pro prima significatione vocis בְּעַד vel בַּעַד Lexicographi ponunt *post*, tanquam a nomine Arabico בער *bàadon*, *tergum*, *dorsum*, et in Accusati-

vo, adverbialiter, *post, postea;* ideoque, auctorë Jo. Andrea Danzio in *Interpres Ebraeo-Chaldaeus cap.* 4. §. 143. *not. n et* §. 169. *not. t.* ב radicale est, quum vocula עד, ex qua et praefixo ב multi hanc nostram compositam faciunt, praepositiones sibi praemissas non agnoscat. Caeterae ejus notiones, *circum, circa: pro: per: in, ad. etc.* secundariae sunt: adi Tympium in *notatis ad Noldium super hac partic pr.* Sane, inspecto Psalmi argumento, quod est de fuga Davidis, commodè verti potest etiam *post me,* quasi dicat, clypeus es mihi ad propulsanda pericula, quae a tergo imminent, dum ab hostibus me fuga proripere conor.

gloria mea, Homerus non uno in loco κλέος *gloriam* opponit πένθει *luctui*. *Iliad.* 4. *v.* 197. et inferius *vv.* 415. 417. idem facit hìc David, dum pro certa habens cessationem a luctu ob hostium insectationem, et populi maledicta, Dominum vocat *gloriam suam:* nec frustra fuit; nam profligato exercitu Absalomi 2. *Sam.* 18. *v.* 6. *seqq.* in pristinum *suae gloriae* statum restitutus est.

et elevans caput meum, in moerore caput naturaliter demittere solemus, id quod Graecis dicitur κατηφεῖν, *esse vultu demisso prae tristitia et pudore,* nec non κατηφιᾶν, *recto vultu intueri non audere prae pudore,* unde nomen κατήφεια, *vultus demissio:* sic Hector Paridi, qui duellum cum Menelao vitaverat, inter exprobrandum dicit *Iliad.* 3. *v.* 51.

Δυσμενέσιν μὲν χάρμα, κατηφείην δέ σοι αὐτῷ
Inimicis quidem gaudium, vultus autem demissionem tibi ipsi,

nempe afferes. Idem Hector quum hastam irritam jecisset, nec jam haberet aliam, qua se defenderet ab Achille, Στῆ δὲ κατηφήσας, *stetit vultu demisso*.

Iliad. 22. *v.* 293. Sarpedon a Patroclo lethaliter vulneratus inter spirandum dicit Glauco *Iliad.* 16. *v.* 498.

Σοὶ γὰρ ἐγὼ καὶ ἔπειτα κατηφείη καὶ ὄνειδος.

Tibi enim ego etiam posthac vultus-demissio et opprobrium ero.

Caesar de Sequanis coram se stantibus cum aliis dicit, *tristes, capite demisso, terram intueri. Lib.* 1. *de B. G. cap.* 32. Quando autem moerori laetitia, timori fiducia, periculo securitas succedunt, tum recreati caput erigere solemus, uti de vera libertate Tullius ait: *ubi illa antiqua libertas, quae malis oppressa civilibus extollere jam caput, et aliquando recreata, se erigere debeat? pro Planc. cap.* 13. Confer notata ad *Genes.* 4. *v.* 7. David igitur, qui domesticis et civilibus malis oppressus vultum dejecerat, ope divina suffultus, se caput erecturum esse certò confidit.

V. 5. *Voce mea ad Dominum clamabo*, connexio hujus cum superiori versu ita se habet: Quum Dominus certo certius sit mihi clypeus et gloria, inde fiet, ut, statim ac ad eum clamavero, exaudiat me, imo exauditione praeveniat clamorem meum; et idcirco cum verbo futuro *clamabo* conjungit verbum praeteritum *exaudivit me*. Sensus hujusce versus concinit cum illo, *De angustia invocavi Dominum, exaudivit me in latitudine Dominus. Ps.* 118. *v.* 5. videlicet in ipso invocationis momento ego extractus de angustia versabar in loco spatioso, quia jam exaudiverat me.

de monte sanctitatis tuae, ad quem conversus clamabo: intelligit montem, ubi tunc erat Arca et Propitiatorium, sedes Divinae Majestatis inter homines, quò inter orandum respiciebant *Dan.* 6. *v.* 11. Adde notata ad *Ps.* 2. *v.* 6. Eumdem morem imi-

tatur Agamemnon, qui, dum orat, faciem convertit ad montem Idam *Iliad.* 3. *v.* 276.

Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων. κ. τ. λ.

Jupiter pater, ex Ida imperans etc.

et ita caeteri Achivi et Trojani. *cit. loc. v.* 320. Hinc pariter Mochammedani sese convertunt ad delubrum Maccanum, quod ob id dictum est קבלה *Kebla*, i. e. *conversio,* seu *locus conversionis,* in *Al-Kor. Sur.* 2. *v.* 143. ubi vidi Marraccium.

V. 6. *Ego recubui,* magnum securitatis argumentum, quo non aliud majus: tantùm abest, ut in mediis periculis consternatus sim, ne dum desperaverim, quin potius omni vacuus cura, recubui dormiturus.

et dormivi evigilavi, quumque justum somni pensum dormivissem, sponte mea evigilavi, nullis expergefactus tristibus insomniis: etenim qui curis agitati recumbunt, hi, si forte sopiuntur, quietem implacidam, h. e. somniis interruptam, habent, uti de se ait Dido 4. *Aeneid. v.* 9.

Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent!

quia Dominus fulciet me, quia, quum recumberem dormiendi gratia, certus eram, Dominum fulturum me, i. e. fore mihi columen et tutamen contra hostium aggressiones, quemadmodum Pindarus *Olymp. Od.* 2. *v.* 12. Theronem appellat Ἔρεισμ' Ἀκράγαντος, *Fulcrum Agrigenti:* nimirum, ut explicat Scholiastes, τείχισμα, *munimentum, propugnaculum,* et confert cum Homerica phrasi ἕρκος Ἀχαιῶν, *septum Achivorum,* de qua supra *v.* 4.

V. 7. *Non timebo a myriadibus populi,* עם hìc est exercitus militum, ut in isto loco עמך *Populus tuus spontaneitates in die strenuitatis tuae. Ps.* 110. *v.* 3. Numinis protectione munitus nullo timore afficiar, quamvis myriades militum, *circum* me glo-

meratae, (juxta phrasin Virgilii, *Quem circum glomerati hostes, Lib.* 9. *v.* 440.) se *posuerint*, h. e. in aciem se disposuerint, *contra me;* immo manùs *posuerint super me:* utrumque enim sensum recipit verbum שׁית.

V. 8. *Surge Domine*, verbum קום usurpatur in re militari de *infesto aggressore, qui ad aliquem invadendum et opprimendum eum impetu se accingit;* ut supra *vers.* 2. pariter adhibetur de *propugnatore et vindice, qui ad defensandos oppressos, et propulsandos invasores, animosè et strenuè se parat:* quo sensu apud Homerum occurrit verbum ὄρσεο, vel ὄρσευ, *surge*. David igitur Deo unicè fretus, rogat eum in re trepida, ut exsurgat, seque propugnatorem et vindicem praebeat, *serva me, Deus meus.*

nam percussisti omnes inimicos meos maxillam, urget ab exemplo, ac si dicat, quum aliàs hostes meos percusseris, planèque confeceris, ita et nunc percutias. Dum novis pressi calamitatibus, suppetias a Deo imploramus, commemorare solemus jam ante recepta beneficia: sic Aeneas in precatione ad Apollinem dicit 6. *Aeneid. v.* 56. *seqq.*

Phoebe, graves Trojae semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Aeacidae, magnas obeuntia terras
Tot maria intravi duce te, penitusque repostas
Massylum gentes, praetentaque syrtibus arva,
Jam tandem Italiae fugientis prendimus oras:
Hàc Trojana tenus fuerit fortuna sequuta.

Percussio in *genis*, seu *maxillis*, quia hae sunt venustatis sedes, et ad ostendendum amorem contrectantur, praeter dolorem, conjunctam habet injuriam et contemptum: sic perfidi Judaei Christo Domino insultantes, *inspuerunt in faciem ejus, et colaphis ceciderunt eum: alii autem plana palma*

feriebant. *Matth*. 26. *v*. 67. Apud Plautum in *Asinaria Act*. 2. *Sc*. 2. *v*. 104. Leonida dicit Libano,

.... *pugno malam si tibi percussero*.

dentes improborum confregisti, dentium quoque confractio, praeter sensum doloris, est inter gravissimas injurias, uti queritur Sannio apud Terentium in *Adelphis Act*. 2. *Sc*. 2. *v*. 36.

.... *omnes dentes labefecit mihi*.

De pudore ex percussione in maxillis et ex confractione dentium Juvenalis *Sat*. 16. *v*. 9. *seqq*.

.... *immo, et si pulsetur, dissimulet, nec*
Audeat excussos Praetori ostendere dentes,
Et nigram in facie tumidis livoribus offam.

Confer 1. *Reg*. 22. *v*. 24. *Mich*. 4. *v*. 14.

V. 9. *Domino salus*, Domino tantùm accepta referenda est salus, utpote qui solus est salutis auctor: vel praefixum ל stat pro ב *in*, de quo usu vide Noldium ad *d. Partic*. ל §. 18. nempe *in Domino* est *solus*, ut in Apostolorum Actis ait Petrus, Καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία, *Et non est in alio quopiam salus*. *Cap*. 4. *v*. 12. In illo autem salus esse dicitur, qui alteri salutem dare potest: ita Xerxes, quum in summo vitae discrimine versaretur ob tempestatem, nisi vectores, navis levandae gratia, in mare desilirent, his ad id dispositis ait, ἐν ὑμῖν γὰρ ἔοικεν ἐμοὶ εἶναι ἡ σωτηρία, *in vobis enim videtur mihi sita esse salus*. *Herod*. *Lib*. 8. *cap*. 118. Pro hac universali opinione etiam Dii gentilium appellantur Σωτῆρες, *Servatores*, ut Jovis apud Pindarum *Olymp*. *Od*. 5. *v*. 39.

Σωτὴρ ὑψινεφὲς Ζεῦ.
Servator, qui es in altis nubibus, Jupiter.

super populum tuum sit *benedictio tua*, i. e. gratia, et favor.

PSALMUS IV.

ARGUMENTUM

Quidam faciunt hunc Psalmum ejusdem argumenti cum praecedenti: alii verò probabilius cum Lightfooto in Chronica temporum V. T. Tom. I. Opp. pag. 67. *accipiunt de rebellione Sebae, de qua* 2. Sam. 20. *sermo fit: exprobrat enim David populo, quòd regnum suum sprevissent, et attendissent ad regnum, quod non erat, nisi vanitas, ut illud Absalomi. Postremò gratias Deo agit de perduellium reditu ad officium.*

V. 1. PRAEFECTO in pulsatilibus, Psalmus Davidis.

2. In clamare me Exaudi me Deus justitiae meae, in angustia dilatasti mihi: miserere mei, et exaudi orationem meam.

3. Filii viri usquequo gloriam meam in ignominiam amabitis vanitatem: quaeretis mendacium?

4. Et scitote, quòd separavit Dominus pium sibi: Dominus audiet, in clamare me ad eum.

5. Irascimini, verùm ne peccatis, dicite in corde vestro in cubili vestro, et silete Sèlah.

6. Sacrificate sacrificia justitiae: et confidite in Domino.

7. Multi dicentes Quis videre faciet nos

suavitatem odoris super nos? Lux facierum tuarum Domine.

8. Dedisti laetitiam in corde meo: prae tempore *quo* frumentum eorum et mustum eorum multa fuerunt.

9. In pace simul accumbam et dormiam, quia tu Domine utique solus: in fiducia sedere facies me.

COMMENTARIUS

V. 1. *Praefecto,* verbum נצח, Ebraeis in Kal inusitatum, Arabibus valet, *purus putus, sincerus fuit*, et transitivè *depuravit:* a *puritate* et *limpiditate* physica dicitur et moralis, nempe *sinceritas, veritas, fides;* et ab ista succreavit Ebraeis altera potestas in Piël, *sincerum se gessit, praefuit fideliter muneri*, vel *operi*. Hinc est nostrum participium, מנצח, *Praefectus*, specialiter musices, *Choragus*, in Psalmorum titulis, cujus fidei negotium musices commissum erat, ut pro munere suo cantantes dirigeret, eosque, si forte declinarent a tenore, in viam reduceret; ac si dicas, *sincerè et fideliter se gerens:* nostratibus est *il Maestro di Cappella*. Denominationem hujusce praefecturae a primigenia vi thematis נצח luculentissimè ostendit summa illa veneratio, qua periti musices antiquitus gaudebant, uti testatur Athenaeus: Σῶφρον δέ τι ἦν τὸ τῶν ἀοιδῶν γένος, καὶ φιλοσόφων διάθεσιν ἐπέχον. *Probi quid erat cantorum genus, et philosophorum dispositionem habens. Lib.* 1. *Deipnosoph. pag.* 14. *edit.* 1598. Hac de caussa, ut idem Auctor narrare prosequitur, discedens Agamemnon uxori Clytaemnestrae cantorem reliquit custodem et monitorem, qui pri-

mùm laudes foeminarum prosequeretur, exemploque illarum honesti ac boni desiderium excitaret; deinde suae consuetudinis ac praesentiae jucunditate ab improbis cogitationibus averteret. Itaque non prius mulierem stupravit Aegisthus, quàm in insula deserta quadam cantorem occidisset. Vide Feithium *Lib.* 4. *Antiq. Homer. Cap.* 4. §. 6. et quae uberius notamus ad titulum Psalmi sequentis V. Altera vox בנגינות *binginòth*, propereaquod in inscriptione Psalmi VI. post eam additur *super Hasshemiǹith*, quod est, ut videbimus ad titulum Psalmi sequentis, initium veteris cantilenae, cujus ad numeros ille Psalmus cantandus erat, accipienda esse videtur de *instrumentis musicis pulsatilibus*, quae scilicet vel plectris, seu bacillis pulsantur, ut tympana, cymbala etc. vel digitis tanguntur, ut cythara, psalterium etc. vide Jo. Gottlob Carpzovium in *Introduct. ad Lib. Bibl. V. T. Part. II. Cap.* 3. §. 8. vel etiam de *modulationibus*, quae fiunt *pulsatione* instrumentorum musicorum pro ratione suae radicis נגן *nagàn*, *pulsavit*, propriè instrumentum musicum. Itaque *Praefectus in neginòth* dicitur is, qui praeest *modulationibus* cum instrumentis musicis pulsatilibus, vel *instrumentis ipsis pulsatilibus*, idque congruentius: nam נגינה *neginà* est formae participii paìl passivi, *pulsatum. Plura* dabit Gatakerus *Lib.* 1. *Miscell. Cap.* 10.

V. 2. *In clamare me*, quum aliàs ad te clamarem, inquiens, *Exaudi me Deus justitiae meae*, nempe o qui es Judex justitiae meae in caussa cum adversariis meis, (etenim reges judicio Dei, ut alibi dicimus, immediatè subsunt) *in angustia dilatasti mihi*, ex angustia, in qua premebar ab hostibus meis, in amplum locum extraxisti me. De commemoratione beneficiorum jam receptorum, dum

nova poscimus, vide locum Virgilii adductum ad *Ps. sup. v.* 8.

miserere mei, et exaudi orationem meam, tu, inquam, qui aliàs mei misertus, compotem voti effecisti, nunc etiam miserere, ratamque habe deprecationem meam.

V. 3. *Filii viri usquequo gloriam meam in ignominiam amabitis vanitatem*, modò dirigens orationem ad rebelles, ait, Quousque rem vanam expetetis, nempe dignitatem meam regalem in ignominiam vertere? Cum voce כבוד *gloria* confer Homericum κῦδος, *Iliad.* 1. *v.* 179. prout explicamus ad *Ps.* 110. *v.* 2. Ebraeis *filii viri* sunt nobiles, magnates, et principes: *filii hominis* sunt vulgares, et plebeii.

quaeretis mendacium, כזב significat quidquid speratam rem non praestat. Repetitio ejusdem sententiae.

V. 4. *Et scitote, quòd separavit Dominus pium sibi*, en ratio superioris incusationis: quandoquidem ipsemet Deus me σπουδαῖον, sibi officiosum, mirè distinguens ab aliis, jussit regem, et sic elegit sibi in interioris admissionis ministrum, id pro certo habete, me, quoties in tribulatione positus ad eum clamavero, exauditum iri; ideoque vestra consilia de me amovendo irrita fient. Radix פלה propriè valet *fidit;* dein ita *separavit, distinxit*, ut discrimen inter rem et rem constituatur, prorsus ut Graecum verbum ἀφορίζω apud Paulum, qui de se dicit, *Sed quando placuit Deo,* ὁ ἀφορίσας *qui separavit me ab utero matris meae etc. ad Galat.* 1. *v.* 15. *et* ita *peculiarem sibi fecit.*

V. 5. *Irascimini*, verbum רגז notat quamcumque *commotionem* ex qualibet caussa: hìc signat *commotionem ex ira*. Sensum hujusce versus sic enarro:

Si quid querimoniae adversus me habere vos existimatis, *irascimini* in me, *verùm ne peccatis*, palam et publicè obloquendo, et conspirationem agitando: quae vos contra me animus dicere impellit, *dicite in corde vestro*, non in publicis locis, neque in populi frequentia; idque, dum estis *in cubili vestro*, ubi nullus adsit: *et silete*, ibi quoque apprimè cavete quidquam ore proferre, vel saltem ita submissè, ut silere videamini. Hac de re extat Legis mandatum: *Deos* (Judices) *non vilipendes: et Principi in populo tuo non maledices. Exod.* 22. *v.* 28.

V. 6. *Sacrificate sacrificia justitiae*, nunc hortatur rebelles ad resipiscentiam, et ad expiationem culpae, per oblationem illorum sacrificiorum, quae sola apta sunt ad tollendum perduellionis reatum, praestando scilicet officia, quae justitia praecipiuntur. Quum Deus, inquit David, elegerit me in regem super vos, justitia (quid enim justius est, quàm obsequi Deo?) exigit a vobis, ut sitis meo imperio subjecti: hanc igitur spontaneam subjectionem illi offerte tanquam sacrificium expiatorium criminis vestri.

et confidite in Domino, sacrificia comitari debet certa fiducia obtinendi ea, quorum caussa offeruntur, quaeque in precatione inter sacrificandum verbis enunciantur. Scopus horum sacrificiorum erat, ut dixi, venia defectionis.

V. 7. *Multi* sunt *dicentes*, ad hortationem Davidis subita poenitentia ducti rebelles, jussa offerunt sacrificia, quibus peractis, in sacrificiali veluti convivio sic inter sese publicè colloquentes inducuntur: *Quis videre faciet nos* (ostendet nobis) *suavitatem odoris super nos?* quae aenigmatica loquutio sumpta est ex verbis Itzchaki inter benedi-

cendum Jaakobo, *Vide odorem filii mei. Genes.* 27. *v.* 27. Istic Itzchakus odoratus odorem vestimentorum Jaakobi, et fragrantiae irritamentis recreatus, roboratus, exhilaratus, benedicit ei: hìc perduelles, qui jam ad officium inclinabant, optant, ut ipsorum quispiam praedicet inter ipsos, *Videte suavitatem odoris super nos,* vel *Ecce suavitas odoris super nos;* ea scilicet odoris suavitas, quam Dominus in oblatione munerum odorans, ejus veluti stimulis ad clementiam illectus, cessat ab ira. Confer quae notantur in *Lexico* Simonis ad vocem ניחוח. Pro confirmatione hujus interpretamenti animadverto, quòd in *sacrificiis justitiae,* quae *vers. sup.* praecipiuntur, hostiae sunt ipsimet homines resipiscentes *Ps.* 51. *v.* 19. et ideo rebelles, ad bonam frugem reversi, sed aliquantisper dubii de receptione in gratiam, cupiunt ejus rei certiores fieri hoc modo, ut quispiam praedicet, ipsos esse tanquam hostias, κνίσσαν suavissimum *nidorem,* dum cremantur, ascendere facientes ad Dominum. Huc refero quod alibi David ad Saulum dicit 1. *Sam.* 26. *v.* 19. *Et nunc audiat quaeso dominus meus rex* (Saulus) *verba servi sui* (Davidis): *Si Dominus incitavit te in me,* stimulavit te ad me obtruncandum, *odoretur munus,* odoretur te, obsequentem incitamento ipsius, ut munus gratissimum, quod ei offertur. Lakemacherus *Part. X. Observat.* 6. §. 3. sic exponit hunc Samuelis locum. Votum fecerat Saulus, velle se, si quidem capere ipsi contigisset Davidem, sacrificium offerre eucharisticum, ut gratias persolveret Deo de tradito in ipsius potestatem hoste. Hoc Davides cognitum habens, alloquutus Saulum est in hanc sententiam: Si nutu atque voluntate divina me persequeris, *odoretur Deus sacrificium tuum,* fiat, precor ipse, ut

in potestatem tuam veniam, quò occasionem caussamque habeas offerendi, quod vovisti, sacrificium; sitque illud gratum Deo acceptumque » Utut haec solidissima videantur, non tamen discedo a mea sententia.

Nonnihil notandum est de dictione נסת. Ejus thema נסה Schultensio ad *Job.* 4. *v.* 2. ad *Harir. Cons.* 3. *pag.* 162. et in *Clav. Dialect. pag.* 264. idem est cum Arabico נשה, *odoratus est, olfecit*, ut in illo versu Hudeilitae, quem citat Giauharius, ונשית *Et olfeci odorem mortis ex occursu eorum*. Deinde *olfacere rem* Phiruzabadio est *iterum iterumque eam examinare* et *pertentare*, ac si dicas, *aurá naribus attractá, odoreve percepto*, aliquid *tentare, probare:* quo sensu adhibent Ebraei suum נסה in Piël, nempe *tentavit, exploravit*. Hinc interpretor nostram vocem נסת, quae est juxta formam תנת *Ps.* 8. *v.* 2. et utraque est contracta pro נסות et תנות, per *exhalationem*, seu *boni odoris auram*. Grammatici vulgò accipiunt pro Imperativo נשא, *eleva, attolle;* sed nimis coactè.

Haec autem verba, *Quis videre faciet nos suavitatem odoris super nos?* rebelles, ad officium reversi, protulerunt, ut paulo ante innuimus, tempore sacrificialis epuli, quod hìc David poeticè supponit ob commemorationem sacrificiorum, nam qui sacrificium obtulerant, ejus reliquias absumpturi, convivabantur exporrecta fronte, et in hisce conviviis, sicut et in caeteris, convivae cibos condiebant colloquiis, quae vel ingenium sapiebant, vel pietem instillabant, vel utrumque simul. Qua de re egregiè Pollux, Τῶν μέντοι συμποτικῶν, ἄινιγμα καὶ γρίφος. τὸ μὲν παιδείαν εἶχεν, ὁ δὲ γρίφος καὶ σπȣδήν. καὶ ὁ μὲν λύσας, γέρας εἶχε κρεῶν τινα περιφοράν· ὁ δὲ ἀδυνατήσας, ἅλμης ποτήριον ἐκπιεῖν. Ἐκλήθη δὲ ἀπὸ τῶν

ἁλιευτικῶν γρίφων. *Inter convivalia sunt aenigma et griphus: et illud quidem ludum, griphus autem et serium quid habebat. Qui solvisset, praemium referebat carnium quoddam ferculum: qui verò non potuerat, poculum muriae ebibere necesse habebat. Dictus est autem a griphis piscatoriis. Lib.* 6. *cap.* 19. *seg.* 107. De Graecis inter fercula philosopyari solitis ita scribit Macrobius: *Isocrates Graecus Orator, qui verba prius libera sub numeros ire primus coegit* (quomodo fiat ista coactio, docet Cicero *Lib.* 3. *de Orat. cap.* 44.) *quum in convivio a sodalibus oraretur, ut aliquid in medium de eloquentiae suae fonte proferret, hac venia deprecatus est: Quae praesens, inquit, locus et tempus exigit, ego non calleo; quae ego calleo, nec loco praesenti sunt apta nec tempori. Lib.* 7. *Saturnal. cap.* 1. Ibi modum et cancellos Orator velut definit, intra quos sermones ejusmodi eruditi continere se debent in coena. Huc spectat Opus Athenaei, *Eruditorum hominum Coenae,* in quo, ut est in Argumento, disputatur de piscium natura et usu, de vocabulorum explicatione, de olerum universo genere, animantibus omnifariam, Historiae Scriptoribus, Poetis, ac uno verbo Sapientibus, instrumentis musicis, regum opibus, navium magnitudine etc. Eamdem in rem Romani mensis Anagnostas, seu Lectores, adhibebant, et triclinia bibliothecis instruebant, ut Seneca tradit: *Plerisque ignaris etiam servilium litterarum, libri non studiorum instrumenta, sed coenationum ornamenta sunt. De Tranquill. animi cap.* 9. Adi Josephum Laurentium de *Conviv. veter. in Antiq. Graec. Graevii Tom. IX. pag.* 169. Mos proponendi aenigmata tempore convivii occurrit in historia Simsonis, qui inter convivandum sociis ait: *Proponam nunc vobis aenigma: si indicando indicaveritis*

illud mihi septem diebus convivii, et inveneritis, tunc dabo vobis triginta sindones et triginta mutationes vestium. Si verò non potueritis indicare mihi, tunc dabitis mihi triginta sindones, et triginta mutationes vestium: et dixerunt ei, Propone aenigma tuum, et audiemus illud. Dixit igitur eis, De comedente exivit cibus, et de forti egressum est dulce: *et non potuerunt indicare aenigma tribus diebus. Jud.* 14. *v.* 12. *seqq.* Ritus sacrificiorum Israelitarum breviter descriptos habes apud Joh. Gottlob Carpzovium in *Mantissa de Sacrificiis sect.* 3. *et* 4. gentilium, apud Zachariam Bogan in *Homero hebraizante pag.* 246. *seqq.* quos adi, si vacat.

lux facierum tuarum Domine, congrua responsio ad praecedentem petitionem, *Quis videre faciet nos etc.* coelitus profecta: nam post peractam rem sacram conceptasque preces, oraculum divinitus reddebatur consulentibus, si quidem Deus ratas illas habuisset. Patet id ex historia Jaakobi, qui quum proficisceretur in Aegyptum, a filio Josepho arcessitus, quia verebatur, ne medio in itinere, priusquam filium vidisset, ob gravem aetatem fatisceret, primùm se in Beèr-Sebam, locum habitatione patrum et religioso cultu nobilem, contulit, et ibi *sacrificavit sacrificia Deo patris sui Itzchaki. Genes.* 46. *v.* 1. simulque cum Deo veluti deliberationem instituit de itinere in Aegyptum suscipiendo, deque reditu in terram toties sibi et patribus promissam. Istam consultationem excepit vox Oraculi: *Et dixit Deus Israeli in visionibus noctis,* (erat nocturna visio modus reddendi oracula) *et dixit Jaakobe Jaakobe: Et dixit, Ecce me. Et dixit, Ego Deus, Deus patris tui: ne timeas a descendendo in Aegyptum, quia in gentem magnam ponam te ibi. Ego descendam tecum in Aegyptum, et ego ascendere faciam*

te (posteritatem tuam) *etiam ascendendo: et Josephus ponet manum suam super oculos tuos. cit. loc. v.* 2. 3. 4. Hinc luculentissimè patet, Jaakobum sub sacrificio percunctatum esse Deum dè adeunda Aegypto, et statim congruum retulisse responsum. Conferatur Heideggerus in *Histor. Sacr. Patriarch. Tom. II. Exercitat.* 21. §. 1. Apud Homerum statim post preces Chrysae subjungitur *Iliad.* 1. *v.* 457.

Ὥς ἔφατ' εὐχόμενος· τοῦ δ' ἔκλυε Φοῖβος Ἀπόλλων.
Sic dixit orans: eumque exaudivit Phoebus Apollo.

Utitur autem hac phrasi, *lux facierum tuarum Domine*, quia vultus Domini vulgò creditur, et certis Scripturae locis confirmatur, eo fulgore coruscans, qui divinam decet Majestatem, unde ethnici abripuerunt suorum Numinum descriptionem, velut Jovis apud Nonnum *Lib.* 8. *Dionys. v.* 340. *seqq.* ubi Semele cupiens videre Jovem, qualis inter Deos versatur, inquit:

Οὔπω ἐγὼ Κρονίωνος ἀληθέος εἶδον ὀπωπὴν,
Οὐ βλεφάρων ἀκτῖνα σελασφόρον, οὐδὲ προσώπου
Μαρμαρυγὰς ἐνόησα, καὶ ἀστράπτουσαν ὑπήνην.
Nondum ego Saturnii veri vidi conspectum,
Non superciliorum radium luciferum, neque vultus
Splendores cognovi, et fulgurantem barbam.

Confer *Ps.* 18. *v.* 13. et adi locum famigeratum *Exodi cap.* 34. *v.* 29. *seqq.* de radiante et splendente Mosis facie, in cujus simulacrum a Bonarroto sculptum eleganter cecinit Poeta noster:

E gran parte del Nume avea nel volto.

Mysticè *lux facierum Domini* est divina Gratia, quae corda et mentes illuminat.

V. 8. *Dedisti laetitiam in corde meo etc.* quisque rebellium, audita voce Oraculi, prorumpit in gaudium eo longè majus, quo afficiuntur messores et

vindemiatores ob frumenti et vini copiam: qua similitudine utitur etiam Jesaias de gaudio gentium ob Evangelii praedicationem, *laetati sunt ad facies tuas juxta laetitiam* agricolarum *in messe. cap.* 9. *v.* 3.

Profectò ista comparatio, quae prae manibus est, non parum ponderis addit meae explanationi superioris versus, quòd David conflaverit aenigma ex verbis Itzchaki, quum benediceret filio. Juvat nunc integra referre: *Vide odorem filii mei, instar odoris agri, quem benedixit* (imbre rigavit) *eum Dominus. Et det tibi Deus de rore coelorum, et locos pingues terrae et multitudinem frumenti et musti. Genes. d. cap.* 27. *d. v.* 27. *seq.* Vides utrobique *odorem* exhilarantem, et *ubertatem* glebae, unde certa spes de iis, quae ad vitae sustentationem sunt necessaria, in quorum copia est argumentum et materia gaudii publici omnium maximi.

De suavitate autem odoris, quam terra exhalat, haec habet Cicero *Lib.* 3. *de Orat. cap.* 25. *Licet hoc videre in reliquis sensibus, unguentis minus diu nos delectari summa et acerrima suavitate conditis, quàm his moderatis; et magis laudari quod terram, quam quod crocum olere videatur*. Huc respicit Plinius, dum ait *Lib.* 13. *cap.* 3. *In M. Ciceronis monumentis invenitur, unguenta gratiora esse, quae terram, quàm quae crocum sapiant.* et *Lib.* 17. *cap.* 5. *Certè Cicero, lux doctrinarum altera : Meliora, inquit, unguenta sunt, quae terram, quàm quae crocum sapiunt. Hoc enim maluit dixisse, quàm redolent. Ita est profectò: illa erit optima, quae unguenta sapiat. Quod si admonendi sumus, qualis sit terrae odor ille, qui quaeritur, contingit saepe etiam quiescente ea sub occasum Solis, in quo loco arcus coelestis dejecerit capita sua: et quum a*

siccitate continua immaduit imbre: tunc emittit suum illum halitum divinum ex Sole conceptum, cui comparari suavitas nulla possit.

prae tempore quo *frumentum eorum et mustum eorum multa fuerunt*, frumenti abundantiam eloquitur Virgilius, inquiens 1. *Georg. v.* 49.
Illius immensae ruperunt horrea messes.
vini copiam Patriarca Jaakobus, dum fata dicit Jehudae *Genes.* 49. *v.* 11. *Ligans ad vitem pullum suum, et ad sorekam* (genus vitis praestantioris, quae uvam זביב, vulgò *il zabibo*, producere creditur) *fili mi asinam suam: lavit in vino vestimentum suum, et in sanguine uvarum operimentum suum.* De multiplicatione frumenti libet afferre locum Plinii *Lib.* 18. *cap.* 10 *sect.* 21. *Tritico nihil est fertilius: hoc ei natura tribuit, quoniam eo maximè alit hominem; utpote quum e modio, si sit aptum solum, quale in Byzacio Africae campo, centeni quinquageni modii reddantur.* Pronomen *eorum* refero ad *messores* et *vinitores*, licèt istorum nulla mentio praecedat, quum de istis recogitare nos faciat ipsa ratio argumenti, sicut in loco Jesaiae paulo ante adducto desideratur dictio *agricolarum*. Caeterùm verba hujus versus accipi possunt etiam ut prolata a Davide, cognita perduellium reversione ad officium, et pronomen *eorum* referri ad ipsos perduelles: sed illud magis arridet.

V. 9. *In pace simul accumbam et dormiam*, nempe cum rebellibus mihi sincerè conciliatis: inter ea, quae ad apparatum epularum sacrificialium pertinent Stuckius in *Descript. Sacrific. pag.* 221. ponit ultimo loco etiam *somnum;* ejusque rei caussas cum multa eruditionis copia affert. *Lib.* 3. *Antiq. convival. cap.* 25. David igitur, qui se quoque facit convivam rebellibus, adeo certam et indubitatam

habet eorum reconciliationem, ut nequaquam vereatur post epulum accumbere et dormire cum illis. Exemplum hujus somni exhibet Homerus *Iliad.* 1. *v.* 475. *seq.* inquiens:

Ἦμος δ' ἠέλιος κατέδυ, καὶ ἐπὶ κνέφας ἦλθε,
Δὴ τότε κοιμήσαντο παρὰ πρυμνήσια νηός.

Quando autem Sol occidit, et tenebrae supervenere,
Tunc dormiverunt ad retinacula navis.

Istic sermo est de Ulysse et sociis, qui Chryseidem patri deduxerant, postquam a sacrificiali epulo surrexerunt.

quia tu Domine utique solus, neque alius Deus est, qui tibi in reconciliando mihi rebelles obsistat, vel illos, te invito, ad seditionem rursus instiget, ut est in dogmatibus polytheorum, qui Deos suos in gubernatione rerum humanarum saepe saepius sibi invicem adversantes faciunt, teste Homero in singulis fere paginis Iliados: de qua adversatione satis sit referre hunc Ovidii locum *Lib.* 1. *Trist. Eleg.* 2. *v.* 5. *seqq.*

Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo:
Aequa Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.
Oderat Aenean propior Saturnia Turno:
Ille tamen Veneris numine tutus erat.
Saepe ferox cautum petiit Neptunus Ulyssem:
Eripuit patruo saepe Minerva suo.

in fiducia, vel *securitate*, *sedere facies me*, quà regem in throno inter Israelitas, summa concordia mihi obsequentes. Vide quae de verbo ישב *sedit* notata sunt ad *Ps.* 2. *v.* 4.

PSALMUS V.

ARGUMENTUM

David in bonitate Dei confidens, eum orat, ut sibi in semita virtutis dux esse velit; impiorum verò consilia, qui alia omnia sectantur, irrita fiant, immo deleantur ipsimet, quò alacriores ad bene agendum sint justi.

V. 1. PRAEFECTO El hannechilòth, Psalmus Davidis.

2. Dicta mea auribus-percipe Domine, intellige eloquium meum.

3. Attende ad vocem clamoris mei, Rex meus et Deus meus: etenim ad te, oro.

4. Domine, mane audis vocem meam: mane frico tibi, et defaeco.

5. Quoniam non Deus volens improbitatem tu: non diversabitur apud te malus.

6. Non consistent insanientes ad conspectum oculorum tuorum: odisti omnes operantes iniquitatis.

7. Perdes loquentes mendacii virum sanguinum et doli, abominabitur Dominus.

8. Ego autem in multitudine pietatis tuae introibo domum tuam: prostrabo me ad Coenaculum Sanctitatis tuae in timore tui.

9. Domine duc me in justitia tua, propter adversantes mihi: dirige ad facies meas viam tuam.

10. Etenim non est in ore ejus firmum, intimum eorum barathra, sepulcrum apertum guttur eorum, linguam suam lubricant.

11. Reos dic illos Deus, excidant a consiliis suis, in multitudine praevaricationum eorum errare fac eos: quoniam rebellaverunt in te.

12. Et laetabuntur omnes confidentes in te in saeculum jubilabunt et teges super eos: et exultabunt in te, diligentes nominis tui.

13. Nam tu benedices justum Domine: tanquam clypeo, benevolentia cinges eum.

COMMENTARIUS

V. 1. *Praefecto* musices *El hannechilòth*, hic Psalmus traditus est Magistro cantantium juxta musicum tonum, quo canebatur vetus cantilena, incipiens per haec verba, *El hannechilòth*, videlicet *Ad* vel *in palmas*. Ego cùm in his vocibus, tum in aliis desperatae prorsus expositionis, quae in Psalmorum titulis reperiuntur, libentissimè discedo in sententiam clarissimi Bocharti, qui *Part. II. Geogr. Sac. Lib.* 2. *cap.* 11. ita scribit » Dum in *Adoni* sumus, conabor aperire, quid sit Ἀδωνιμαοιδὸς in Julio Polluce *Lib.* 4. *cap.* 7. *seg.* 54. Ἀδωνιμαοιδὸς, inquit, καὶ Βώριμος Μαρυνδηνῶν (malim Μαριανδύνων) γεοργῶν ᾆσμα, ὡς Ἀιγυπτίων Μανέρως, καὶ Λιτυέρσας Φρυγῶν. *Adonimaoedus et Borimus Mariandynorum rusticorum carmen, ut Aegyptiorum Maneros, et Lityersas Phrygum.* Phoenicem in Bithyniae Mariandynam Phoenicum colonias deduxisse supra docuimus, et Argonautorum aevo ibi regnasse Phinea regem a Phoenice septimum. Itaque Phoenicii sermo-

nis reliquias ibi haesisse, verisimile est. Quo pertinere videtur *Adonimaoedus* nomen rusticae cantilenae, quam suspicor sic incoepisse, aut a similibus verbis ארוני מודים אנחנו לך *Adoni modim anàchnu lecà*, h. e. *Adoni laudamus te:* quae sunt ipsissima verba hymni Davidici ad Deum 1. *Par.* 29. *v.* 13. אלהינו מודים אנחנו לך *Deus noster laudamus te*. A tali initio factum, ut ipsa cantio diceretur *Adoni-mode*, vel *Adoni-modim*, et Graeca terminatione 'Αδωνιμαοιδός. Nempe ut Hebraei Libros nominant a prima voce, Genesin puta *Beresith*, Exodum *Veellè semòth*, Leviticum *Vajikrà*, quae sunt voces initiales, ita etiam cantiones: quod in Psalmorum titulis passim videre est. Sic in titulo Psalmi XXII. למנצח על אילת השחר *Magistro symphoniae*, suppl. traditum, ut cantetur super *ajèleth hassàchar*, seu *cerva matutina*. Alii cantantur super שושנים *Sosanìm*, i. e. *lilia;* vel super שושן עדות *Sosàn edùth*, i. e. *lilium testimonii*. Alii super עלמות *Alamòth*, i. e. *virgines*. Alii super מחלת *Machalàt*, i. e. *morbum*, vel super מחלת לענות *Machalath laannòth*, i. e. *morbum ad affligendum*, seu *morbum cruciabilem*, ut cum Apulejo loquar. Alii super *Thascheth*, i. e. *disperdas*. Tot canticorum initia, ad quorum modos hi Psalmi erant decantandi. Quod cur viri undecumque docti tam superciliosè rejiciant nullus capio. *Cum gravitate et honestate Ecclesiae*, inquiunt, *non convenit, ut adhibeantur ludicri et populares cantus*. Sed neque necesse est, ut hi fuerint cantus ludicri. Quin potuere Judaei habere aliquot sacra cantica, ad quorum numeros et modos David partem Psalmorum composuerit »

Addam nonnullas auctoritates, quibus confirmari puto sententiam eruditissimi Viri. Jam supra *Ps.* 4. *v.* 1. vidimus ex Athenaeo, Cantores antiquitus ex-

titisse temperantiae omniumque virtutum magistros, quales apud Ebraeos erant Levitae, qui non solùm assa voce, et fidibus canebant, omneque tempus pariter et ingenium musicae sacrae dedicabant, sed etiam veram Religionis doctrinam propagabant, populoque instillabant cùm publicè, tum privatim in domibus, et rogantibus de Lege respondebant. *Deut.* 33. *v.* 10. *Malach.* 2. *v.* 6. Adi Vitringam de *Synag. Veter. Lib.* 1. *Part.* 2. *cap.* 8. *per tot.* et Jo. Gottlob Carpzovium ad *Goodwinum Lib.* 1. *cap.* 6. §. 3. *pag.* 117. *seq.* Dignitatem et venerationem antiquae musices apud alios populos, praeter Athenaeum, luculentissimè testatur Quintilianus: *Nam quis ignorat, musicen (ut de hac primùm loquar) tantum jam illis antiquis temporibus non studii modò, verùm etiam venerationis habuisse, ut iidem musici et vates et sapientes judicarentur? mittam alios, Orpheus et Linus: quorum utrumque Diis genitum, alterum verò, quòd rudes quoque et agrestes animos admiratione mulceret, non feras modò, sed saxa etiam sylvasque duxisse, posteritatis memoriae proditum est. Et Timagenes auctor est, omnium in litteris studiorum antiquissimam* musicen *extitisse: et testimonio sunt clarissimi Poetae, apud quos inter regalia convivia laudes Heroum ac Deorum ad citharam canebantur. Jopas verò ille Virgilianus nonne cecinit* (Aeneid. 1. v. 746).

. . . . . errantem Lunam, Solisque labores? etc.

Quibus certè palam confirmat Auctor eminentissimus, musicen cum divinarum etiam rerum cognitione esse conjunctam. Lib. 1. *Instit. cap.* 10. *al.* 17. Itaque, praeter vitae honestatem, illud apprimè opus erat, ut omnibus sapientiae partibus ad formandos aliorum mores exculti essent, qualis ab he-

roicis usque temporibus memoratur Phemius, domi Ulyssis cantor, quem alloquens Penelope *Odyss.* 1. *v.* 337. *seq.* ait:

Φήμιε, πολλὰ γὰρ ἄλλα βροτῶν θελκτήρια οἶδας,
Ἔργ' ἀνδρῶν τε Θεῶν τε, τά τε κλείουσιν ἀοιδοί.

Phemie, multa sane alia mortalium oblectamenta novisti,
Gesta virorumque Deorumque, quaeque celebrant cantores.

Cum Homerico Phemio conferendus est Virgilianus Jopas, paulo ante a Quintiliano memoratus:

Cithara crinitus Jopas
Personat aurata, docuit quae maximus Atlas.
Hic cecinit errantem Lunam, Solisque labores,
Unde hominum genus, et pecudes, unde imber, et ignes,
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones:
Quid tantùm Oceano properent se tingere Soles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.
Ingeminant plausum Tyrii, Troesque sequuntur.

Hinc eos *Philosophos* vocat Aeschylus apud Athenaeum *Lib.* 14. *pag.* 632. *edit.* 1657.

Εἶτ' ἂν σοφιστὴς καλὰ παραπαίων χέλυν.

Deinde Sophista pulchrè pulsans testudinem.

Adde Pindarum *Olymp. Od.* 1. *v.* 15. et *Isth. Od.* 5. *v.* 36. Atque hinc factum est, ut omnes in Graecia musicam addiscerent, ne vulgò indocti viderentur: qua de re Tullius ita scribit: *Summam eruditionem Graeci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus. Igitur et Epaminondas, princeps, meo judicio, Graeciae, fidibus praeclarè cecinisse dicitur: Themistoclesque aliquot ante annos, quum in epulis recusaret lyram, habitus est indoctior. Ergo in Graecia musici floruerunt, discebantque id omnes, nec, qui nesciebat, satis excultus doctrina putaba-*

tur. Lib. 1. *Tuscul. cap.* 2. Tales erant beatis illis temporibus publici Cantores, videlicet suavitate morum et fide probati, omnigenaque doctrina praeclari, quia Moderatores populorum instituta musices, cujus amplitudo vocabuli Religionem etiam comprehendebat, sarta tecta servari imprimis studebant, siquidem haec sine legum civilium et reipublicae immutatione immutari nullo modo posse existimabant. Quam ob rem sapientissimè ac prudentissimè cavit divinus Plato: Ὡς τοίνυν διὰ βραχέων εἰπεῖν, τούτου ἀνθεκτέον τοῖς ἐπιμεληταῖς τῆς πόλεως, ὅπως ἂν αὐτοὺς μὴ λάθῃ διαφθαρὲν, ἀλλὰ παρ' ἅπαντα αὐτὸ φυλάττωσι, τὸ μὴ νεωτερίζειν περὶ γυμναστικήν τε καὶ μουσικὴν παρὰ τὴν τάξιν, ἀλλ' ὡς οἷον τε μάλιστα φυλάττειν· φοβουμένους, ὅταν τὶς λέγῃ, ὡς τὴν ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπιφρονέουσιν ἄνθρωποι, Ἥτις ἀειδόντεσσι (ἀκουόντεσσι) νεωτάτη ἀμφιπέληται, μὴ πολλάκις τὸν Ποιητὴν τὶς οἴηται λέγειν οὐκ ᾄσματα νέα, ἀλλὰ τρόπον ᾠδῆς νέον, καὶ τοῦτο ἐπαινῇ. Δεῖ δ' οὔτ' ἐπαινεῖν τὸ τοιοῦτον, οὔτε ὑπολαμβάνειν· εἶδος γὰρ καινὸν μουσικῆς μεταβάλλειν, εὐλαβητέον, ὡς ἐν ὅλῳ κινδυνεύοντα. Οὐδαμοῦ γὰρ κινοῦνται μουσικῆς τρόποι ἄνευ πολιτικῶν νόμων μεγίστων, ὡς φησί τε Δάμων, καὶ ἐγὼ πείθομαι. *Denique, ut summatim dicam, hoc diligenter est a civitatis tutoribus observandum, ne clam illis ignorantibus corrumpatur. Imo istud imprimis curent, ne quid praeter ordinem a nobis datum circa gymnasticam et musicam innovetur, sed illum quàm maximè fieri potest quisque sequatur. Et quum dixerit aliquis poeticum illud, Homines videlicet novis cantibus admodum delectari, metuere debent isti custodes, ne saepenumero Poetam quis putet non cantilenas novas, sed modos canendi novos dicere, eosque laudet. Oportet autem neque laudare quidquam tale, neque suscipere. Cavendum sanè speciem musicae*

novam inducere, tanquam in toto naufragium. Nusquam enim musicae modi mutantur, absque maximarum legum civilium mutatione, ut ait Damon, cui et ipse assentior. Lib. 4. de Rep. Tom. II. Opp. pag. 424. Versus Homerici extant *Odyss.* 1. *v.* 351. *seq.* iique sunt:

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

Eam enim cantilenam magis celebrant homines,
Quaecumque auditoribus recentissima existit.

Plato igitur sic accipit Homericum dictum, ut res quidem novae carminibus comprehendantur, minimè verò ut nova musicae species, quam moribus et reipublicae noxiam censet, introducatur: etenim cum musica mores hominum mutantur. Eodem modo intelligendum est etiam illud Pindari *Olymp. Od.* 9. *v.* 73. *seqq.*

. . . . αἴνει δὲ παλαιὸν
Μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων
Νεωτέρων.

. . . . *lauda autem vetus*
Quidem vinum, flores autem hymnorum
Recentiorum.

Nec aliter accipiendum est, quod frequenter in Psalmis occurrit, *Canticum novum, Ps.* 33. *v.* 3. *Ps.* 40. *v.* 4. *Ps.* 96. *v.* 1. *Ps.* 98. *v.* 1. *Ps.* 144. *v.* 9. *Ps.* 149. *v.* 1. videlicet novum quidem cantici argumentum, sed non nova musicae species. Morum immutationem ex immutatione musices queritur idem Athenaeus *d. Lib.* 14. *pag.* 633. ubi sic scribit: Ἐκάλουν δὲ καὶ χορηγοὺς, ὥς φησιν ὁ Βυζάντιος Δημήτριος ἐν τετάρτῳ Περὶ ποιήματος, οὐχ ὥσπερ νῦν τοὺς μισθωμένους τοὺς χοροὺς, ἀλλὰ τοὺς καθηγουμένους τοῦ χοροῦ, καθάπερ αὐτὸ τοὔνομα σημαίνει· καὶ τὸ χρηστομουσεῖν, καὶ μὴ παραβαίνειν τοὺς ἀρχαίους τῆς μουσικῆς νόμους.

Συνέβαινε δὲ τὸ μὲν παλαιὸν φιλομȣσεῖν τȣ̀ς Ἕλληνας. Μετὰ δὲ ταῦτα γενομένης ἀταξίας, καταγηρασάντων σχεδὸν ἁπάντων τῶν ἀρχαίων νομίμων, ἥτε προαίρεσις αὕτη κατελύθη, καὶ τρόποι μȣσικῆς φαῦλοι κατεδείχθησαν, οἷς ἕκαςος τῶν χρωμένων, ἀντὶ μὲν πρᾳότητος, περιεποιεῖτο μαλακίαν, ἀντὶ δὲ σωφροσύνης, ἀκολασίαν, καὶ ἄνεσιν. Ἔςαι δ' ἴσως τȣ̃το μᾶλλον καὶ ἐπὶ πλέον προαχθήσεται, ἐὰν μή τις ἀγάγῃ πάλιν εἰς τὸ συμφανὲς τὴν πάτριον μȣσικήν. Τὸ παλαιὸν γὰρ καὶ τῶν Ἡρώων τὰς πράξεις, καὶ τῶν Θεῶν τȣ̀ς ὕμνȣς δι' ᾠδῆς ἐποιȣ̃ντο. *Demetrius Byzantius Libro quarto De poemate scribit, Choragos vocatos fuisse, non, ut saeculo nostro, qui choros mercede conducunt, sed chori duces et praefectos, ut indicat vocabulum ipsum. Musicam sanè veteres optimè noverunt: ejus leges non sunt praetergressi: illi maximo studio vacaverunt. Sequuta deinde totius ordinis confusione, senio labascentibus jam cunctis fere, quae approbarat consuetudo, obliteratum est illud institutum, depravatique musices numeri: quibus nunc quum utuntur singuli, lenitatis atque benignitatis loco irrepsit socors mollities, temperantiae insolens audacia, ignavusque animi languor ac remissio: quae fortassis posthac graviora magis vigebunt, nisi quispiam patriam musicam in pristinum splendorem asserat, ut, quod fiebat apud majores, Deorum laudes, Heroumque nos acta musicis canticis personemus.* Hac eadem de caussa Poetae Veteris Testamenti, quum cantionem aliquam in communem ederent usum, aliam vetustiorem publicèque receptam utplurimum indicabant, cujus ad numeros nova esset canenda, ne probatae musices ratio immutationis aliquid pateretur contra morum austeritatem, et in Religionis perniciem. Unicuique verò istarum veterum cantionum, quarum tonus receptus erat in Eccle-

siam, peculiaris praeerat Magister musices, qui cantum et canentes moderaretur. Perpendant haec sacri Antistites, quorum conniventia factum est, ut in Ecclesiam irrepserit, o tempora, o mores! hodierna theatrorum musica.

Carmen, cujus ex initio sumpta sunt haec nostra verba *El hannechilòth, Ad*, vel *In palmas*, conjicio, esse ex genere *Bucolicorum*, in quo pastor, aut bubulcus, aut hortulanus, ad captandam suae amasiae benevolentiam, dicit, se conscensurum *in palmas*, ut inde dactylos decerpat, quos ei afferat, vel mittat. Istam conjecturam suggessit mihi locus simillimus *Cantici cap.* 7. *v.* 8. ubi sponsus, pro testimonio sui erga sponsam amoris, dicit ei, *Ascendam in palmam, prehendam spathas ejus: et fient omnino* earum comestione *ubera tua* turgida et rotunda *ut botri* (ut grana botrorum) *vitis, et odor nasi tui* (ex naso tuo prodiens) erit *ut odor malorum*. quae postrema verba concinunt cum alteris hisce, *quia oscula tua suavia* sunt *prae vino. Cant.* 1. *v.* 2. Sane haud me poenitet hujus conjecturae, dum animadverto, quòd ejusmodi testimonium amoris dare solent pastores suis amasiis, uti Caprarius Amaryllidi apud Theocritum *Idyll.* 3. *v.* 10. *seq.*

Ἠνὶ δέ τοι δέκα μᾶλα φέρω, τηνῶθε καθεῖλον,
Ὦ μ' ἐκέλευ καθελεῖν τὺ, καὶ ἄριον ἄλλα τοι οἴσω.
Ecce tibi decem mala fero, inde decerpsi,
Unde me jubebas decerpere tu, et cras alia tibi feram.
Damoetas penes Virgilium *Ecl.* 3. *v.* 68. *seq.*
Parta meae Veneri sunt munera: namque notavi
Ipse locum, aëriae quo congessere palumbes.
cui Menalcas *cit. loc. v.* 70. *seq.*
Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi: cras altera mittam:

Quanti autem sint palmeta Orientalibus, discimus ex *Al-Korano Sur.* 2. *v.* 267. *An cupiet unus vestrum, ut sit sibi hortus* ex נחיל *palmis et uvis, currant subter illum flumina, sibi in eo de universitate fructuum:* et in hoc statu *accidat sibi annositas, et sibi* sit *proles imbecilla, et incidat in illum* hortum *turbo, in quo sit ignis, et comburatur?*

V. 2. *Dicta mea auribus percipe Domine*, qui gratiam, seu favorem in aliqua re a Deo poscunt, antequam petitionem suam exponant, audiri se rogent, dum verba faciunt; et si quod habent meritum apud illum, hoc commemorare solent. Sic Sacerdos Apollinis Chryses, ab Agamemnone indecorè habitus et ejectus, ultionem in Danaos petiturus ab eo Numine, precatur his verbis *Iliad.* 1. *v.* 37. *seqq.*

Κλῦθί μευ, ἀργυρότοξ', ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας,
Κίλλαν τε ζαθέην, Τενέδοιό τε ἶφι ἀνάσσεις,
Σμινθεῦ. εἴποτέ τοι χαρίεντ' ἐπὶ νεὸν ἔρεψα,
Ἢ εἰ δή ποτέ τοι κατὰ πίονα μηρί' ἔκηα
Ταύρων, ἠδ' αἰγῶν, τόδε μοι κρήηνον ἐέλδωρ,
Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν.

Audi me, argenteum arcum gerens, qui Chrysem tueris,
Cillamque valde divinam, Tenedoque fortiter regnas,
Smintheu: si quando tuo venusto templo tectum imposui,
Vel si quando tibi pingues coxas cremavi
Taurorum, et caprarum, hoc mihi perfice votum,
Pendant poenas Danai ob meas lacrymas tuis sagittis.

Simili modo precatur hìc David; et primùm poscit a Deo, ut sibi aures praebeat, quam petitionem dein repetit, inquiens, *intellige eloquium meum:*

nomen הגיג est a radice הגג, quae significationem mutuatur a cognata הגה *eloquutus est Ps.* 37. *v.* 30. Commemorationem meritorum habes *vv. seqq.* 3. 4.

V. 3. *Attende ad vocem clamoris mei*, adhuc vehementius urget Deum, ut sua audiat verba. Schultensius ad *Prov.* 1. *v.* 24. et *cap.* 2. *v.* 2. et in *Clav. Dialect. pag.* 301. eruit potestatem verbi קשב ex Arabica Dialecto, in qua hoc idem verbum notat, *nitidus, tersus, emundatus fuit*, unde in Hiphil, venustà et plenâ formulâ, הקשיב אזן *nitidavit, emundavit aurem*, h. e. apertam, patulam, expurgatis sordibus, et sic aptiorem ad auscultandum, reddidit. Hic loquendi modus occurrit etiam in Latinis: Plautus in *Mil. glor. Act.* 3. *Sc.* 1. *v.* 179.

. . . *Perpurgatis ambo damus tibi operam auribus.*

Horatius *Lib.* 1. *Epist.* 1. *v.* 7.

Est, mihi purgatam crebrò qui personet aurem.

Persius *Satyr.* 5. *v.* 63. *seq.*

Cultor enim es juvenum: purgatas inseris aures
Fruge Cleanthea.

et paulo post *vers.* 85. *seq.*

Mendosè colligis, inquit
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.

Quibus in locis alluditur ad fabulam et ad veterum opinionem, eum, cui draco aurem lambisset, adeo subtilem aurium sensum habiturum, ut etiam consilia Deorum sit intellecturus, et voces avium percepturus: quod Apollodorus de Melampode narrat *Lib.* 1. *Biblioth. cap.* 9. §. 11. Adi Schroederum ad *Ps.* 10. *v.* 17. Itaque, si respicis proprietatem verbi, reddendus est hic locus, *Nitida, emunda, purga aures ad vocem clamoris mei*. Johannes verò David Michaelis, teste Simonis, confert cum Arabico קסב *declinavit, inclinavit,* ita ut *inclinationem aurium* exprimat. Utroque modo confirmatur sensus,

qui in Lexicis vulgò tribuitur huic Ebraicae radici, nempe *auscultavit, attendit, attentus fuit*.

Rex meus et Deus meus, o qui es Rex meus, quia es Deus meus: Horatius *Lib.* 3. *Od.* 1. *v.* 5. *seq.*
Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis.

etenim ad te oro, nimirum, ut Al-Koranica phrasi eloquar, *stare facio orationem. Sur.* 2. *v.* 3. et alibi frequentissimè; ac si dicat, se observare stata orationum tempora: et hoc est meritum, quod pro se apud Deum stare jure optimo credit, ut notavimus ad *vers. sup.* Quòd Oratio principem locum teneat in exibendo Numini cultu, Maimonides docet in *Constitut. de Orat. cap.* 1. §. 1. *Praeceptum affirmativum est orare in omni die, quia dictum est,* Et coletis Dominum Deum vestrum. *Exod.* 23. *v.* 25. *Ex Traditione didicimus, quòd cultus hic est Oratio, quia dictum est,* Et coletis eum in toto corde vestro. *Deut.* 11. *v.* 13. *Dixerunt Sapientes: Quisnam est iste cultus in corde? est Oratio*. Postea narrare pergens materias Orationis ait: *Obligatio autem hujus praecepti talis est, ut homo supplicet et oret in omni die, et enarret laudem Dei sancti benedicti: deinde ut petat ea, quibus indiget, per modum supplicationis et deprecationis: demum ut det laudem et gratiarum actionem Domino pro beneficiis in se collatis. cit. loc.* §. 2. Haec igitur omnia David praestare Deo intendit *orando;* iisque fretus veluti meritis, poscit, sua audiri verba.

V. 4. *Domine, mane audis vocem meam*, superius *Orationem* simpliciter commemoravit, hìc *tempus* et *modum* Orationis dicit. Tempus notatur dictione *mane*, quando scilicet offertur Sacrificium juge matutinum, et signanter quando fit suffitus, qui medius erat inter sparsionem sanguinis et

combustionem carnis, unde *preces sanctorum* appellantur θυμιάματα *suffitus* in *Apocal.* 5. *v.* 8. et *cap.* 8. *v.* 4. quasi una eademque res cum suffimentis ascendant ad Dominum: quò respicit David inquiens, *Fiat precatio mea suffitus ad facies tuas: elevatio manuum mearum munus vesperae. Ps.* 141. *v.* 2. Memorat autem hoc tempus propter populi frequentiam, qui hora utriusque sacrificii, matutini et vespertini, ad Tabernaculum, postea ad Templum, concurrebat ea de caussa, quam refert Maimonides in *Constitut. de Orat. cap.* 8. §. 1. *Oratio coetûs* (publica) *exauditur semper: et quamvis inter precantes sint peccatores, Sanctus tamen ille benedictus* (Deus) *non spernit orationem multorum* (publicam). Deinde prosequitur. *Idcirco opus est, ut homo consociet sese cum coetu, neque oret solus, quotiescumque potest orare cum coetu. Et semper mane et vespere adibit homo Synagogam, quia Oratio ejus non auditur in omni tempore, nisi in Synagoga.* De eo, qui impeditur, cautum est, *ut oret ea hora, qua coetus orat. Shulc. Aruch. Orach. Chaji. Tit.* 90. §. 9. Legitimus autem est coetus, *qui minimùm e decem constat. Maimon. d. cap.* 8. §. 4. confer Rhenferdium *Dissert. I. de Decem Otiosis* §. 39. *seqq.* Ad orandi *modum* pertinet in primis *vox:* qua de re, ex mente veterum, sic praecipit Maimonides in *Constit. de Orat. cap.* 5. §. 9. *Comparatio* (seu compositio) *vocis quomodo? Non attollet vocem suam in Oratione sua, neque orabit in corde suo, sed scindet verba in labiis suis, et audire faciet ad aures suas per mussitationem, neque audire faciet vocem suam etc.* Orandum scilicet est, quemadmodum suo exemplo praeivit Hanna, *Et Hanna loquebatur in corde suo; tantùm labia ejus movebantur, et vox ejus non audiebatur.* 1. *Sam.*

1. *v*. 13. Deinde totius *corporis compositio*, de qua idem Maimonides *d. cap.* 5. §. 4. *Ordinatio corporis quomodo? Quando stat in Oratione, necesse est, ut dirigat pedes suos, unum juxta alterum, et ponat oculos suos deorsum, quasi respiciat in terram, sitque cor ejus conversum sursum, quasi stet in Coelo, et quiescere faciat manus suas super cor suum constrictas, dexteram super sinistram, et stet ut servus coram domino suo in timore, in reverentia, et pavore*. Legenda est integra *Observat. I. Partis VIII. Lakemacheri*.

mane frico tibi, origo verbi ערך Grammaticis Arabum sita est in *radendo*, *terendoque*, et hinc potestas *fricandi*, quae notio figuratè usurpatur apud Arabsiadem *Tom. I. pag.* 514. *lin.* 2. עארכא *fricans digitis humanitatis aures ipsius*. Eodem sensu Plautus in *Asinar. Act.* 3. *Sc.* 3. *v.* 80. adhibet phrasin *fricare genua*, pro *supplicare, delinire, mulcere*, dicit enim Leonida:

Atqui pol hodie non feres, ni genua confricentur.

h. e. nisi mihi genua attrectans supplicaveris: cui Antemona respondit:

Quidvis egestas imperat: fricentur: da nunc quod oro.

et *vers.* 88. idem Leonida:

Numquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricares.

Confer Feithium *Lib.* 3. *Antiq. Homer. cap.* 14. §. 5. A *blanda* quarumdam partium corporis *fricatione* per modum *supplicationis* vel *delinitionis*, venit *violenta fricatio* per modum *certaminis*, nempe *confricuit* cum eo manus, iisque consertis eum *contudit* in pugna, *pugnavit*, apud Arabsiadem *Tom. II. pag.* 248. *lin.* 7. atque hinc Ebraeis *struxit, ordinavit, disposuit*, specialiter aciem. Priori sensu ver-

titur hic locus *frico tibi* (supple *genua*, vel *aures*, ut in *vers. sup. Nitida*, supple *aures*) videlicet tibi supplex et orans adsto: posteriori, *dispono tibi*, nempe aciem orationum, quemadmodum Jobo dicit Elihuus, ערכה *dispone ad facies meas*, aciem argumentorum. *Cap*. 33. *v*. 5.

et defaeco, Ebraica radix צפה eadem omnino est cum Arabica צפי, quae propriè valet *nituit*, *splenduit*, peculiariter *clarum*, *defaecatum fuit* vinum, aqua etc. ut apud Caabum *vers*. 4.

(Quod vinum) *jugulatum sit lymphâ frigidâ de aquä loci reconditi,*

צאף *Defaecatâ in valle, clarâ, a vento septentrionali adflatâ.*

et metaphoricè apud Arabsiadem *Tom. I. pag*. 10. *lin*. 7. *id quod* צפה *clarum fuit ex vita ejus*. In secunda conjugatione *nitidavit*, *detersit*, *defaecavit*, apud eumdem Arabsiadem *Tom. II. pag*. 124. *lin*. 3. *donec* צפאהא *detersisset eos gossipio suo:* et in *Al-Korano Sur*. 47. *v*. 16. *et flumina ex melle* צפי *defaecato*. Huic conjugationi planè respondet Pielica Ebraeorum; ideoque, congruenter sensui, pro *expecto*, vel *expectabo*, intenta scilicet oculorum acie speculando, ut habent Lexica, fidenter reddidi *defaeco*, et quidem, habita ratione Pielicae conjugationis, accuratiori modo, per statas precationes, et sacrificia; ita ut hoc verbum in nostro loco respondeat Graeco ἀπολυμαίνω, *sordes abluo*, quod in specie est verbum sacrum, quando homines oblatis sacrificiis purgantur et lustrantur: cujus significationis luculentum extat exemplum apud Homerum *Iliad*. I. *v*. 313. *seq*.

Λαὸς δ' Ἀτρέϊδης ἀπαλυμαίνεσθαι ἄνωγεν·
Οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο.

Populos autem Atrides lustrari jussit :
Illique lustrabantur.

In tertia conjugatione valet, *sincero puroque affectu fuit* erga aliquem, et ita *egit* cum eo, ut apud Haririum *Consess.* 4. *pag.* 22. *lin.* 4. *neque* אצאצי *sinceritatem affectûs praesto ei, qui denegat justitiam meam:* ubi vide Schultensium. Pro bac significatione noster hic locus reddi commodè potest, *et sincero* Te *prosequor affectu:* id quod in Orationis negotio est apprimè necessarium, juxta magnum illud praeceptum, *Diliges Dominum Deum tuum : in toto corde tuo et in tota anima tua, et in tota intensione virium tuarum. Deut.* 6. *v.* 5. Similiter in quarta conjugatione, *sincerum exibuit et praestitit amorem*, penes eumdem Haririum *d. Cons.* 4. *pag.* 28. *lin.* 2. *neque* אצפי *sinceram exhibebo intentionem meam ei, qui optat fatum meum:* unde pariter lux huc affunditur. Adhaec in prima conjugatione valet etiam, *obsequiosè* alteri *se subjecit*, quasi *limpidè se gessit* cum eo: exempla extant in Arabsiade *Tom. I. pag.* 72. *lin.* 11. ויצפת *et obsequiosè se illi subjecerunt regiones.* et *pag.* 83. *lin.* 3. *Postquam* צפת *puro obsequio subjectae sunt ei provinciae.* et *pag.* 124. *lin.* 11. *Postquam* צפת *sincerè se subjecerunt ei regiones*, propriè *nituerunt*. Hinc bene redditur, *obsequiosè me sibi subjicio.*

V. 5. *Quoniam non Deus volens improbitatem tu,* Eumaeus in colloquio cum Ulysse *Odyss.* 14. *v.* 83. *seq.*

Οὐ μὲν σχέτλια ἔργα Θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν,
Ἀλλὰ δίκην τίουσι, καὶ αἴσιμα ἔργ' ἀνθρώπων.
Haud quidem improba opera Dii beati amant,
Sed justitiam honorant, et aequa opera hominum.

et Catullus *Carm.* 30. *v.* 4.

Nec facta impia fallacum hominum Coelicolis placent.

non diversabitur apud te malus, verbum נור propriè valet *flectere, deflectere:* quae *deflexio* si fiat a *via* vel *itinere*, notat *divertere ad* et *apud aliquem hospitii gratiâ*, ideoque *sub illius protectionem et clientelam se recipere;* dein generaliter *commorari, manere, habitare, vicinum esse:* si verò fiat a *scopo* et *rectitudine*, tum notat *injustus fuit* judicio contra alium, *tyrannus* imperio. Exemplum utriusque *deflexionis* extat apud Haririum *Cons.* 4. *pag.* 14. *Observo* אלנאר *eum, qui ad me diversat, etsi* נאר *divertat a justitia*. Similis constructio verbi נור cum pronomine adfixo habetur in *Al-Korano Sur.* 33. *v.* 57. *Certè nisi abstinuerint impii, et ii, quorum in cordibus est morbus, et turbas excitantes in Medina, profectò incitabimus te contra eos: deinde non* יגאורונך *cohabitabunt tecum in ea, nisi parum.* Tale est verbum גרלני *Job.* 31. *v.* 18.

V. 6. *Non consistent* הוללים *insanientes*, hi sunt, qui Graecis dicuntur ἀτάσθαλοι, qui scilicet facile agunt in incommodum suum, aliorumve, ex defectu consultationis attentae, valde amentes, Latinis *vecordes:* quo nomine Laërti dicuntur proci Penelopes, qui absente Ulysse Ithacam tenebant. *Odyss.* 24. *v.* 281.

Ὑβρισταὶ δ' αὐτὴν καὶ ἀτάσθαλοι ἄνδρες ἔχουσι.

Injurii hanc terram *et vecordes viri habent.*

qui scilicet libidinem suam pro lege habent. Proprietas verbi הלל, de quo legendus Schroederus ad *Ps.* 10. *v.* 3. sita est in *splendore fulguris, nubis etc. ex alto coruscantis*, unde *apparuit, splendruit*, peculiariter nova Luna, quae Arabicè dicitur הלאל; et hinc altera potestas *lunaticus fuit*, dein in genere *insanivit:* nam qui in ipso interlunio nati sunt,

furore, aut comitiali morbo laborare credebantur. Adi Wetstenium ad *Matth.* 4. *v.* 24.

ad conspectum oculorum tuorum, quia, ut ait Chabakukus, *Mundus es oculis prae eo ut videas malum et respicias ad molestiam, non poteris* ferre. *Cap.* 1. *v.* 13.

odisti omnes operantes iniquitatis, Helena apud Euripidem in *Tragoedia sui nominis v.* 909.

Μισεῖ γὰρ ὁ Θεὸς τὴν βίαν.

Odit enim Deus vim.

פועלי און, *operantes iniquitatis*, propriè *vacuitatis*, sunt οἱ σχέτλιοι, qui scilicet duros labores aliis ferendos imponunt, et sic viribus exhauriunt: quo nomine Jovis notatur ab Agamemnone *Iliad.* 2. *v.* 12. propterea quod ἄτῃ ἐνέδησε βαρείῃ, *damno irretivit gravi*. Non discessi a Schroedero, qui ad *Ps.* 10. *v.* 7. explicat nostram phrasin, *facientes vacuitatem* et *consumptionem*, videlicet exhaurientes alios vexatione et plagis, ita ut vix aliquid spiritûs reliquum fiat: nam substantivum און, intransitivè sumptum, est *vacuitas*, quam quis patitur; transitivè autem, *exhinanitio*, qua alterum afficit: atque hinc caeterae notiones, *iniquitas, molestia*, quae in Lexicis leguntur. Vide ad *Ps.* 36. *v.* 13.

V. 7. *Perdes loquentes mendacii*, Agamemnon *Iliad.* 4. *v.* 235.

Οὐ γὰρ ἐπὶ ψεύδεσσι πατὴρ Ζεὺς ἔσσετ' ἀρωγός.

Non enim mendacibus pater Jupiter erit auxiliator.

virum sanguinum, sanguinarium, caedibus gaudentem, sicarium.

et virum *doli*, מרמה est quae πάρφασις a Pindaro dicitur *Nemeor. Od.* 8. *v.* 54. nempe *fallax ratiocinatio, impostura, deceptio*, cujus descriptionem, quia pulchrè huc facit, libet afferre:

. . . . . . Ἐχθρὰ δ' ἄρα πάρφασις ἦν

Καὶ πάλαι, αἱμύλων μύθων ὁμόφοιτος, δολοφραδής, κακοποιὸν ὄνειδος·
Ἃ τὸ μὲν λαμπρὸν βιᾶται,
Τῶν δ' ἀφάντων κῦδος ἀντείνει σαθρόν.
...... Odiosa nimirum versutiloquentia erat
Et olim, blandorum verborum comes, doli meditatrix, maleficum opprobrium:
Quae quid.m quod splendidum est deprimit,
Obscurorum autem gloriam obtendit putridam.

abominabitur Dominus, intellige tres scelestorum species antè memoratas. De loquentibus mendacium Plato, Οὐκ οἶσθα, ἦν δ' ἐγώ, ὅτι τόγε ὡς ἀληθῶς ψεῦδος, εἰ οἷον τε τοῦτο εἰπεῖν, πάντες Θεοί καὶ ἄνθρωποι μισοῦσιν; *Nescis, inquam ego, quòd quàm verissimè mendacium, si licet hoc dicere, omnes Dii et homines odio habent? Lib.* 2. *de Rep. Tom. II. pag.* 382. *pr.* De aversatione eorum, qui manus habebant sanguine caedis inquinatas, Tyndarus apud Euripidem in *Oreste v.* 511. *seqq.*

Καλῶς ἔθεντο ταῦτα πάτερες οἱ πάλαι,
Εἰς ὀμμάτων μὲν ὄψιν οὐκ εἴων περᾶν,
Οὐδ' εἰς ἀπάντημ', ὅς τις αἷμ' ἔχων κυρεῖ.
Rectè sanxerunt haec patres olim,
In oculorum conspectum non sinebant venire,
Neque in occursum, quisquis sanguinis reus est.

De abominatione dolosorum hominum sic pergit religiosissimus Pindarus *cit. loc.*

Εἴη μήποτέ μοι τοιοῦτον ἦθος, Ζεῦ πάτερ· ἀλλὰ κελεύθοις
Ἁπλόαις ζωᾶς ἐφαπτοίμαν, θανὼν ὡς
Παισὶ κλέος μὴ τὸ δύσφαμον προσάψω.
Χρυσὸν εὔχονται, πεδίον δ' ἕτεροι
Ἀπέραντον. ἐγὼ δ' ἀστοῖς ἁδὼν, καὶ
Χθονὶ γυῖα καλύψαιμ', αἰνέων αἰνητὰ, μομ-

φὰν δ' ἐπισπείρων ἀλιτροῖς.
Sit numquam mihi ta-
lis affectus, o *Jupiter pater: sed viis*
Simplicibus vitam attingam, defunctus ut
Liberis famam non ignominiosam affricem.
Aurum optant alii, *campum verò alii*
Immensum. Ego verò civibus placens, etiam
Terrâ membra operi-
am, laudans laudanda, vitupe-
rium verò inspergens improbis.

De hoc nefariorum hominum genere est sequens Catulli expostulatio in Alphenum Varum *d. Carm.* 30. *per tot.*

Alphene immemor, atque unanimis false sodalibus:
Jam te nihil miseret, dure, tui dulcis amiculi.
Jam me prodere, jam non dubitas fallere, perfide.
Nec facta impia fallacum hominum Coelicolis placent,
Quae tu negligis, ac me miserum deseris in malis.
Eheu quid faciant dehinc homines, quoive habeant fidem?
Certè tute jubebas animam tradere, inique, me
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent.
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia factaque
Ventos irrita ferre, et nebulas aërias sinis:
Si tu oblitus es, at Dii meminerunt, meminit Fides:
Quae te ut poeniteat postmodo facti, faciet, tui.

V. 8. *Ego autem in multitudine pietatis tuae introibo domum tuam*, impii propter odium, quo eos prosequeris, non commorabuntur ut hospites et clientes apud te, nec alia quavis ratione consistent ad conspectum oculorum tuorum; ego autem, a te summa benevolentia exceptus, utar hospitio domus tuae: etenim radix בוא specialiter signat *intra-*

vit hospitium; eaque significatio bene convenit cum verbo גור *diversari v.* 5.

prostrabo me ascendens *ad coenaculum sanctitatis tuae*, pro triplici modo exhibendi honorem, tria verba usurpant Ebraei: I. קדד *verticem*, seu *caput, et humeros inclinavit*, notione ducta a nomine קדקד *vertex:* II. כרע *incurvavit superiores corporis partes usque ad genua:* III. שחה *in genua procumbens frontem humi posuit, prostravit se adorabundus*. Hoc verbum frequentatur in conjugatione Hithpaalèl, quae formatur geminando tertiam radicalem, quae in omnibus verbis quiescentibus Lamed He originariè est Vau, aut Jod: vide Schultensium *ad Fundam. Ling. Hebr. pag.* 268. 284. 306. 384. 388. De triplici modo exhibendi honorem adeundus Thomas Hyde de *Relig. veter. Pers. cap.* 1. *pag.* 6. *seq.* Nomen היכל, vulgò *palatium augustum et excelsum*, derivatur enim a radice הכל, *amplus, procerus, excelsus fuit*, idem mihi est, ac μέλαθρον *melathron* Homeri, quod, auctore Damm in *Lexico*, propriè est trabs illa media, quae super aedificii tectum protenditur, et in quam alia tecti tigna utrimque se inclinant. Talis trabs media etiam in iis tectis erat, quae plana quidem, in medio tamen paulò altiora, erant, ut pluvia aqua posset defluere. Denominationem habet ἀπὸ τοῦ μελαίνεσθαι, *a nigrescendo*, propter fumum ardentis ignis, qui circa illud exibat, quum nondum quadrangularis lapidea fistula reperta esset ad educendum ex domo fumum. Ab bac suprema tecti parte totum tectum vocatur μέλαθρον *melathron;* et, si domus plures habet contabulationes, etiam inferius laquear, maximè circa mediam ejus partem, ubi erat foramen magnum, ut fumus exiret, dicitur hoc nomine: et

denique per synecdochen *domus* tota, ut in hoc loco *Iliad.* 2. *v.* 414.

Πρίν με κατὰ πρηνὲς βαλέειν Πριάμοιο μέλαθρον
Αἰθαλόεν.

*Priusquam ego pronum dejecero Priami palatium
Combustum.*

et alibi. Quatenus igitur haec dictio μέλαθρον *melathron* notat superiorem partem domus, idem sibi vult, ac ὑπερῷον *hyperòon*, vulgò *coenaculum*, qua pariter significatur superior pars domus, seu habitatio foeminarum, ubi segregatae degebant a frequentia et commercio multitudinis, in inferiori parte domus versantis, et ubi tractabatur de rebus religionis, et consequenter peragebantur preces privatae, et minus solennes, quemadmodum legitur apud Lucam: *Et quum introissent* Jerosolymam, *ascenderunt* εἰς τὸ ὑπερῷον *in coenaculum, ubi manebant et Petrus, et Jacobus.... Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione et deprecatione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et cum fratribus ejus. Act.* 1. *v.* 13. *seq.* Sed pro planiori hujus rei intelligentia audiendus est Lightfootus in *Horis Hebraicis ad Luc. cit. loc.*

» I. Usitatum erat genti, ut quum de Lege et rebus religionis esset tractandum extra Synagogam, ascenderent לעליה, εἰς ὑπερῷον, in aliquam partem domus superiorem.

Juchasìn, fol. 23. 2. *Abniah vir ditissimus, ad convivium exhibitum ad circumcisionem filii sui, invitavit Rabban Jochananem ben Zaccai, et Discipulos ejus, et Nicodemum etc. Post convivium ascenderunt Rabban Jochanan et Discipuli* לעליה, εἰς ὑπερῷον, *et legerunt atque exposuerunt, donec tandem ignis circumfulgeret, sicut quum daretur Lex in*

monte Sinai. Et miratus est Abniah valde de honore tributo Legi, et vovit filium suum Legi.

Nota. עליית, ὑπερῷον, distinctum a Triclinio, ubi pransum est et coenatum, atque ibi tractatum esse de Lege et rebus divinis. Cui si Ἀνώγεον (*coenaculum, cella in superiori aedium parte*) sit germanum, in quo Servator celebravit Pascha, *Marc.* 14. *v.* 15. *Luc.* 22, *v.* 12. aliud videtur fuisse a communi Triclinio.

II. Tale ὑπερῷον opinamur fuisse *Beth Midràs* (*Scholam*) hujus aut illius Rabbini.

Juchas. fol. 45. 2. *R. Simeon dicit: Vidi* בני עלית *filios* τῦ ὑπερῷυ, *quòd essent pauci*. Id est, Filios, vel Discipulos Beth-Midràs, si ego vocem עלית hìc ritè capio, de qua re non contendam.

Hieros. Shabb. fol. 3. 3. *Istae sunt traditiones, quas ediderunt* בעליית, ἐν ὑπερώῳ *Hananiae ben Ezechiae ben Garòn*. Et plurima istiusmodi.

Tale, ut videtur, erat sacellum Troadensium *Actor.* 20. *v.* 8. Et quòd mentio fiat de Ecclesiis in domo hujus vel illius, speciem aliquam talis rei videtur secum ferre: superiori scilicet aliqua parte domûs ad publicam Ecclesiae conventionem separata, eo modo, quo *Beth Midràs* in superiori domûs parte, erat seposita ad conventionem Discipulorum Rabbini. Et sicut *Beth Midràs* erat in domo Rabbini, sic forte ut plurimùm Ecclesiae in domo Ministri, vel Doctoris. Nam nonne talis Aquila, in cujus domo Ecclesia? *Rom.* 16. *v.* 5. si conferas *Actor.* 18. *v.* 26. Nonne talis Philemon? *v.* 2. istius Epistolae».

Ita vir clarissimus. Quòd autem hìc eodem sensu, quo alibi עלית, ὑπερῷον, *coenaculum*, adhibitum sit nomen היכל *hecàl*, suadet ratio constituendae hospitalitatis, quam totus contextus evincit, et per quam Vates eloquitur suam eum Numine ve-

luti amicitiam. Hospes enim in actu receptionis fiebat sacrorum familiae recipientis particeps; ideoque ista receptio peragebatur non sine quadam religiosa caeremonia in sanctiori aedium parte, ceu arguere licet etiam ex Virgilio *Lib.* 8. *v.* 122. *seq.* ubi Pallas Evandri filius adventantem Aeneam his excipit verbis:

Egredere o quicumque es, ait, coramque parentem
Alloquere, ac nostris succede Penatibus hospes.

i. e. ritè cooptandus in nostrum hospitium coram Diis Penatibus. Virgilio libet addere Livium, qui *Lib.* 1. *cap.* 1. narrat, regem Latinum, *dexterâ datâ, fidem futurae amicitiae sanxisse. Inde foedus ictum inter duces, inter exercitus salutationem factam. Aeneam apud Latinum fuisse in hospitio: ibi Latinum apud Penates Deos domesticum publico adjunxisse foedus, filiâ Aeneae in matrimonium datâ.* Ex verbis, *ibi Latinum apud Penates Deos,* luculentissimè evincitur, etiam foedus *hospitii* sancitum fuisse coram Diis Penatibus. Non eo quidem inficias, nomen היכל *hecàl* accipi posse, immo debere, de Tabernaculo Mosis, quemadmodum accipitur 1. *Sam.* 1. *v.* 9. et *cap.* 3. *v.* 3. Templum enim tunc temporis nondum erat extructum, et Arca Foederis adhuc colebatur sub illo; sed, inspecta vocabuli potestate, cujus ratio semper habenda est, haud inverisimile mihi videtur, illud a Vate representari sub specie *magnifici, augusti, et excelsi palatii* cum coenaculo, quale ex. gr. erat איואן *Ivàn*, seu *Aivàn* Regum Persarum, Abulfedae memoratum in *Vit. Mochamm. cap.* 1. *pag.* 3. *edit. Gagneri*, et *pag.* 6. *edit. Adleri:* qua pariter dictione significatur *locus elatior ad CONSIDENDUM factus, coenaculum:* vide Golium in *Lexico col.* 191. Eadem dictione in *Arabe Erpeniano* designa-

tur *Praetorium Jo.* 18. *v.* 28. 33. et *cap.* 19. *v.* 9. *Act.* 23. *v.* 35.

in timore tui, prae me ferens venerationem erga te, atque debitum cultum exhibens, contra ac praedicti nebulones.

V. 9. *Domine duc me in justitia tua propter adversantes mihi,* hinc et deinceps eloquitur petitionem, cujus causså Deum enixè rogaverat, ut sua dicta audiret, *vv.* 2. 3. nimirum ut ipsum ducat per semitam justitiae suae, ne, si deviet, incidat in *mala*, quae sibi ab *adversariis* non sine summa ratione timet: qualia sint, innuit in *vers. seq.* 10. נחה est verbum pastoritium; dicitur enim, נחית *Duxisti ut oves populum tuum: per manum Mosis et Aharonis. Ps.* 77. *v.* 21. et propriè quidem notat *ducere aliquem viae ignarum,* prout ducebatur servus Abrahami *Genes.* 24. *v.* 27. tropicè autem, *ducere aliquem consilio atque auxilio*. Participium שוררים retinet hìc utramque potestatem sui thematis שרר *adversatus est: male fecit alicui;* atque per istos adversarios indicari creduntur qui partibus studuerunt Absalomi et Sebae, et adhuc erant novarum rerum studiosi in aula Davidis.

diriges ad facies meas viam tuam, videlicet *rectam*, *planam*, et sic *incessu-facilem* (tres enim istas potestates habet radix ישר) praesta ante me viam tuam, ut per eam inoffenso pede incedam; nam, si forte fortuna impingam, profectò qui me circumstant, et insidiosè observant, ansam abripient calumniandi, et obloquendi adversus me. De verbo הושר notandum est, antiquitus extitisse apud Hebraeos binas radices, ושר et ישר, quae communem significationem habent; ideoque minimè opus esse Masoretica correctione in הישר: adi Schultensium *Gramm. Hebr. pag.* 322. et 354. et

Schroederum *Gram. Hebr. Reg.* 77. *pag.* 79. Habet autem Patach pro Tzeri, aut Chirec gadòl, sub penultima radicali, ob sequentem Resc, quae, uti Gutturales, illud amat. Vide Schultensium *cit. loc. pag.* 302. et Schroederum *Reg.* 68. *pag.* 58.

V. 10. *Etenim non est in ore ejus* (uniuscujusque eorum) *firmum*, ad verbum, *Etenim vacuitas*, vel *defectus in ore ejus firmi*, Ebraica enim verba sunt כי אין בפיהו נכונה. Dictio אין adhibetur in regimine, licèt inter ipsam et suum genitivum alia interposita sit dictio, ut in hoc loco, ubi *Etenim vacuitas in ore ejus firmi* est pro *Etenim vacuitas firmi in ore ejus:* qualis constructio occurrit etiam in *Ps.* 6. *v.* 6. Vide Schultensium in *Origin. Hebr. pag.* 596. Duplicem parallelismum videor mihi videre in hoc versu, unum verborum *non est in ore ejus firmum* cum verbis *linguam suam lubricant;* qui enim lubricam habent linguam, istorum in ore nulla firmitas est, ubi consistas: alterum verborum *intimum eorum barathra* cum verbis *sepulchrum apertum guttur eorum*. Per vocem קרב *medium*, *intimum*, quando sermo est de humano corpore, intelligitur *cavitas* totius trunci, cujus cavitatis imagine Vates repraesentat vacuum *barathri*, et quidem *profundissimi*, ob numerum multitudinis *barathra*, qui superlativum facit; itemque significatur *cor*, tanquam sedes cogitationum, hìc pravarum, ut ratio constet similitudinis, Intimum eorum ob pravitatem cordis instar barathri est. Nomen הוה, *locus admodum depressus*, *profunda vallis*, *fossa*, *barathrum*, *Orcus*, *Infernus*, venit a radice הוה, cujus proprietas sita est in *sidendo*, et hinc *decidit*, *delapsus fuit* ex alto in barathrum; dein a *lapsu* in barathrum succrevit notio *periitionis* et *exitii*, cùm *corporis*, ut in *Al-Korano*, *jam* הוה *periit*. *Sur.* 20.

v. 77. tum mentis, ut apud Arabsiaden, פהוה *et periit intellectus ejus. Tom. I. pag.* 250. *lin.* 8. in decima conjugatione *dementavit, fascinavit, seduxit* aliquem Satanas, ut in *eodem Al-Korano, sicut ille,* אסתהותה *quem seduxerunt Satanae. Sur.* 6. *v.* 71. cui simile est illud Homeri *Iliad.* 12. *v.* 234.

Θεοί φρένας ὤλεσαν αὐτοί.

Dii mentem perdiderunt ipsi.

Hasce notiones, cum altera *pravitatis cupiditatum*, cumulatè habemus in *Anthologia sententiarum v.* 83. *pag.* 52.

Qui committit animam suam אלהוה *cupiditati,*
Is הוה *cadit in profundissimum* אלהוה *barathrum.*

nec non in *Poematio Ebn-Doreidi vers.* 27.

Quòd fatum conjieceret me in הוה *barathrum,*
Non convalescit anima ejus, qui in illud הוה *cadit.*

Phrasis huic nostrae similis extat in *Al-Korano, et corda eorum* הואא *barathrum. Sur.* 14. *v.* 42. Itaque הוה Ebraeorum, saltem in hoc loco, planè convenit cum *barathro* Atheniensium, de quo Harpocration, Hesychius, Suidas, Scholiastes Aristophanis in *Plut. ad v.* 431. Meursius *Lib.* 1. *Att. Lect. cap.* 25. Potterus *Lib.* 1. *Archaeolog. cap.* 25. Vossius in *Etymologico*, et cum Lacedaemoniorum *Ceada*, de quo Thucydides *Lib.* 1. *cap.* 134. Pausanias in *Messenicis, seu Lib.* 4. *cap.* 18.

sepulchrum apertum guttur eorum, ut probè innotescat convenientia hujus incisi, seu membri, cum praecedenti *intimum eorum barathra*, exhibenda est ex Salmasio forma sepulchri apud Judaeos » Specus erat subterraneus lapide structus, et cameratus cum foramine desuper ad demittenda cadavera, quod lapide vice operculi claudebatur » *Plinian. Exercit. pag.* 850. *col.* 2. Vides hinc, a forma *barathri*, quod Stephano Byzantino definitur τόπος

κοῖλος, *locus concavus*, non multùm differre structuram *sepulchri;* simulque vides consequentiam, quae liquidò fluit, eos, qui in barathrum intimi eorum dilabuntur, haberi tanquam mortuos, in sepulchrum dimittendos. Nec minus convenit vox *guttur* cum altera *intimum*, seu *cor:* in hoc enim concipiuntur pravae cogitationes, per illud ad os transmittendae, unde eas lingua, orationem factas, reddit ad auras. Vates hìc, ut quisque videt, naturali ordine recenset tres corporis partes, cum suis quamque muneribus, quae ad articulatae vocis formationem cuncurrunt in homine: in *gutture*, ibi scilicet, ubi *larynx* nominatur, fingitur ἐκφύσησις, *spiritus emissio*, cujus organum est *intimum*, pectus nempe et pulmones; ibique fit φωνὴ, *vox:* quae rursus fingitur a *lingua*, et fit διάλεκτος, *dialectus*, quae jam est *oratio*. Ita ex Galeno Camerarius in *Comment. utriusque Ling. pag.* 119. *seq.* Quoad vocabulum גרון *guttur*, mihi prae ceteris probatur derivatio ex Arabica radice גרה *fluxit*, cum Heemantica terminatione ון: siquidem per *guttur* (quo nomine intelligo *pharyngem* et *laryngem*) *fluunt* potus et cibus, nec non aer, spiritus, seu halitus, et vox, juxta illud Homeri, ῥέεν αὐδὴ, *fluebat vox*. *Iliad.* 1. *v.* 249.

linguam suam יחליקון *lubricant*, homines isti nequam et dolosi ex ore suo, in quo nulla firmitas est, ubi insistas, verba emittunt mollia, laevigata, blanda, adulatoria, et mendacia (nam חלק valet etiam *finxit, effinxit mendacium*, sicut in *Al-Korano Sur.* 29. *v.* 17. *Profectò colitis praeter Deum idola,* ותחלקון *et effingitis mendacium*) quibus male cautis imponentes, et ad lapsum velut impellentes, in barathrum exitiumque conjiciant. Eodem tropo usus est etiam Salomo, inquiens, *Ad eripiendum te a*

foemina aliena a peregrina, quae *dicta sua lubricat. Prov.* 2. *v.* 16. ubi vide Schultensium: nec non Cicero, *Interdum multas vias adolescentiae lubricas* (natura) *ostendit, quibus illa insistere, aut ingredi sine casu aliquo, aut prolapsione vix posset. Orat. pro M. Coelio cap.* 17. Vides istic, ut in nostro loco, *defectum firmitatis*, *casum* in periculum, et *lubricum*. Jurisconsulti quoque dixerunt, *Nec lubricum linguae ad poenam facile trahendum est. L.* 7. §. 3. *ff. de Leg. Jul. Majest.*

V. 11. *Reos dic*, vel *pronuncia illos Deus*, ut quà tales coram te quotidie ruant in deterius, et ita *excidant a consiliis suis* adversus me.

in multitudine praevaricationum eorum errare fac eos, instar boum et ovium *palantium, et a caulis longius discedentium*, donec feris occurrunt. Verbum נדח, transitivè valet *impulit*, *expulit*, et signantius *diversos egit*, juxta illud Junonis ad Aeolum *Aeneid.* 1. *v.* 70.

Aut age diversos, et disjice corpora ponto.

ubi Servius notat: *Disperge illos per diversa, ne ad Italiam veniant: duobus enim generibus deletur exercitus, aut internecione, aut dispersione:* et sicuti David hìc ait, *propter adversantes mihi, vers.* 9. ita istic Dea, *Gens inimica mihi: cit. loc. v.* 67. intransitivè autem *erravit, a caula longius discessit, Deut.* 22. *v.* 1. *Jechiz.* 34. *v.* 4. Confer *Ps.* 49. *v.* 15. et ibi notata. Vides hìc initium mortis coelitus immissae. Redi ad *Ps.* 1. *v.* 4. *seqq.*

quoniam rebellaverunt in te, verbo tuo audientes esse renuerunt.

V. 12. *Et laetabuntur*, et tum, quum illos pronunciaveris reos, laetabuntur etc. Vide Schroederum *Gramm. Hebr. pag.* 329. et Noldium ad *Particulam Vau* §. 68.

in saeculum, nomen עולם, quod communiter redditur *saeculum*, *tempus longissimum*, tam praeteritum, quàm futurum, *aeternitas*, propriè signat *durationem*, cujus alteruter, vel uterque terminus est *absconditus* ratione longinquae suae distantiae; recipitque determinationem a subjecta materia: ita ut, si ad hominem refertur, tempus innuat vitae, ut quum David ait, *Et custodiam Legem tuam jugiter*, לעולם *in saeculum et perpetuum*. *Ps.* 119. *v.* 44. videlicet quamdiu vivam: si ad alias res, ratio habetur temporis, quo exstiterunt, veluti, *gens* מעולם *a saeculo*, *Jer.* 5. *v.* 15. i. e. antiqua, quae pluribus abhinc annis extitit; vel quo duraturae sunt, uti quum Deus ait Abramo, *Nam omnem terram quam tu vides tibi dabo: et semini tuo usque in* עולם *saeculum. Gen.* 13. *v.* 15. h. e. quamdiu durabit Ebraeorum Respublica: postremò, si ad Deum, aeternam signat durationem, quae neque initium habet neque finem, sicuti *in nomine Domini Dei* עולם *saeculi*. *Genes.* 21. *v.* 33. qui scilicet fuit eritque in omnem aeternitatem.

jubilabunt, verbum רנן propriè notat, *tinnulum et tremulum sonum edidit* arcus post emissam sagittam, qui a nervi impulsi sono Arabibus dicitur מרנאן *marnàn*, *tinnulum gemens*, in hoc versiculo amatorio Ebn-Al-Roumi de amasia quadam apud Schultensium ad *Haririum Cons.* 1. *pag.* 11.

Queri facit amatorem, *queriturque*, *ipsa licèt laedens:*
Instar arcus, *qui occumbere facit praedas*, *et ipse* מרנאן *tinnulum-gemens*.

Tinnulum sonum arcus expressit etiam Homerus *Iliad.* 4. *v.* 125.

Λίγξε βιὸς, νευρὴ δὲ μέγ' ἴαχεν, ἆλτο δ' ὀϊστός.

Stridorem-dedit arcus, nervus autem valde sonuit, saliitque sagitta.

Hinc indoles istius radicis, quae est *sonum edidit clamando*, applicari amat, cùm ad laetas cantillationes, ut *h. loc.* et *Ps.* 63. *v.* 6. tum ad moestas, ut *Ps.* 17. *v.* 1. *Thr.* 2. *v.* 19. et alibi saepe.

et teges super eos, h. e. quia proteges eos: particula *Vau* rationem rei praecedentis subnectit, sicuti, *Ecce tu mortuus propter mulierem quam cepisti*, והיא *quia ipsa maritata marito. Genes.* 20. *v.* 3. Vide Schroederum *Gr. Hebr. pag.* 328. et Noldium ad *d. particul. Vau* §. 50.

et exultabunt in te, repetit praecedentem *laetitiam* cum auxesi; nam verbum עלץ importat *gaudium maximum*.

diligentes nominis tui, dictio שם *nomen* saepe saepius usurpatur pro ipsa *persona*, velut, *Exaudiat te Dominus in die angustiae: nomen Dei Jaakobi. Ps.* 20. *v.* 2. h. e. Deus Jaakobi: quo sensu usurpant et Latini, ut Ovidius *Lib.* 2. *Trist. v.* 442.

. . . . *quis dubitet nomina tanta sequi?*

Valerius Flaccus *Lib.* 5. *Argom. v.* 120.

. . . . *nova Dux accedere gaudet*
Nomina.

Silius Italicus *Lib.* 17. *Punicor. v.* 490. *seq.*

Jamque ardore truci lustrans fortissima quaeque
Nomina obit ferro.

Hoc, inquam, sensu dictio שמך *nominis tui* respondet praecedenti בך *in te.* Vide infra ad *Ps.* 9. *v.* 3.

V. 13. *Nam tu benedices justum Domine*, rationem veluti reddit, cur in malos homines precatus est, *Reos dic illos Deus, v.* 11. de bonis dixit, *teges super eos, v. sup.* 10. nimirum quia *tu benedices*, h. e. benedicere soles, *justum.* ברך propriè *plicuit*, mox in specie *genua flexit, in genua procubuit*,

uno verbo *supplicavit*, id quod homines faciunt, dum Regem, aut magnum aliquem virum conveniunt adorandi, aut salutandi gratia, nec non dum ab eo discedunt; eaque occasione et convenientes et dimittentes munera sibi invicem inter faustas *adprecationes* et gloriosas *narrationes* largiuntur. Sic Magi, quum eò pervenissent, ubi erat divinus Infans, *procidentes adoraverunt eum: et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, et thus, et myrrham*. *Matt.* 2. *v.* 11. et Maria Mater ejus vicissim, si fides habenda est Auctori *Evangelii Infantiae pag.* 16. *cepit unam ex illis taeniis*, quibus involutus erat Infans, *deditque eis* discedentibus *loco* אלברכה *benedictionis*. Ex faustis *adprecationibus*, et gloriosis *narrationibus*, quae locum habent inter *supplicandum*, in varios usus, quos Graeci per suum εὐλογεῖν, Latini per suum *benedicere* generaliter expresserunt, transiit hoc verbum ברך, quorum praecipuos, pro diversitate *benedicentium*, et *benedictorum*, libet hìc eloqui. Quando Deus homines vel res benedicit, notat *benefacere*, *bonis cumulare*, *honore afficere*, *prosperare*: de hominibus, *Et benedixit eos Deus, et dixit eis Deus, Fructiferi estote et multiplicamini et replete terram et subjicite eam: et dominamini in piscibus maris et in volatilibus coelorum, et in omni bestia reptanti super terram*. *Genes.* 1. *v.* 28. *Et faciam te in gentem magnam, et benedicam te, et magnificabo nomen tuum: et esto benedictio*. *Genes.* 12. *v.* 2. de rebus, *et benedicet panem tuum et aquas tuas*. *Exod.* 23. *v.* 25. adde *Deut.* 7. *v.* 13. et *cap.* 33. *v.* 11. Vicissim quando homo Deum *benedicit*, signat προσκυνεῖν, *adorare*, eo scilicet modo, ad quem Persae Lacedaemoniorum legatos adigere valebant apud Herodotum: καὶ ἀνάγκην σφι προσφερόντων προσκυνεῖν

βασιλῆα προσπίπτοντας. *et vim afferentibus, ut adorarent Regem procumbentes etc. in Polymn.* seu *Lib. 7. cap.* 136. idque non sine precibus, laudationibus, et gratiarum actionibus, uti, *Venite prostremus incurvemus nos: et benedicamus* (vel *supplicemus*, aut *adoremus*) *ad facies Domini Factoris nostri. Ps.* 95. *v.* 5. Quando homo *benedicit* homini, valet *ei bene precari, fausta quaeque optare,* veluti, *Et benedixerunt Ribkam et dixerunt ei, Soror nostra, tu sis in millia myriadum: et possideat semen tuum portam odientium ipsum. Genes.* 24. *v.* 60. aut *salutare*, veluti, *Et benedixit Jaakobus Pharaonem. Genes.* 47. *v.* 7. *et* 10. quum scilicet ingrederetur ad eum, et egredetur, post adventum ipsius in Aegyptum, idque eo modo, de quo paulo ante, quum traderemus primigeniam potestatem radicis. Postremò quando homo *benedicit* rebus, denotat *precari Deum, ut prosperentur,* veluti, *Benedictus fructus ventris tui et fructus terrae tuae et fructus animalis tui: foetus boum tuarum et ovium pecudis tuae. Benedictus corbis tuus et mactra tua. Deut.* 28. *v.* 4. 5. In Ecclesiastica praxi *benedictio rerum*, quae hinc dicuntur *sacrae*, vel *sanctae*, vel *religiosae*, est actus, quo Sacerdotes eas certis caeremoniis a caeteris separantes, quasi *genuum flexione* dignas pronunciant, exemplo benedictionis Sabbathi, *Et benedixit Deus diem septimum, et sanctificavit illum. Genes.* 2. *v.* 3. *Exod.* 20. *v.* 11. h. e. prae reliquis diebus honoratum voluit.

tanquam clypeo, benevolentia cinges eum, i. e. cingere soles.

PSALMUS VI.

ARGUMENTUM

Occasio hujusce Psalmi est morbus, in quem David, vel alius quivis, inciderat, a quo liberari rogat, ne, si ex eo moriatur, ansa praebeatur inimicis suis exultandi, et insultandi: nec tamen excluditur sensus de morbo spirituali; ideoque ab Ecclesia reponitur inter septem Psalmos Poenitentiales.

V. 1. PRAEFECTO in pulsatilibus super Hassheminith, Psalmus Davidis.

2. Domine ne in naso tuo corripias me, et ne in calore tuo redarguas me.

3. Miserere mei Domine, quoniam languefactus est ego, sana me Domine: quoniam quassata sunt ossa mea.

4. Et anima mea quassata est vehementer, et tu Domine, usquequo?

5. Revertere Domine eripe animam meam: serva me, propter benignitatem tuam.

6. Quoniam non est in Morte commemoratio tui: in Orco quis laudes dicet tibi?

7. Laboravi in suspirio meo, natare facio in tota nocte lectum meum: in lacryma mea, spondam meam liquefacio.

8. Erosus est prae indignatione oculus meus: consenuit, inter omnes adversantes mihi.

9. Recedite a me omnes operantes iniquitatis: quia audivit Dominus, vocem fletus mei.

10. Audivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscipiet.

11. Erubescent et perturbabuntur valde omnes inimici mei: revertentur, erubescent momento.

COMMENTARIUS

V. 1. *Praefecto in pulsatilibus*, de his dictum est ad titulum Psalmi IV.

super hassheminith, השמינית est prima dictio vetustioris cantilenae, cujus ad numeros vult David cantari hunc Psalmum, juxta notata ad *Ps. sup.* *v.* 1. et sic accipitur *Ps.* 12. *v.* 1. nec non 1. *Par.* 15. *v.* 21. Extra hunc usum semel tantùm reperitur, nempe *Lev.* 25. *v.* 22. ubi legitur, *Et seminabitis annum* השמינית *octavum:* unde conjecturam duco, argumentum istius cantilenae fuisse instaurationem sementis in anno octavo post intermissionem ejus in anno septimo, seu preces, supplicationesve (Ecclesiastico vocabulo *Rogationes*, Latino veteri *ambarvalia*) ad Deum pro impetranda frumenti, vini, et olei abundantia. Exemplum hujusmodi agrestium carminum extat in Jesaia *cap.* 5. *v.* 1. prout ibi exposuimus. Praxis antiquiorum gentium hac in re auctoritatis aliquid conciliat meae conjecturae: Hesiodus instruens agricolas praecipit *Op. et Di.* *v.* 465. *seq.*

Εὔχεσθαι δὲ Διὶ χθονίῳ, Δημήτερί θ' ἁγνῇ,
Ἐκτελέα βρίθειν Δημήτερος ἱερὸν ἀκτήν.
Supplica Jovi infero, Cererique castae,

Ut perfecta gravescat Cereris sacra messis.
unde Virgilius 1. *Georg. v.* 338. *seqq.*
In primis venerare Deos, atque annua magnae
Sacra refer Cereri, laetis operatus in herbis
Extremae sub casum hiemis, jam vere sereno.
Tunc agni pingues, et tunc mollissima vina:
Tunc somni dulces, densaeque in montibus umbrae.
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret:
Cui tu lacte favos, et miti dilue Baccho:
Terque novas circum felix eat hostia fruges,
Omnis quam chorus, et socii comitentur ovantes:
Et Cererem clamore vocent in tecta, neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quàm Cereri, torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompositos, et CARMINA dicat.
Adde *Eccl.* 5. *v.* 75. de privatorum autem votis *Ecl.* 3. *v.* 77.

V. 2. *Domine ne in naso tuo*, in ira tua, *corripias me*, quia, ut ait Homerus *Iliad.* 5. *v.* 178. χαλεπὴ δὲ Θεȣ̃ ἔπι μῆνις, *difficilis Dei est ira*. Ista deprecatio sic est accipienda, ut illa Jeremiae, *Castiga me Domine, verumtamen in moderatione-temperata: ne forte minuas me.* h. e. ad nihilum redigas me. *Cap.* 10. *v.* 24. Phrasis *in naso tuo* significat, *dum fumat nasus tuus*, quemadmodum alibi dicitur, *fumabit nasus tuus in oves pascui tui. Ps.* 74. *v.* 1. idque ex *calore irae*, ut dicere pergit, *et ne in calore tuo redarguas me.* Metaphora ducta est ex apris, serpentibus, equis etc. qui vehementissima ira concitati, fumum et flammas spirant: de apro Ovidius 8. *Metamor. v.* 289.
Fulmen ab ore venit, frondesque adflatibus ardent.
de serpente Silius Italicus 6. *Punicor. v.* 219.
Et Stygios aestus fumanti exsibilat ore.
de equo Virgilius 3. *Georg. v.* 85.

Collectumque premens volvit sub naribus ignem. de Livjathane Jobus, *Ex ore ejus faces procedunt: scintillationes ignis prosiliunt. Cap.* 41. *v.* 10. Etiam de Deo alibi David, *Ascendit fumus in naso ejus, et ignis ex ore ejus devoravit etc. Ps.* 18. *v.* 9.

V. 3. *Miserere mei Domine, quoniam languefactus est ego*, duplicem radicem Grammatici assignant voci אמלל: prima est אמל, cujus proprietas Wilmeto est *marcuit*, *emarcuit*, *succo et vigore omni exhausto*. Hujus in Kal extat solùm participium Paül foemin. apud Jechizkielem, *Quàm* אמלה *languidum cor tuum! cap.* 16. *v.* 30. In Pièl, ejusque passiva Puàl, geminatâ tertiâ radicali pro Daghèsc forte characteristico in secunda, fit אמלל, quae est opinio Stockii *Clav. Ling. Sanct. pag.* 68. nisi cum Schultensio *Gr. Hebr. pag.* 306. et cum Schroedero *Gr. Hebr. pag.* 37. agnoscere volumus hìc conjugationem Pulàl, juxta formam quadrilateri verbi רֻטֲפַשׁ *reviruit Job.* 33. *v.* 25. Alterutrâ formâ admissâ, nostrum אֻמְלַל, propter Kibbùtz primae syllabae et Patàch postremae, reputandum necessariò est verbum praeteritum tertiae personae, nequaquam verò nomen, quia ejusmodi nomina in principio habent Patàch, vel Chirek, in fine Kamètz. Grammatici et Lexicographi ideo ponunt hoc vocabulum inter nomina, quia nullo modo conjungi possunt verbum tertiae personae et pronomen primae, qualia sunt ista, *languefactus est*, et *ego:* hac, inquam, de caussa coacti sunt exponere ut nomen, videlicet *valde languidus ego*. Ego, ne vis inferatur grammaticali verborum structurae, agnosco in hoc etiam loco frequentissimam relativi ellipsin, ob quam verba tertiae personae in hujusmodi loquutionibus nonnumquam ponuntur instar participii: quam regulam hìc statuit doctissimus Coccejus, et

confirmat ex illo Jesaie הנני יִסַּד *Ecce ego fundavit. cap.* 28. *v.* 16. h. e. Ecce ego sum is, qui fundavit: ubi Patach est secundum exceptionem, quam Schroederus ponit *Gr. Hebr. pag.* 57. *c.* » Piël, in omnibus temporibus, pro ordinaria vocali Tzeri etiam Patach admittit » Exemplum verò luculentius, et huic nostro simillimum, est illud Jechitzkielis וְנֵאשֲׁאַר אֲנִי *Et remansit ego cap.* 9. *vers.* 8. videlicet, Et is, qui remansit, ego ipse fui: vox ista ונאשאר Schultensio *Gr. Hebr. pag.* 494. dicitur *Crux Grammaticorum*. Hinc nostra haec verba, *quoniam languefactus est ego*, valent, quoniam is, qui languefactus est, ego ipse sum. Altera radix, ad quam referunt nostrum אמלל, est מלל, cujus origo sita est in *aestuando*, et hinc *cineribus calidis*, aut *prunis supposuit coquendum* panem, vel carnem, ut apud Arabsiadem, *nec permittere pabulatori eorum, ut descendat, et abripiat pecudem de grege festinator ollulae eorum, quam* ימל *coquat. Tom. II. pag.* 750. *lin.* 8. Et medià kesratà, igne lentiore ad *taedium* translato, *fastidivit, taedium cepit, pertaesus fuit*, apud eumdem, *donec* מל *fastidivit commorationem in ista regione. d. Tom. II. pag.* 774. *lin.* 8. unde מלאל *taedium* apud Haririum *Consess.* 4. *pag.* 62. *lin.* 5. et מלול *pertaesus, fastidio captus*, penes Arabsiadem *d. Tom. II. pag.* 938. *lin.* 2. In secunda conjugatione formae quadrilaterae תמלמל *de latere in latus se revolvit* in lecto, *quiescere nesciens, prae calore febrili*, vel *moerore*, unde substantivum תמלמל talis *versatio irrequieta*, prae attonitae mentis stupore, et aegritudine, apud Haririum *Consess.* 5. *pag.* 124. *lin.* 2. *Et ipse prae stupore mentis in* תמלמל *versatione irrequieta*. Vide Schultensium ad *h. loc.* et in *Originib. Lib.* 1. *Part.* 2. *cap.* 2. §. 16. Doctissimus iste Criticus *Gr. Hebr.*

pag. 479. *seq*. ad hanc potius, quàm ad superiorem radicem refert nostrum אֻמְלַל, et existimat, esse Hophàl pro הָמְלַל. Significatio etiam hujus radicis aequè, ac illius, convenit nostro loco; sed me nonnihil movet duplex anomalia, nempe Aleph pro He, et forma אמלל pro הומל. Illud insuper animadverto, nostrum hoc verbum ubique inveniri cum Aleph, unde arguere possumus, esse litteram radicalem; et conjugationem Pulàl, quam in principio adstruximus, augere vim verbi. Quid tamen, si dicamus, binas radices אמל et מלל in unam coaluisse, juxta formam indicatam רטפש, ex רטב *maduit*, et פוש *turgere*, idque intendendae significationis gratia per conjunctionem duplicis notionis?

V. 4. *Et anima mea quassata est vehementer*, superius dixit quassationem partium, in quibus maximè consistit vitalitas, nempe ossium, hìc quassationem ipsius vitalitatis; et eodem fere utitur loquendi modo, quo Homerus circumloquitur necem Pandari *Iliad*. 5. *v*. 296.

... τῦ δ' αὖθι λύθη ψυχή τε μένος τε.

... *ejus enim ibi solvebatur animaque roburque*.

Istic *anima* est vita corporis, *robur* vis vivifica animans corpus: quae binae voces apud Scriptores Graecos idem valent, ac unica vox נפש *anima* apud Ebraeos, nempe vitam et vitalitatem. Pro ratione autem morbi, a quo vir pius liberationem poscit, non alienum est ab argumento, ut *anima* hic accipiatur de *vitae jucunditate*, quae, ut Cicero ait, *corporis gravioribus morbis impeditur*. 1. *Fin. cap*. 18. Significatio *festinationis* et *celeritatis*, quam verbum בהל habere vidimus ad *Ps*. 2. *v*. 5. in memoriam revocat locum Herodoti in *Calliope*, seu *Lib*. 9. *cap*. 36. *al* 37. Ὁ δὲ ἐν τούτῳ τῷ κακῷ ἐχόμενος, ὥστε τρέχων περὶ τῆς ψυχῆς κ. τ. λ. *Ille autem*

(Hegesistratus) *in hac calamitate positus, utpote currens* (i. e. periclitans) *de vita etc.* Quamvis Budaeus *Comment. Ling. Graec. pag.* 968. subaudiat hic accusativum κίνδυνον *periculum* ex Dionysio Halicarnassensi *Tom. II. Opp. pag.* 157. *lin.* 31. *edit. Hudsoni*, ut et in locis aliorum Scriptorum, quos allegat, illud tamen animadverto, Dionysium esse Herodoto longè recentiorem; reliquos autem, praeterquamquod sunt etiam ipso Dionysio recentiores, habere articulum τὸν, quem non habet Herodotus. Igitur ob hujus vetustatem, et diuturnam in Orientis regionibus peregrinationem, suspicor, non tamen decerto, ejus phrasin, τρέχων περὶ τῆς ψυχῆς, *currens de anima*, originem suam debere huic nostrae, *Et anima mea festinare facta est*, vel *currit*, subintellige, *ad sepulchrum*.

usquequo? Interpretes fere omnes cum Caldaeo subaudiunt רוח לי *refrigerium mihi*, nempe differes. Ego autem nullum hic agnosco defectum, quum ea, quae sequuntur, *Revertere Domine etc. vers. seq.* 5. pro genio Linguae, suppleant quae deesse videntur, hoc modo: Et tu Domine, *quando* reverteris ad eripiendum me ab hoc periculo? Pro exemplo sit famigeratus locus, *Et dixit Kainus ad Hebelem. Gen.* 4. *v.* 8. ubi sacer Historicus omittit, quod Kainus dixit, sed ex verbis sequentibus, *et fuit in esse eos in agro*, facile id arguitur, quod voluit dicere, nempe *transeamus in agrum*, id quod dilucidationis ergo, sed absque necessitate, supplerunt Samaritanus, Caldaeus Jonathan Uzielis filius, et Septuaginta Graeci.

V. 5. *Revertere Domine*, nempe placatus ad me, quem iratus deseruisti.

V. 6. *Quoniam non est in Morte commemoratio tui*, nunc Deum adducere conatur ad se praeservan-

dum ab interitu, argumentando a silentio mortuorum in Inferno, h. e. a cessatione officiorum omnium erga ipsum, quae unicè consistunt in commemoratione et in laudibus ejus. Radix מות propriè valet *macerari*, *maceratione dissolvi*, deinde *mori*. Ex prima significatione luculentissimè innotescit, quo sensu accipienda sunt verba Dei ad Adamum, *Quo die comederis ex ea* (arbore), *moriendo morieris*. *Genes.* 2. *v.* 17. nempe mori incipies, necessitati moriendi obnoxius fies per continuam veluti *macerationem*, ut Horatius ait *Lib.* 1. *Od.* 3. *v.* 29. *seqq.*

Post ignem aetheria domo
Subductum, macies et nova febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda necessitas
Lethi corripuit gradum.

In hoc autem loco per *Mortem* non intelligitur *maceratio* corporis ejusque *dissolutio*, sed *status et receptaculum mortuorum*, id quod arguit et vox parallela שאול *Orcus*, *Infernus*. Similiter apud Virgilium *Lib.* 6. *v.* 371. umbra Palinuri in precatione ad Aeneam dicit,

Sedibus ut saltem placidis in Morte quiescam.

scilicet in loco mortuorum: et *Lib.* 10. *v.* 662. dicitur,

Obvia multa virûm demittit corpora Morti.

sumptum est ex *Iliad.* 1. *v.* 3. Altera dictio זכר *recordatio*, *memoria*, *commemoratio*, notat etiam *laudationem*, sicuti ejus thema זכר *meminit*, *recordatus est*, significat etiam *laudavit* in hoc Nachumi loco, יזכר *Laudabit heroas suos*, *cap.* 2. *v.* 6. et sic concinit cum altero hemistichio, *quis laudes dicet tibi?* Quia totum religiosi cultus negotium consistit in memoria beneficiorum, quibus nos

Deus cumulavit, et mandatorum, quibus nos sibi devinxit, quorum quidem recordari non possumus, quin simul et Auctoris recordemur: hinc manifestum fit, cur tantopere cordi sit ei hoc suae recordationis officium.

in Orco, multum a multis disputatum est de origine vocis שאול *Orcus*, *Infernus:* mihi libet in illorum ire sententiam, qui, planiori via incedentes, deducunt a themate שאל, quatenus notat *petere*, h. e. *tendere aliquò*, ut apud Jeremiam, *Tzionem* ישאלו *petent*. *Cap.* 50. *v.* 5. i. e. contendent: cujus interpretationis auctor est Schultensius *Opp. minor. pag.* 301. Secundum hanc derivationem, שאול est *locus, quem omnes petunt*, videlicet ad quem omnes tendunt; idque confirmatur ex vocabulo *itionis*, quo in Scriptura enunciatur profectio ex hac ad alteram vitam, sicuti, *ibo ad portas Orci*. *Jes.* 38. *v.* 10. et apud Horatium *Lib.* 1. *Od.* 4. *v.* 16. *seqq.*

Jam te premet nox, fabulaeque manes,
Et domus exilis Plutonia: quò simul mearis,
Nec regna vini sortiere etc.

Alio etiam intuitu deduci potest ex eodem themate שאל, quatenus nempe significat, *rationem exegit* Deus, ut in hoc Al-Korani loco, *Deinde* לתשאלן *certè rationem-reddere-cogemini die illa de deliciis*. *Sur.* 102. *v.* 8. Ibi agitur de Deo, rationem exigente ab hominibus, multiplicandi studiosis, in die obitus, vel magni judicii. Hanc derivationem confirmant ipsi gentilium Theologi, dum ad Orci domum statuunt Synedrium, seu consessum Judicum, pro exigendis rationibus a mortuis. Synedrium istud tribus Judicibus constat, Minoe, Rhadamantho, Aeaco, quibus posteriori tempore adjuncti sunt, ut Pindarus tradit *Olymp. Od.* 2. *v.* 137. *seqq.* Peleus,

Cadmus, et Achilles. De priori, nempe Minoe, haec narrat Ulysses *Odyss.* 11. *v.* 567.

"Ενθ' ἤτοι Μίνωα ἴδον, Διὸς ἀγλαὸν υἱὸν,
Χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νεκύεσσιν,
Ἥμενον· οἱ δέ μιν ἀμφὶ δίκας εἴροντο ἄνακτα,
Ἥμενοι, ἑσταότες τε, κατ' εὐρυπυλὲς Ἄϊδος δῶ.

Ibi sanè Minoem vidi Jovis illustrem filium,
Aureum sceptrum tenentem, jus-dicentem mortuis,
Sedentem: illi verò circa ipsum causam dicebant Regem,
Sedentes, stantesque, per amplam-portis Plutonis domum.

De aliis duobus, Rhadamantho et Aeaco, nec non de Minoe, loquitur Plato in *Gorgia Tom. I. Opp. pag.* 526. et in *Axiocho Tom. III. pag.* 371. quo posteriori loco habetur aulae et dicasterii topographia: Τὰ δὲ πρόπυλα τῆς εἰς Πλούτωνος ὁδοῦ σιδηροῖς κλείθροις καὶ κλεισὶν ὠχύρωται· ταῦτα δ' ἀνοίξαντα ποταμὸς Ἀχέρων ἐκδέχεται· μεθ' ὃν Κωκυτός· οὓς χρὴ πορθμεύσαντα ἀχθῆναι ἐπὶ Μίνω καὶ Ραδάμανθυν, ὃ κληΐζεται πεδίον ἀληθείας. Ἐνταυθοῖ καθέζονται δικασταί, ἀνακρίνοντες τῶν ἀφικνουμένων ἕκαστον, τίνα βίον βεβίωκε, καὶ τίσιν ἐπιτηδεύμασιν ἐνῳκίσθη τῷ σώματι. *Vestibulum autem quo aditus patet ad Platoniam regiam, ferreis repagulis et clavibus firmatur: his apertis, fluvius Acheron excipit, post quem Cocytus: quibus trajectis, oportet duci ad Minoem et Rhadamanthum, in eum locum, qui appellatur Campus veritatis. Ibi sedent Judices, examinantes quemque eorum, qui adveniunt, quam vitam vixerit, et quibus in institutis versatus fuerit, dum in corpore esset.* Haec Plato abripuit cùm ex dogmatibus Orientalium, tum ex declaratione nostrae vocis שאול, qua, ut hinc luculentissimè patet, significatur *locus*, quem omnes *petunt*, *rationem* de vita *reddituri*.

Caeterùm duo consignantur hac voce: Primum *Princeps mortuorum*, sicuti, *Deus redimet animam meam de manu Orci*. *Ps.* 49. *v.* 16. *De manu Orci redimam eos, a Morte redimam eos: ero pestes tuae Mors, ero exitium tuum Oree. Hos.* 13. *v.* 14. Is a Graecis, etiam in sacris Scripturis, dicitur Ἅιδης. Latinos quoque eum habuisse pro *Deo Inferorum*, testatur cum aliis Cicero, *Ergo etiam Orcus, frater eorum, Deus. Lib.* 3. *de N. D. cap.* 17. et Petronius *Satyr. cap.* 34. ait,

Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.

Deinde notatur *Inferorum locus*, seu *Infernus*, ut *h. loc.* et alibi, *si stratum fecero Orcum*, seu *Infernum. Ps.* 139. *v.* 8. sic apud Virgilium *Lib.* 6. *v.* 273. *seq.*

Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia Curae.

et apud Propertium *Lib.* 3. *Eleg.* 17. *v.* 27.

Minos sedet arbiter Orci.

Graeci hunc locum appellant πύλας *portas*, vel δῶμα, seu δόμον Ἀΐδυ, *domum Orci*, seu *Platonis:* Arabes ראר אלפנא *domum Mortis*, ut est apud Arabsiadem *Tom. I. pag.* 188. *lin.* 9. Tertiam significationem *sepulchri*, quam plures mordicus tuentur, nonnulli, quos inter Schultensius ad *Prov.* 27. *v.* 20. in universum negant. Tu tamen expende locum *Ps.* 141. *v.* 7.

Similiter etiam dictio מות *Mors*, praeter *macerationem*, et *dissolutionem* corporis, nec non *mansionem mortuorum*, de qua paulo ante, notat *Praesidem mortuorum*, uti, *Mors pascet eos. Ps.* 49. *v.* 5. et apud Euripidem in *Alces. v.* 24. *seqq.* dicit Apollo:

Ἤδη δὲ τόνδε Θάνατον ἐισορῶ πέλας,
Ἱερῆ θανόντων, ὅς νιν εἰς Ἅιδυ δόμυς
Μέλλει κατάξειν.

Jam enim hanc Mortem video prope,
Sacerdotem mortuorum, quae ipsam (Alcestin)
ad Plutonis domos
Est deductura.

Quamvis Macrobius *Lib.* 5. *Saturnal. cap.* 19. sub hoc nomine Θάνατον *Mortem* agnoscat *Orcum,* malui tamen proprietatem vocabuli retinere, et alterum ab Orco, saltem nomine tenus, facere Numen, tum quia haec mea sententia firmatur sacris paginis, tum etiam quia Euripides in eodem loco praeter *Mortem* memorat ipsum Ἅδην *Orcum.*

quis laudes-dicet tibi? verbum ידה in sua origine valet *tetendit*, item *jecit, projecit, jaculatus est*, unde יד *manus protensa*, nisi haec est vox primitiva, eique potius originem debet verbum ידה, utpote quo significatur *tensio manus*, et actio, qua quid *manu jacimus, projicimus, jaculamur:* deinde *laudavit, celebravit*, quoniaquem *celebramus*, hunc veluti *protendimus*, et quasi *protensa manu* ostentamus, vel encomia in eum *projicimus.* Quoad usum hujusce verbi ידה, Ebraei utuntur eo in conjugationibus Hiphil et Hithpaël ad tres designandos modos, quibus subjectionem Numini palam testamur: nempe I. *Laudationem*, qua ejus majestatem et potentiam canimus, et quasi protendimus in populum: II. *Gratiarum actionem*, qua ejus beneficia nobis collata praedicamus, et quasi projicimus ob aliorum oculos: III. *Confessionem*, cùm eam, qua ipsum publicè et intrepidè fatemur, tum illam, qua nostra peccata veluti coram aliis projicimus, et sic ejus in nos legem et imperium fatemur. Potestatem hanc Orientalis verbi ידה migrasse puto in Graecum ἀμφιβάλλω *circumjicio*, quatenus adhibetur de *hymnorum*, seu *laudum compositione*, quo sensu Pindarus usurpavit *Olymp. Od.* 1. *v.* 13. *seqq.*

Ὅθεν ὁ πολύφατος
Ὕμνος ἀμφιβάλλεται
Σοφῶν μητίεσσι, κελαδεῖν
Κρόνου παῖδ᾽ ἐς ἀφνεὰν ἱκομένους
Μάκαιραν Ἱέρωνος ἑστίαν.
Unde celeberrimus
Hymnus circumjicitur
Sapientum ingeniis, quo canant
Saturni filium qui ad opulentam veniunt
Beatam Hieronis domum.

Si haec derivatio in mentem venisset doctissimo Heyne, coactus non fuisset fateri, latere se usum loquendi vocis ἀμφιβάλλεσθαι, neque contaminasset purissimum locum, sollicitando veterem et receptam lectionem. Tria illa officiorum genera, quae commemoravimus, cessant omnino in *Orci* et *Mortis ditione;* nec obstat quod David alibi dicit, *Si scandero Coelos ibi tu: si stratum-fecero Orcum ecce te. Ps.* 139. *v.* 8. unde manifestò liquet, Deum in *Orco* aequè, ac in *Coelis,* adesse, ibique suam retinere supremam dominationem: siquidem jurisdictio, quam ibi exercet mortuorum Princeps, est veluti delegata, et in homines probos ad tempus exercenda, ut infra videbimus. Clericus confert huc *Ps.* 30. *v.* 10. *Ps.* 88. *v.* 11. et *Ps.* 115. *v.* 17. in quibus, aliisque similibus locis negantur mortui commemorare Deum, et laudare. Quod verum est, inquit ille, quia haec fiunt adhibitis corporis organis. Sed animi a corpore sejuncti Deum cogitatiotionibus laudant more spirituum, quae ei non minus notae et gratae sunt, quàm laudes viventium vocales. Verùm, eo tempore, haec non erant nota, aut certè obscurissimè. Talis expositio penitus infringit argumentum, quo Vates Deum flectere conatur, ut ipsum valetudini restituat; is enim ita ar-

gumentatur: Si ego, qui te meis carminibus laudo, gratias ago, et confiteor, hoc morbo peream, tu meis laudibus, gratiarum actionibus, et confessione, quas unicè a nobis exigis, carebis. Istorum verò cessatio nihili aut parvi facienda esset, si vocalibus viventium laudibus in hoc mundo succederent cogitationes in altero, et hae Deo essent aequè acceptae, ac illae. Id potius meâ quidem sententiâ tenendum hìc est, quod neminem latet, multisque adductis auctoritatibus probavit Petrus Galatinus in *Opere de Arcanis Catholicae Veritatis Lib.* 6. *cap.* 6. *seqq.* omnes homines inde ab Adamo, quantumcumque sanctos, usque ad Messiae adventum reos, et idcirco Deo culpabiles fuisse, et quà tales descendisse in *Infernum*, sub *Orci* potestate, mortuorum Principis, et *Mortis* detinendos. Nimirum, pro oeconomia Dei in hominum negotio post ruptum ab Adamo foedus cum ipso, eorum corpora, ob esum vetitae arboris, macerationi reddidit obnoxia, ut tandem dissolverentur, et ita rursus in terram redirent; animabus verò, post corporum dissolutionem, utpote labe primi parentis adhuc inquinatas, necdum expiatas, arbitrio Mortis et Orci commisit, donec Messias, Sponsor pro hominibus apud ipsum, lytron, h. e. redemptionis-pretium, solvisset. Praeterea locus et tempus hujusce detentionis dicitur דומה *Dumàh*, i. e. *silentium*, in *Ps.* 115. *v.* 17. *Non mortui laudabunt Dominum: neque omnes descendentes silentii*, h. e. in Infernum. Istic dictio *omnes* distributivè stat, et sistit singulas hominum qualitates, pios, impios, et extraneos a Foedere Dei: altera dictio *silentii* notat cessationem non solùm laudis vocalis, sed etiam alterius cujuscumque actionis, ideoque et cogitationis, contra sententiam Clerici, quae refellitur et altero loco pa-

rallelo: *Numquid mortuis facies mirabile: num manes resurgent, et celebrabunt te? Selah. Numquid narrabitur in sepulchro pietas tua: veritas tua in perditione? Numquid scietur in tenebrositate mirabile tuum: et justitia tua in terra oblivionis? Ps.* 88. *v.* 11. *seqq.* ubi vide notata. Ex hoc omnimodo Manium silentio ego explico locum Virgilii in funere Miseni *Lib.* 6. *v.* 213.

. . . . *et cineri ingrato suprema ferebant.*

qui scilicet in Orco nullas referre valet gratias eis, qui quietem ipsi procurarunt. Pro coronide auctoritatum afferam locum Theocriti *Idyll.* 1. *v.* 62. *seq.* ubi Caprarius Tyrsim hortatur canere carmen in obitum Adonidis hac ratione:

τὰν γαρ ἀοιδὰν
Οὔτι πω εἰς Ἀΐδαν γε τὸν ἐκλελάθοντα φυλάξεις.

cantum enim
Nequaquam ad Plutonem inducentem-oblivionem reservabis.

V. 7. *Laboravi in suspirio meo*, simillima huic est phrasis Tibulli *Lib.* 3. *Eglog.* 6. *v.* 61.

Sollicitus repetam tota suspiria nocte.

Alterum argumentum pro sui conservatione deducit David a *defatigatione* ob vehementiam morbi, et ab ingenti *lacrymarum* copia, quas dolor exprimit: siquidem Deus audit clamorem afflictorum, *Exod.* 2. *v.* 23, 24. et respicit eorum lacrymas, 2. *Reg.* 20. *v.* 5. non sine commiserationis sensu, quasi per ea pathemata sibi satisfactum ostendat. Talis, teste Cicerone, erat etiam gentilium opinio: *Existimant, Diis immortalibus se facile satisfacturos, si eorum plaga percussi afflictos se et stratos esse fateantur.* 3. *Tuscul. cap.* 29.

natare facio in tota (vel *omni*) *nocte lectum meum*, Ebraeis שחה est *natavit:* Caldaeis et Syris סחה *lavit*,

abluit se, item *natavit:* Arabibus, auctore Wilmeto in *Lexico*, propriè valet *fluxit*, *diffluxit*, prae madore summo: unde etiam vertere licet *diffluere facio*.

in lacryma mea, numerus singularis, ut notat Stockius in *Clav. L. S.* collectivè adhibetur pro plurali ad designandam *copiosam et continuam lacrymarum ebullitionem*, quae, ob perennitatem suam, unam quasi lacrymam constituere videntur, ut non sit intervallum inter unam et alteram lacrymam. Quae doctissimi Lexicographi observatio bellè confirmatur phrasi Haririi *Conses.* 6. *pag.* 245. *ipse est in* רמע *lacryma, quae respondeat*, h. e. facili, et larga in fluxum, quia numquam arescat. Sanè in hyperbolico Orientalium stilo legimus *maria lacrymarum*, in *Vit. Tim. Tom. II. pag.* 338. *lin.* 15. quam hyperbolen imitati sunt etiam Graeci et Latini, qui dicunt *fontem, rivum, flumen, imbrem lacrymarum:* Homerus *Iliad.* 9. *v.* 13. *seq.*

ἀν δ' Ἀγαμέμνων
Ἵϛατο δακρυχέων, ὥϛε κρήνη μελάνυδρος.

Agamemnon autem
Surrexit lacrymas fundens, ceu fons aquae nigrae.

adde *Iliad.* 21. *v.* 3. Ovidius 9. *Metam. v.* 655.

. . . . *humectat lacrymarum gramina rivo.*

Ob hanc igitur lacrymarum velut inundationem Vates ait, *natare facio lectum meum*. Signanter autem de lecto vi lacrymarum irrigato Penelope apud Homerum *Odyss.* 17. *v.* 102. *seq.*

Λέξομαι εἰς εὐνὴν, ἥ μοι ϛονόεσσα τέτυκται,
Αἰεὶ δάκρυσ' ἐμοῖσι πεφυρμένη.

Dormiam in lecto, qui mihi suspiriosus factus est,
Semper lacrymis meis irrigatus.

spondam meam liquefacio, thema ערש Arabibus in secunda conjugatione valet *consederunt* viatores

circa extremum noctis, ut, capta aliqua quiete, mox iter prosequerentur. Vide Schultensium ad *Harir. Consess.* 4. *pag.* 12. Hinc primigenia nominis ערש significatio videtur esse *lectus viatorum in diversorio;* dein *lectus cubicularis* ubique locorum; et per metonymiam, *sponda lecti*, exterior nempe tabula, aut tigillum, cui adnectuntur restes, quibus culcitra sustinetur. Arabibus, teste Golio in *Lex. col.* 1554. est etiam *columna media tentorii:* unde arguere licet, Ebraeis fuisse *fulcrum tori*, quod Homero *Odyss.* 23. *v.* 198. ubi de lecto Ulyssis, dicitur ἑρμὶν *fulcrum*, eoquod *fulciat* lectum. Verbum מסה, cujus in Kal nullum extat exemplum, valet *liquefactus, dissolutus est*, et in Hiphil *liquefecit, dissolvit*. Ait, adeo copiosae et perennes sunt *lacrymae*, quas mihi dolor *exprimit*, (nam radix דמע, unde דמעה *lacryma*, notat *expressit*, peculiariter *humorem*, et hinc *lacrymatus est* oculus) ut iis lecti spondam liquefaciam et dissolvam; atque ita reddatur, ut illa Penelopes, πεφυρμένη, *similis* nempe *farinae, cui aqua admixta*.

V. 8. *Erosus* (vel *attenuatus*) *est etc.* tertium argumentum pro sui liberatione a morbo et a morte desumit ab aegritudine ob stationem inter adversarios cujuscumque generis, sibi insultantes, et male precantes, ex. gr. *Quando morietur, et peribit nomen ejus? Ps.* 45. *v.* 6. unde oculorum corrosio ex indignatione. Profectò nihil odiosius, nihil intollerabilius est, quàm insultationes perferre ab inimicis, praesertim inter gravissimas afflictiones, maximè verò si patiatur vir ornatissimus, *Ps.* 4. *v.* 3. *Ps.* 42. *v.* 11. *Ps.* 44. *v.* 17. *Ps.* 57. *v.* 4. *Ps.* 102. *v.* 9. *Ps.* 119. *v.* 42. Uni themati Ebraico עשש respondent bina Arabica, עתת *erosit* tinea lanam, intransitivè *erosus, depastus est:* et עשש *gracile et ex-*

tenuatum fuit corpus; item *paucis ramis, tenuique caudice fuit* palma: transitivè *extenuavit, macrum reddidit*.

prae indignatione, primitiva notio thematis כעס, unde est hoc nomen כעס *indignatio, aegritudo*, sistit *corrugationem*, ut notat clarissimus Schultensius ad *Prov.* 17. *v.* 25 et *cap.* 27. *v.* 3. atque hinc, quia frons *corrugata* est *irae* et *aegritudinis* index, *aegrè tulit, indignatus est, succensuit*. Ad illam priorem hujus thematis notionem respicit Ecclesiastes, dum ait, *Bona* כעס *corrugatio* ob rem, quae aegrè facit, *prae laevigatione*, i. e. risu vultus renidentis, exporrecti. *Cap.* 7. *v.* 3. Etiam Latinis *rugae* frontis *tristitiam* et *moerorem* significant, ut Ovidio *Lib.* 1. *A. A. v.* 240.

Tunc dolor, et curae, rugaque frontis abit.

et Juvenali *Sat.* 13. *v.* 215. *seq.*

densissima ruga
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.

Huic nostro loco parallelus est alter, *erosus est* בכעס *in aegritudine oculus meus*. *Ps.* 31. *v.* 10.

oculus meus, accipe vel propriè de *organo visus*, vel synecdochicè de tota *facie*, ut *Ps.* 73. *v.* 7. vel potius de utroque simul, ita ut cum hoc Davidis loco concinat ille Silii Italici 2. *Punic. v.* 465. *seq.*

jam lumina retro
Exesis fugere genis.

ubi Poeta exprimit *conditos penitus oculos*, quae est Quintiliani phrasis *Declam.* 12. Interpretatio Stockii in *Clav. L. S. Contabuit prae indignatione oculus meus*, quasi a tinea consumeretur, habet similem loquendi modum in Theocrito *Idyll.* 1. *v.* 88. 91. Τάκεται ὀφθαλμὼς, *Tabescit oculos*.

consenuit, ante tempus, prae nimia aegritudine: Horatius *Lib.* 1. *Od.* 13. *v.* 3. *seqq.*

. . . . *vae! meum*
Fervens difficili bile tumet jecur.
Tunc nec mens mihi, nec color
Certa sede manet: humor et in genas
Furtim labitur, arguens,
Quàm lentis penitus macerer ignibus.

inter omnes adversantes mihi, vel *hostes meos*, quos mihi coram insultantes ferre cogor.

V. 9. *Recedite a me*, tribus allatis argumentis Deum exoratum iri pro certo habens David, quasi jam exauditus esset, indicit insultantibus sibi, ut a se discedant, et illudere desinant, tanquam desiderio et voto frustrati: idcirco, pro sua in Domino fiducia, et prophetico loquendi more, ait *audivit*, pro *audiet*; nec opus est, ut supponamus, illum addidisse hunc et duos sequentes vers. post receptam sanitatem.

omnes operantes iniquitatis, quos *vers. sup.* dixerat *adversantes*, vocat hìc *operantes iniquitatis:* homines justi non solùm in integritate sua, ut saepe saepius David, confidunt, sed etiam in adversariorum iniquitate, quam in istis pronunciatis reis supremus Judex saeverissimè puniat, atque ita decidant a consiliis et desideriis suis. *Ps. sup. v.* 11. Hac de caussà Moabitae et Amalekitae pulchriores puellas et meretrices immittunt in Israelitarum castra, ut hi foeditatibus implicati iram Numinis erga se suscitent. *Num.* 25. *per tot. Apocal.* 2. *v.* 14. *Joseph. Lib.* 4. *Antiq. cap.* 6. *al.* 6. *num.* 2. Sic Agesilaus, dum Tissaphernes bellum tempore induciarum parabat, ipse tamen, licèt re cognita, jusjurandum servabat, *multumque in eo consequi se* dicebat, *quòd Tissaphernes perjurio suo et homines suis rebus abalienaret, et Deos sibi iratos redderet: se autem servata religione confirmare exercitum, quum animadverteret, Deorum numen facere secum, ho-*

minesque sibi conciliari amiciores, quòd his studere consuessent, quos conservare fidem viderent. Verba sunt Nepotis in *Agesil. cap.* 2. cui adde Aelianum *Lib.* 14. *V. H. cap.* 2. cum ejus Enarratoribus, et Plutarchum in *Agesil. pag.* 600. Dictione *omnes* indicantur adversarii cujuscumque generis.

vocem fletus mei, h. e. clamorem, quem inter lacrymandum edo; nam בכי propriè est *lacrymarum expressio*, quum ejus radix בכה valeat *pressit, expressit*, peculiariter lacrymas, atque adeo *flevit*. Respicit autem ad *vers.* 7.

V. 10. *Audivit Dominus deprecationem meam*, superior versus exhibet simplicem auditionem clamoris ob dolorem ex morbo, et ob indignationem ex insultatione; hic autem exauditionem cum effectu, nempe liberationem a morbo. Vide notata ad *Ps.* 5. *v.* 2.

Dominus orationem meam suscipiet, acceptam et ratam habebit, annuet petitioni, quoties invocavero.

V. 11. *Erubescent et perturbabuntur*, quum innotuerit exauditio mea, tum praecipites ferentur procul a me omnes inimici mei, pudore et perturbatione affecti. Radix בוש *erubescere* idem natale habere videtur cum יבש *aruit:* Arabibus enim יבש *exaruit*, in quarta conjugatione valet *siluit, conticuit, nullum verbum fecit*, quasi *arescere fecit verba*. A *silentio* dicitur *pudor;* propriè attonitus ille, qui haeret, nec verbum respondere potest: hinc יֵבֹשׁוּ interpretor *obmutescent pudibundi* ob spei frustrationem. Sententiam Schroederi de vocali Tzere vide in *Gr. Hebr. pag.* 83. Mihi est vocabulum conflatum ex duobus praedictis radicibus, et ejus significatio est, *arescent pudibundi*. Alterum verbum בהל, praeter significationes, de quibus *Ps.* 2. *v.* 5.

et *h. Ps. v.* 4. apud Arabes valet etiam *maledixit, execratus fuit:* in sexta conjugatione *se invicem execrati fuerunt, se diris devoverunt:* habita igitur polysemarum vocum ratione, innuit David non solùm *perturbationem* inimicorum suorum, sed et *mutuam* ipsorum *execrationem*, quemadmodum frequenter animadvertimus in pravis hominibus, qui se invicem, ubi sua consilia et desideria facta sunt irrita, vel errorem agnoverunt, culpant. Adi *Al-Koranum Sur.* 21. *v.* 65.

revertentur, sermo est defectivus pro integro *revertentur retrorsum*, qui habetur in *Ps.* 9. *v.* 4. et *Ps.* 56. *v.* 10. Ait *revertentur*, ad similitudinem illorum, qui, expeditione suscepta, domum redeunt, re infecta, vel infeliciter gesta: repete locum Homeri *Iliad.* 4. *v.* 178. *seqq.* Sic illud Jesaiae, *vertens sapientes retrorsum cap.* 44. *v.* 25. valet, molimina eorum irrita faciens, ipsosque confusos pudori et ignominiae publicae exponens: vide *Syllogen Diss. Philologico-Exegeticarum pag.* 796.

revertentur erubescent, ἓν διὰ δυοῖν, *unum per duo*, pro *revertentur erubescentes*, seu pudore suffusi; idque *momento*, scilicet eo temporis spatio, quo opus est ad *motum*, seu *vibramen* oculi, quae est potestas nominis רגע, a radice רגע, cujus proprietas, auctore Wilmeto, est *vibravit motu huc illuc agitato*. Vim istius vocabuli ad illustrationem hujus loci exhibet attributum *velox in puniendo*, quod in Al-Korano non una vice Deo tribuitur: quò referri potest et haec sententia Pindari *Pyth. Od.* 9. *v.* 119. *seq.*

Ὠκεῖα δ᾽ ἐπειγομένων ἤδη Θεῶν
Πρᾶξις, ὁδοί τε βραχεῖαι.

Celer autem est properantiùm jam Deorum
Actio, viaeque breves.

PSALMUS VII.

ARGUMENTUM

David sibi metuens a calumniis aemulorum suorum, assentatorum Sauli, fretus conscientia sua, Deum rogat, ut ope judicii rei veritatem ponat in aprico.

V. 1. Shiggajòn, Davidis qui cecinit Domino: super verbis Cushi Benjaminitae.
2. Domine Deus meus in te confisus sum: serva me ab omnibus persequentibus me, et eripe me.
3. Ne forte raptet ut leo animam meam: separans, et non est eripiens.
4. Domine Deus meus si feci hoc: si est iniquitas in manibus meis.
5. Si retribui integro mihi malum: et extraxi adversantem mihi immeritò.
6. Persequatur-et-prosequi-faciat inimicus animam meam et assequatur, et conculcet in terra vitas meas: et gloriam meam in pulvere sidere faciat. Sèlah.
7. Surge Domine in naso tuo, elevare in transitibus adversariorum meorum: et evigila ad me, judicium praecepisti.
8. Et congregatio nationum circumdabit te: et super ea, in altum revertere.
9. Dominus judicabit populos, Judica me Domine secundum justitiam meam et secundum integritatem meam super me.

10. Cesset age malitia improborum, et confirmabis JUSTUS ET SCRUTANS CORDA ET RENES, DEUS JUSTUS.

11. CLYPEUS MEUS SUPER DEO: QUI SERVAT RECTOS CORDE.

12. DEUS JUDICANS JUSTUS: ET DEUS, INDIGNANS IN OMNI DIE.

13. Profectò non reducet gladium suum *quem* acuit: arcum suum, *quem* tetendit et paravit illum.

14. Et in illum disposuit vasa mortis: sagittas suas, in ardentes facit.

15. Ecce concipiet vanitatem: et gravidus erit labore, et pariet mendacium.

16. Puteum excavavit et obtexit illum: et incidit in foveam *quam* fecit.

17. Revertetur labor ejus in caput ipsius: et super verticem ejus violentia ipsius descendet.

18. Laudabo Dominum secundum justitiam ejus: et psallendo-canam nomen Domini Altissimi.

COMMENTARIUS

V. 1. *Shiggajon*, hoc vocabulum שגיון repetit suam potestatem a radice Arabica שגה, *anxit, moerore, sollicitudine affecit*, et mediâ Kesratâ, *anxius moestusque fuit, re aliqua in gutture praefocatus*, aut *pressus fuit:* vide Schultensium ad *Harir. Cons.* 3. *pag.* 140. et *Cons.* 6. *pag.* 236. ideo reddi commodè potest *Elegia*, quod carminis genus ab interjectione dolentis, seu a voce flentis, ἒ ἒ

he he, et a verbo λέγω *dico*, denominationem accipit, licèt in laetis etiam rebus usurpetur, uti, praeter exempla Auctorum, docet Horatius *A. P. v.* 75. *seq.*

Versibus impariter junctis querimonia primùm,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.

qui cecinit Domino, seu *ad Dominum*, supple *verba cantici hujus*, prouti est in *Ps.* 18. *v.* 5. vel *quem* Shiggajonem *cecinit* etc.

super verbis Cushi, necte cum *Shiggajon*, vult enim dicere, Elegia super calumniis et infamationibus Cushi. De hoc nomine certò statui nequit, utrum sit *proprium* viri, an verò *improprium*, quo notatur homo *Cushaeo* seu *Aethiopi* similis, nempe maledicus, malignus, lividus, obscurus, latens, *Amos.* 9. *v.* 7. *Jer.* 13. *v.* 23. quo eodem respectu Latinis dicitur *niger*, ut Horatio *Lib.* 1. *Sat.* 4. *v.* 81. *seqq.*

. . . . . . *Absentem qui rodit amicum:*
Qui non defendit, alio culpante: solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis:
Fingere qui non visa potest: commissa tacere
Qui nequit: hic NIGER est, hunc tu, Romane, caveto.

et paulo post *v.* 90. *seq.*

Hic tibi comis, et urbanus, liberque videtur
Infesto nigris.

et rursus, ubi hominem inducit ita praedicantem amicum, ut tamen interim tectè subdolèque notam illi aliquam affigat, *v.* 100. *seq.*

hic nigrae succus loliginis, haec est
Aerugo mera.

Tullius *pro Cecina cap.* 10. ait, *et argentarius Sex. Clodius, cui nomen est Phormio, nec minus niger, nec minus confidens, quàm ille Terentianus est*

Phormio. Graecis pariter dicitur μέλαν ἦθος, *niger mos*, ut est apud M. Antoninum *de reb. suis Lib.* 4. §. 28. Inter metrica Solonis praecepta Diogenes Laertius *Lib.* 1. *Seg.* 61. refert et istud:

Πεφυλαγμένος ἄνδρα ἕκαστον,
Ὅρα, μὴ κρυπτὸν ἔχθος ἔχων
Κραδίῃ, φαιδρῷ προσείπῃ προσώπῳ,
Γλῶσσα δέ οἱ διχόμυθος
Ἐκ μελαίνος φρένος γεγωνῇ.
Observans hominem quemque,
Vide, ne latens odium habens
Corde, hilari alloquatur vultu,
Lingua autem ei duplex
Ex nigra mente clamet (vel *sonet*).

Haec omnia perbellè quadrant in *Cushum*, sive propriè, sive impropriè sic appelletur. Addit *Benjaminitae*, vel ad istum distinguendum ab alio Cusho alterius tribus, vel ad denotandum aulici assentatoris studium erga regem Saulum contribulem, cujus internecinum odium, non Absalomi persequutionem, David hìc expostulat, id quod validissimis argumentis probat Venema in Commentario.

V. 2. *Domine Deus meus in te confisus sum*, pro obtinenda liberatione, quam rogat, provocat ad fidem et clientelam Domini, in quam se tradidit: vide notata ad *Ps.* 2. *v.* 12. super verbo חסה.

V. 3. *Ne forte* יטרף *raptet*, in Camuso, teste Schultensio ad *Prov.* 31. *v.* 15. illae e feris, quae venationem (praedam) humi trahunt, vocantur מטריפות *raptatrices*.

ut leo, nempe Saulus, dux persequentium, *animam meam*, i. e. me.

separans, leo prius separat bovem a reliquo armento, deinde dilaniat ac devorat, *et non est eripiens*, ex unguibus ejus: de Menelao irruente in Euphor-

bum comparationem hanc Homerus instituit *Iliad.* 17. *v.* 61. *seqq.*

Ὡς δ' ὅτε τίς τε λέων ὀρεσίτροφος ἀλκὶ πεποιθὼς,
Βοσκομένης ἀγέλης βοῦν ἁρπάσῃ, ἥτις ἀρίστη·
Τῆς δ' ἐξ αὐχέν' ἔαξε λαβὼν κρατεροῖσιν ὀδοῦσι
Πρῶτον, ἔπειθα δέ τ' αἷμα, καὶ ἔγκατα πάντα λαφύσσει
Δῃῶν· ἀμφὶ δὲ τόν γε κύνες ἄνδρες τε νομῆες
Πολλὰ μάλ' ἰΰζουσιν ἀπόπροθεν, οὐδ' ἐθέλουσιν
Ἀντίον ἐλθέμεναι, μάλα γὰρ χλωρὸν δέος αἱρεῖ.

Ut autem quando quis leo montanus robore fisus,
Pascentis armenti bovem rapit, quae optima est:
Hujus autem cervicem fregit correptam validis dentibus
Primùm, deinde verò sanguinem et viscera omnia sorbet
Dilanians: circum autem hunc canesque virique pastores
Multum valde exclamant procul, neque volunt
Contra ire: valde enim pallidus timor capit.

V. 4. *Domine Deus meus,* Judex meus, *si feci hoc*, quod scilicet ait in versu sequenti, *Si retribui integro mihi malum;* et ita pars altera hujus versus, *si est iniquitas in manibus meis*, declarationem recipit ab altera parte ejusdem versus sequentis, *et si extraxi adversantem mihi immeritò.* Uterque versus unà cum sexto continet fortissimam innocentiae asseverationem, quae juramenti et imprecationis formam habet.

si est iniquitas in manibus meis, innuuntur opera prava externa, quae quum manibus peragantur, in manibus esse et permanere dicuntur; simulque respicitur ad dictum Jobi, *et si in manibus meis* (quasi viscatis) *adhaesit quidquam*. *Cap.* 31. *v.* 7. Cum hac obtestatione sanctissimi Regis conferenda est Imperatoris Trajani pactio cum Diis, de qua

Plinius in *Paneg. cap.* 67. *Sed ingenti conscientia, Caesar, pacisceris cum Diis, ut te, si mereberis, servent; quum scias, an merearis, neminem magis, quàm Deos scire.* Qui quidem Imperator, auctore Sex. Aurelio Victore *de Caesarib. cap.* 13. fuit *usque eò innocentiae fidens, uti Praefectum Praetorio, quum insigne potestatis, uti mos erat, pugionem daret, crebrò monuerit: Tibi istum ad munimentum meum comitto, si rectè agam; sin aliter, in me magis: quòd Moderatorem omnium vel errare minus fas sit.* Insuper Plinius ad eumdem: *Omnibus annis in consilium de te Deos mittis, exigisque, ut sententiam suam mutent, si talis esse desieris, qualis electus es. cit. loc.*

V. 5. *Si retribui* שולמי *integro mihi*, integro a noxa in me, seu *pacem colenti mecum*, videlicet Saulo, usque dum integer mansit mihi, seu pacem habuit mecum; si, inquam, ei retribui *malum*, pro bono pacis et amicitiae, quo me mactabat: sensus est, si perfidè erga eum me gessi.

et si *extraxi*, vel *evulsi*, *adversantem mihi immeritò*, retineo propriam et primigeniam potestatem verbi חלץ, et cum Stockio expono de *amotione* e pristino loco, vel statu, hoc modo, Et si amovi e pristino loco Saulum, posteaquam adversari mihi coepit; videlicet si alio eum loco habui, ac antea, quum pacem haberet mecum: quasi dicat, si *extraxi*, aut evulsi eum ex animo, aut corde meo; vel etiam si consilium apud me inivi de eo amovendo a regno. Nimirum Ebraicum verbum hìc loci eumdem habet sensum, ac Latinum *alieno* in hoc Ciceronis loco *Lib.* 1. *ad Att. Epist.* 14. *prope fin. Itaque mirum in modum omnes a se bonos alienavit:* et in hoc altero *Lib.* 3. *ad Fam. Epist.* 6. *circa med. Malevoli homines*, (*latè enim patet hoc vi-*

tium, et est in multis) sed tamen probabilem materiam nacti sermonis, ignari meae constantiae, conabantur alienare a te voluntatem meam. Ista expositio verbi חלץ probatur ex ejusdem usu in evulsione lapidum leprâ affectorum e parietibus domus: *Et praecipiet Sacerdos, וחלצו et extrahent lapides etc.* et paulo post, *Et si reversa fuerit lepra, et floruerit in domo, postquam* חלץ *evulsit lapides etc. Lev.* 14. *v.* 40. *et* 43. nimirum quod in Levitico dicitur de *evulsione* lapidum e pariete, id in negotio consuetudinis et familiaritatis transfertur ad evulsionem hominum ex alicujus voluntate; quemadmodum in sensu *liberationis* transfertur ad *extractionem* hominum a periculis. Dictio ריקם cum Mem augmentativo, *immeritò, absque ulla omnino caussa*, nectenda est cum participio *adversantem mihi*.

V. 6. *Persequatur-et-persequi-faciat*, יִרַדֹּף forma composita ex Kal יִרְדֹּף *persequatur*, et ex Piël יְרַדֵּף *persequi faciat*, de qua Altingius in *Fundamenta Punctationis pag.* 27. Schultensius verò *Gr. Hebr. pag.* 307. *seq.* contendit, esse conjugationem Hithpaël anomalam, et exponit, *indesinenter et intensissimè persequatur.* Eodem modo Schroederus *Gr. Hebr. pag.* 39. *et* 58. nisi quod hic vim conjugationis Hithpaël retinet, nempe *semet persequentem faciat*. Ego in Altingii sententiam libentius discedo.

inimicus, Saulus, et quisquis justis de caussis factus est mihi inimicus.

et assequatur, scilicet me, celeritate pedum orbatum, contra illud, *Ponens*, vel *adaequans pedes meos ut cervarum*. *Ps.* 18. *v.* 34.

et conculcet in terra vitas meas, quumque assequutus me fuerit, pedibus in terra ita me conculcet.

ut quasi *occulat*, quae est vis radicis רמס apud Arabes, nimirum *texit*, et hinc *occuluit*, *celavit* rem. Sane positio pedum super prostratum non eò solùm tendebat, ut sic ei victor insultaret, sed etiam ut hastam in illius corpus defixam facilius extraheret: sic Agamemnon post confossum Adrastum *Iliad.* 6. *v.* 65.

Λὰξ ἐν ϛήθεσι βὰς ἐξέσπασε μείλινον ἔγχος.

Pede in pectus inscendens extraxit fraxineam hastam.

Quae phrasis saepius occurrit in eodem Poemate *Lib.* 5. *v.* 620. *Lib.* 18. *v.* 618. *et Lib.* 21. *v.* 503, *et* 863. Eadem contumelia occurrit apud Virgilium *Lib.* 10. *v. v.* 490. *seqq.* ubi de caede Pallantis, et *ibid. v.* 736. ubi de nece Orodis.

et gloriam meam in pulvere sidere, seu *habitare faciat*, verba haec, quae diversimodè repetunt, seu potius declarant sensum praecedentium *et conculcet in terra vitas meas*, idque non sine auxesi, illustrantur ex illis Nestoris ad Diomedem *Iliad.* 8. *v.* 156.

Τάων ἐν κονίῃσι βάλες θαλερὲς παρακοίτας.

Harum (uxorum Trojanarum) *in pulveribus dejecisti florentes maritos.*

utcumque vigentes et strenuos, et sic gloria conspicuos, necatos projecisti in pulverés, et in his habitare fecisti. Contra ea Turnus in precatione ad hastam, quam pro Numine colebat *Lib.* 12. *Aen. v.* 97. *seqq.*

da sternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare revulsam
Semiviri Phrygis, et foedare in pulvere crines.

Tria ista vocabula *animam meam*, *vitas meas*, et *gloriam meam*, ex idiotismo Linguae valent *me;* ita tamen, ut posterius plus dicat, quàm prius, et

tertium plus, quàm medium: nam prius נפשי *animam meam* valet me respirantem: posterius חיי *vitas meas* denotat *me vigentem*, et *compacto robore praeditum:* tertium כבודי *gloriam meam* significat *me gloriosum*, utpote Goljati victorem, et unctum Regem.

V. 7. *Surge Domine*, de potestate verbi קום adi *Ps.* 3. *v.* 8. Quum Trojani stragem ingentem ederent Graecorum ad naves circa cadaver Patrocli, Iris, jubente Junone, in re adeo trepida, adit Achillem; et sic alloquitur *Iliad.* 18. *v.* 170. *seqq.*

Ὄρσεο Πηλείδη, πάντων ἐκπαγλότατ᾽ ἀνδρῶν,
Πατρόκλῳ ἐπάμυνον, οὗ εἵνεκα φύλοπις αἰνὴ
Ἕστηκε πρὸ νεῶν.

Surge Pelide, omnium terribilissime virorum,
Patroclo auxiliare, cujus caussa conflictus gravis
Constitit ante naves.

et paulo post *v.* 178. *seq.*

Ἀλλ᾽ ἄνα, μηδ᾽ ἔτι κεῖσο· σέβας δέ σε θυμὸν ἱκέσθω,
Πάτροκλον Τρῳῇσι κυσὶν μέλπηθρα γενέσθαι.

Sed surge, nec amplius jaceas: reverentia autem tuum animum subeat,
Patroclum Trojanis canibus ludibrium fieri.

Sic David enixè Deum rogat, ut e somno veluti surgat, et sibi vita periclitanti opem ferat.

in naso tuo, in ira tua, qua concitata, actum est de illis, in quos exarsit. Notandum est, quòd non dicit simpliciter *in ira*, sed *in ira tua*, nimirum in ea, quae te pro tua majestate decet; etenim ira excitatur pro dignitate personae irascentis, ut verè ait Ulysses *Iliad.* 2. *v.* 119.

Θυμὸς δὲ μέγας ἐστὶ διοτρεφέος βασιλῆος.
Ira enim magna est regis alumni-Jovis.

Licet etiam accipere *in ira tua* de irae apparatu ad

bellum, juxta Horatianum illud *Lib.* 1. *Od.* 15. *v.* 11. *seq.*

. . . . *jam galeam Pallas et aegida*
Currusque et rabiem parat.

Integrum verò apparatum cernere est in *Iliad.* 5. *v.* 736. *seqq.*

Ἡ δὲ χιτῶν' ἐνδῦσα Διὸς νεφεληγερέταο,
Τεύχεσιν ἐς πόλεμον θωρήσσατο δακρυόεντα·
Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετ' αἰγίδα θυσσανόεσσαν
Δεινήν, ἣν περὶ μὲν πάντη φόβος ἐςεφάνωτο,
Ἐν δ' ἔρις, ἐν δ' ἀλκή, ἐν δὲ κρυόεσσα ἰωκή,
Ἐν δέ τε Γοργείη κεφαλὴ δεινοῖο πελώρυ
Δεινή τε σμερδνή τε, Διὸς τέρας αἰγιόχοιο.
Κρατὶ δ' ἐπ' ἀμφίφαλον κυνέην θέτο τετραφάληρον
Χρυσείην, ἑκατὸν πόλεων πρυλέεσσ' ἀραρυῖαν.
Ἐς δ' ὄχεα φλόγεα ποσὶ βήσατο· λάζετο δ' ἔγχος
Βριθὺ, μέγα, ςιβαρὸν, τῷ δάμνησι ςίχας ἀνδρῶν
Ἡρώων, τοῖσίν τε κοτέσσεται ὀβριμοπάτρη.

Illa verò (Minerva) *loricam induta Jovis nubescogentis,*
Armis ad bellum armabatur lacrymosum:
Et circum humeros posuit aegidem fimbriatam
Horrendam, quam undique Timor ambiebat:
In ea Contentio, in ea Formido, in ea atrox Insectatio:
In ea et Gorgonium caput diri monstri
Dirumque horrendumque, Jovis ostentum Aegiochi.
Capiti verò cristatam galeam imposuit quatuor conos habentem
Auream, centum urbium peditibus sufficientem.
Inque currum fulgidum pedibus ascendit: sumpsitque hastam
Gravem, magnam, validam, qua domat ordines virorum
Heroum, quibuscumque irascitur praepotente patre nata.

Itaque Biblica phrasis, *Surge Domine in naso tuo*, concinit cum hac altera Homerica *Il.* 19. *v.* 367. *seq.*

ὁ δ᾽ ἄρα Τρωσὶν μενεαίνων
Δύσετο δῶρα Θεῦ.

ille quidem Trojanis irascens
Induit arma Dei.

ubi sermo est de Achille arma induente a Vulcano fabricata, et a matre allata, in pugnam contra Trojanos proditurο. Neque haec, si demas quae sapiunt ethnicismum, Sanctissimum Numen minus decent; nam ipsemet David alibi Dominum ad opem sibi ferendam vocans, sic ait. *Apprehende clypeum et scutum: et surge in adjutorium meum. Et educ hastam, et claude in occursum persequentium me etc. Ps.* 35. *v.* 2. *seq.*

elevare, aut *eleva te*, *in transitibus adversariorum meorum*, עברות mihi sunt *loca limitanea*, eaque munita, sic dicta a *transitu* ex una in alteram ditionem: quem transitum eloquitur Eumenius in *Panegyrico Constantino dicto cap.* 13. *Insuper etiam Agrippinensi ponte faciundo reliquiis afflictae gentis insultas, ne unquam metus ponat, semper horreat, semper supplices manus tendat, quum tamen hoc tu magis ad gloriam imperii tui, et ornatum limitis facias, quàm ad facultatem, quoties velis, in hosticum transeundi.* De militaribus verò copiis, quae ibi in statione erant pro arcendis hostibus, si qui forte irruerent, vel castra haberent tempore belli, idem Auctor in *Panegyrico Constantio dicto cap.* 13. *Tu enim ipse tu, domine Maximiane, Imperator aeterne, novo itineris compendio adventum divinitatis tuae accelerare dignatus, repente Rheno institisti, omnemque illum limitem non equestribus, neque pedestribus copiis, sed praesentiae tuae terrore tutatus es*. Hoc sensu accepisse videntur nostram

vocem septuaginta Senes, transferentes ἐν τοῖς πέρασι, quos sequutus Vulgatus Latinus vertit *in finibus*. Confer notata ad *Genes.* 24. *v.* 60. in illustratione nominis שער. David igitur Deum id rogat, ut ad hosticum profectus, ibi se conspiciendum sistat eum in finem, quem Iris suggerit Achilli *Iliad.* 18. *v.* 198. *seq.*

Ἀλλ' αὔτως ἐπὶ τάφρον ἰὼν, Τρώεσσι φάνηθι,
Αἴκε σ' ὑποδδείσαντες, ἀπόσχωνται πολέμοιο.
Sed sic ad fossam iens, Trojanis appare,
Si forte te veriti, distineantur a bello.

id quod reipsa factum est, ut Poeta prosequitur *cit. loc.* 203. *seqq.*

Αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς ὦρτο Διῒ φίλος. ἀμφὶ δ' Ἀθήνη
Ὤμοις ἰφθίμοισι βάλ' αἰγίδα θυσσανόεσσαν.
Ἀμφὶ δέ οἱ κεφαλῇ νέφος ἔστεφε δῖα Θεάων
Χρύσεον, ἐκ δ' αὐτοῦ δαῖε φλόγα παμφανόωσαν.
Ὡς δ' ὅτε καπνὸς ἰὼν ἐξ ἄστεος αἰθέρ' ἵκηται
Τηλόθεν ἐκ νήσου, τὴν δήϊοι ἀμφιμάχονται,
Οἵτε πανημέριοι στυγερῷ κρίνονται Ἄρηϊ
Ἄστεος ἐκ σφετέρου, ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι
Πυρσοί τε φλεγέθουσιν ἐπήτριμοι, ὑψόσε δ' αὐγὴ
Γίγνεται ἀΐσσουσα, περικτιόνεσσιν ἰδέσθαι,
Αἴκεν πως σὺν νηυσὶν Ἄρεως ἀλκτῆρες ἵκωνται.
Ὣς ἀπ' Ἀχιλλῆος κεφαλῆς σέλας αἰθέρ' ἵκανε.
Στῆ δ' ἐπὶ τάφρον ἰὼν ἀπὸ τείχεος· οὐδ' ἐς Ἀχαιοὺς
Μίσγετο, μητρὸς γὰρ πυκινὴν ὠπίζετ' ἐφετμήν.
Ἔνθα στὰς ἤϋσ'· ἀπάτερθε δὲ Παλλὰς Ἀθήνη
Φθέγξατ'· ἀτὰρ Τρώεσσιν ἐν ἄσπετον ὦρσε κυδοιμόν.
Ὡς δ' ὅτ' ἀριζήλη φωνὴ, ὅτε τ' ἴαχε σάλπιγξ
Ἄστυ περιπλομένων δηΐων ὑπὸ θυμοραϊστέων,
Ὣς τότ' ἀριζήλη φωνὴ γένετ' Αἰακίδαο.
Οἱ δ' ὡς οὖν ἄϊον ὄπα χάλκεον Αἰακίδαο,
Πᾶσιν ὀρίνθη θυμός· ἀτὰρ καλλίτριχες ἵπποι
Ἄψ ὄχεα τρόπεον, ὄσσοντο γὰρ ἄλγεα θυμῷ.

Ἡνίοχοι δ' ἔκπληγεν, ἐπεὶ ἴδον ἀκάματον πῦρ
Δεινὸν ὑπὲρ κεφαλῆς μεγαθύμȣ Πηλείωνος
Δαιόμενον· τὸ δ' ἔδαιε Θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη.
Τρὶς μὲν ὑπὲρ τάφρȣ μεγάλ' ἴαχε δῖος Ἀχιλλεύς·
Τρὶς δ' ἐκυκήθησαν Τρῶες κλειτοί τ' ἐπίκȣροι.

At Achilles surrexit Jovi carus: Minerva verò
Humeris validis circumposuit aegida fimbriatam:
Caput autem nube coronavit divina Dearum
Aureâ, eque ipsa accendit flammam collucentem.
Ut quum fumus ascendens ex urbe aetherem vadit
Longè ex insula, quam hostes oppugnant,
Et cives tota die horrendo decernunt Marte
Urbe ex sua, cum Sole autem occidente
Ignesque ardent crebri, et in altum splendor
Fit irruens, ita ut finitimis conspiciatur,
Si forte cum navibus Martis propulsatores veniant;
Sic ab Achillis capite fulgur aethera ibat.
Stetit autem ad fossam iens a muro: nec ad Achivos
Miscebatur, matris enim prudens reverebatur mandatum.
Ibi stans clamavit: seorsim et Pallas Minerva
Vociferata est: et Trojanis immensum excitavit tumultum.
Ut quum ingens vox fit, *quando clangit tuba*
Urbem cingentibus hostibus ab exitialibus,
Sic tum ingens vox erat Aeacidae.
Illi autem ut audiverunt vocem ferream Aeacidae,
Omnibus commotus est animus: et pulchri jubis equi
Retro currus vertebant; videbant enim dolores animo.
Aurigae autem percussi sunt, postquam viderunt indefessum ignem
Horrendum super caput magnanimi Pelidae
Accensum, quem accendebat Dea oculis caesia Minerva.
Ter super fossa valde clamavit divinus Achilles:

Ter turbati sunt Trojani, inclitique auxiliatores.

et evigila ad me defendendum, idque cum *aestuatione*, et *aemulatione*, nam radix עור seu עיר cum Ghàin valet *aestuavit*, *ferbuit amore*, *sollicitudine*, *aemulatus est*, *zelotypus fuit*, dein *evigilavit:* vide Schultensium in *Animad. ad Deut.* 32. *v.* 11. et in *Comment. ad Job.* 8. *v.* 6.

judicium praecepisti, de hoc jurgio inter me et adversarios meos; etenim אלהים *Deus Triunus*, supremus nempe *Judex*, nihil in quempiam statuit, praesertim verò in *reges*, et integros *populos*, qui, ut ait Horatius *Lib.* 3. *Od.* 1. *v.* 6. ipsius imperio immediatè subsunt, quin prius de illis judicium fecerit. Vide amplius ad *Ps.* 110. *v.* 6. Nunc ex Homero afferre libet judicium huic nostro parallelum. Quum Achilles circa muros Trojae insectaretur Hectorem, Jupiter Deos, quibuscum e Coelo spectabat insectationem, sic mittit in consilium *Iliad.* 22. *v.* 174. *seqq.*

Ἀλλ' ἄγετε, φράζεσθε Θεοί, καὶ μητιάασθε,
Ἠέ μιν ἐκ θανάτοιο σαώσομεν, ἠέ μιν ἤδη
Πηλεΐδῃ Ἀχιλῆϊ δαμάσσομεν ἐσθλὸν ἐόντα.

Sed agite, deliberate Dii, et consultate,
An eum (Hectorem) *e morte servabimus, an eum jam*
Pelidae Achilli domandum dabimus, optimum licèt.

Ad stabiliendam verò notitiam, quam David habuit hujus judicii a Deo indicti, praeter rationem divini afflatus, seu spiritum prophetiae, optimè facit consilium, cujus Helenus auctor fuit Hectori, fortissimum aliquem Graecorum ad singulare certamen provocandi. Id consilii jam inierant Apollo et Minerva pro sedando aliquantisper bello; Vates autem Trojanus σύνθετο θυμῷ, *intellexit animo: Iliad.* 7. *v.* 44. itaque post hortationem ad duellum, quò

fratrem securum redderet, nondum ei fatale esse occumbere morte, subdit *cit. loc. v.* 53.

Ὡς γὰρ ἐγὼν ὄπ' ἄκουσα Θεῶν αἰειγενετάων.

Sic enim ego vocem audivi Deorum immortalium.

Quomodo autem humanae aures vocem Deorum audirent perciperentque, tradit Eustathius ad *d. v.* 44. *pag.* 663. Ὅτι δὲ Ἕλενος καὶ Κασάνδρα βρεφῶν ἄγοντες ἡλικίαν, καὶ τεθέντες ἐν ἄλσει Ἀπόλλωνος, γλώσσαις ὄφεων τοὺς τῆς ἀκοῆς ἐκαθάρθησαν πόρους, κἀντεῦθεν τὴν μαντικὴν ἄκρως ἐτελέσθησαν, ὡς καὶ φωνῶν θείων ἐπαΐειν, θρύλλουσι πλατύτερον οἱ παλαιοί. *Quòd Helenus et Cassandra, infantium agentes aetatem, et positi in luco Apollinis, linguis serpentum* quoad *poros* (meatus) *auditûs emundati fuerunt, et inde* quoad *artem vaticinandi summè perfecti fuerunt, ita ut et voces divinas audirent, dictitant latiùs antiqui.* Sanè per hanc traditionem non id volo, aures Davidis fuisse serpentum linguis purgatas; illud pro certo statuo, huic opinioni, penes antiquos adeo famigeratae, originem dedisse Ebraicam phrasin *purgare aurem*, de qua, et de aliis, quae huc pertinent, diximus ad *Ps.* 5. *v.* 3. et Davidi innotuisse hoc judicium non minus ex auditione divini consilii, quam ex aliquo instinctu. His addo θησαυρὸν δίδυμον μαντοσύνας, *thesaurum duplicem divinationis,* quem Pindarus *Olymp. Od.* 6. *v.* 111. *seqq.* refert Apollinem dedisse Jamidis, nempe φωνὰν ἀκούειν ψευδέων ἄγνωστον, *vocem audire mendaciorum nesciam*, et χρηστήριον θέσθαι, *oraculum collocare*. In istorum priori non innuitur quidem vox, quam Numen dirigat ad consulentes, ista enim auditur in loco Oraculi, sed innuitur vox, quam Dii in suis deliberationibus edunt: quò respexisse puto Chabakukum *cap.* 3. *v.* 2. dicentem, *Domine audivi auditionem tuam*, nimirum id quod pronuntiatur et au-

ditur in Coelesti Dicasterio, dum de humanis rebus deliberatur.

V. 8. *Et ideo congregatio nationum circumdabit te,* scimus ex Daniele *cap.* 10. *v.* 13. et 20. singulis regnis praeesse singulos principes, (cujus speciei aut ordinis non disputo) qui in controversiis nationum coram Coelesti Synedrio causam agunt quisque suae gentis, tanquam earum Legati: his Legatis seu Principibus reipsa constat *congregatio*, quam Vates hìc poeticè fingit constare *nationibus* ipsis, eoquod illi has repraesentant. Vocabulum עדה *congregatio* usurpatur de coetu judiciali tam unius gentis, quale erat *Synedrium* Ebraeorum, Βουλὴ *Consilium* Graecorum, et *Senatus* Romanorum, quàm plurium populorum, quale erat *Concilium Amphictyonum*, de quo adi Potterum *Lib.* 1. *Archaeol. cap.* 16. Quòd autem tale aliquatenus fuerit hoc nostrum, evincit vox לאמים *nationes*, quae adhibetur cùm de Israelitis *Genes.* 25. *v.* 23. tum de aliis populis *Ps.* 2. *v.* 1. et *Ps.* 9. *v.* 9. Dicendo *circumdabit te,* id sibi vult, jam coivit te circumdatura, quia in concionibus Judices, Seniores, et Legati considebant in cathedris in circulum dispositis, unde in medium prodibat, qui concionaturus erat. Sìc, congregatis Ithacensibus, Telemachus *Odyss.* 2. *v.* 14.

Ἕζετο δ' ἐν πατρὸς θώκῳ.
Consedit in patris sede.

et postea concionaturus *cit. loc. v.* 37.

Στῆ δὲ μέσῃ ἀγορῇ.
Stetit in media concione.

Idem prorsus observatur etiam in Curiis Judaeorum, *Deus stans in congregatione Dei: in medio Deorum* (Judicum) *judicat. Ps.* 82. *v.* 1. ubi pro Tribunalium sanctitate notandum est, collegium Judicum

dici *congregationem Dei*, ob hujus praesentiam. Cum celebritate istius judicii concinit Cicero in *Orat. pro Sex. Roscio cap.* 4. *al.* 5. *in pr. Quanta multitudo hominum convenerit ad hoc judicium, vides: quae sit omnium mortalium expectatio etc.* Nec sine ingenti ratione est: nam regis constitutio facienda est summo aliarum gentium assensu, *ne molem in medio crescentem sibi ac posteris suis metuant:* verba sunt Livii *Lib.* 1. *Histor. cap.* 9. in quem sensum Sanctius accipit hunc locum de eodem Davide, *Et audiverunt Philisthaei, quòd unxissent Davidem in regem super Israele; et ascenderunt omnes Philisthaei ad quaerendum Davidem.* 2. *Sam.* 5. *v.* 17. Ut hujus verò loci sensum planius assequamur, tenendum est, Davidem accommodare huic judicio normam juris dicundi, qua sub ista tempora utebatur Samuel Israelitarum Judex: *Et ibat de anno in annum, et circuibat Bethelem, et Gilgalem et Mitzpam: et JUDICABAT Israelem, omnia loca haec. Et reversio ejus in Ramam, quia ibi domus ejus; et ibi JUDICABAT Israelem, et aedificavit ibi altare Domino.* 1. *Sam.* 7. *v.* 16. *seq.* Nimirum diviserat totam ditionem in istos quatuor juridicos conventus, eo prorsus modo, quo Romani Magistratus provincias suae procurationi commissas dividebant, quò commodius accolae, qui lites habebant, ex vicino agro convenirent. Sic de Baetica scribit Plinius *Lib.* 3. *cap.* 1. *Juridici conventus ei quatuor, Gaditanus, Cordubensis, Astigianus, Hispalensis:* et de Hispania *d. Lib.* 3. *cap.* 3. *Nunc universa provincia dividitur in conventus septem: Carthaginensem, Tarraconensem, Caesaraugustanum, Cluniensem, Austrum, Lucensem, Bracatum.* Huc, inquam, finitimi, tanquam ad metropolim, jus petituri, et de controversiis, quae inter ipsos

oriebantur, disceptaturi conveniebant, diem ejusmodi conventuum indicente Propraetore, aut Proconsule, quorum jurisdictio, utpote suprema, sine appellatione erat. Vide amplius apud Pitiscum in *Lexic. Antiquit. Roman.* ad vocem *Conventus.*

Sed rem penitiori modo introspiciamus. Prisci homines, quoties erat controversia de recipiendo Rege, aut rejiciendo, rem totam committebant divinis oraculis atque judiciis. Nestor *Odyss.* 3. *v.* 214. *seq.* miratus Telemachum a procis rejectum, interrogat eum in haec verba:

Εἰπέ μοι, ἠὲ ἑκὼν ὑποδάμνασαι, ἤ σέ γι λαοὶ
Ἐχθαίρυσ᾽ ἀνὰ δῆμον, ἐπισπόμενα Θιῦ ὀμφῇ.

Dic mihi, an voluntarius domaris, an te populi
Odio habent publicè, sequentes Dei vocem.

iisdemque prorsus verbis Ulysses filium, cui nondum innotuerat, interrogat *Odyss.* 16. *v.* 95. *seq.* Cum Poeta concinunt Historici: de Gyge, post obtruncatum Candaulem, ita scribit Herodotus in *Clio*, seu *Lib.* 1. *cap.* 13. Ἔσχε δὲ τὴν βασιληΐην, καὶ ἐκρατύνθη ἐκ τῦ ἐν Δελφοῖσι χρηςηρίυ. ὡς γὰρ δὴ οἱ Λυδοὶ δεινὸν ἐποιεῦντο τὸ Κανδαύλιω πάθος, καὶ ἔνοπλοι ἦσαν, συνίβησαν ἐς τὠῦτο οἵ τι τῦ Γύγιω ςρατιῶται (al. ςασιῶται) καὶ οἱ λοιποὶ Λυδοὶ, ἢν μὲν δὴ τὸ χρηςήριον ἀνέλῃ μιν βασιλέα ἶναι τῶν Λυδῶν, τόνδε βασιλεύειν. ἢν δὲ μὴ, ἀποδῦναι ὀπίσω ἐς Ἡρακλείδας τὴν ἀρχήν. ἀνεῖλε τε δὴ τὸ χρηςήνιον, καὶ ἐβασίλευσιν ὕτω Γύγης. *Obtinuit autem regnum* (Gyges), *et in eo fuit confirmatus ex Delphico oraculo. Nam quum Lydi indigno animo ferrent Candaulis casum, atque in armis essent, convenerunt in idem et milites* (al. *factio*) *Gygis, et reliqui Lydi, si quidem Oraculum responderet, ipsum esse regem Lydorum, hunc regnare; sin minus, reddere retrorsum ad Heraclidas principatum. Respondit autem*

(adnuit) *Oraculum, et ita regnavit Gyges.* Idem Auctor *Lib.* 6. *cap.* 52. refert, Lacedaemonios, quum nescirent, quem eligerent in regem ex geminis puerulis, quos Argìa peperat Aristodemo, misisse Delphos sciscitatum, quid in ea re agerent. Pausanias in *Achaicis*, seu *Lib.* 7. *cap.* 2. scribit: "Ετεσι δὲ ὐ πολλοῖς ὕστερον Μέδων καὶ Νειλεὺς πρεσβύτατοι τῶν Κόδρου παίδων ἐστασίασαν ὑπὲρ τῆς ἀρχῆς. καὶ οὐκ ἔφασκεν ὁ Νειλεὺς ἀνέξεσθαι βασιλευόμενον ὑπὸ τοῦ Μέδοντος, ὅτι ὁ Μέδων τὸν ἕτερον ἦν τῶν ποδῶν χωλός. δόξαν δέ σφισιν ἀνενεγκεῖν ἐς τὸ χρηστήριον τὸ ἐν Δελφοῖς, δίδωσι Μέδοντι ἡ Πυθία βασιλείαν τὴν Ἀθηναίων. *Non multis post annis, quum Medon et Nileus, maximi natu filiorum Codri, de regno dissiderent, negaretque Nileus, regnum se Medontis ferre posse, qui pede altero claudicaret, rei cognitione Delphico oraculo permissa, respondit Vates, deberi Medonti Atheniensium regnum.* De his loquitur etiam Aelianus *Lib.* 8. *V. H. cap.* 5. Vide Feithium *Lib.* 2. *Antiquit. Homer. cap.* 1. *per tot.*

Redeo ad verba Homeri: Nestor Telemacho dicit, *an te populi odio habent publicè?* David orat, *serva me ab omnibus persequentibus me: vers.* 2. ergo eum odio publicè habebant Israelitae, nec non finitimi, ceu patet ex loco Samuelis paulo ante allato. Quoad reliqua verba, *sequentes Dei vocem*, i. e. oraculum, aut judicium, haec, ubi jam oraculum praecessit, ut in nostro casu, in quo David unctus fuerat jussu Domini 1. *Sam.* 16. *v.* 1. accipienda sunt de novo Dei judicio, quemadmodum Antinoo consulenti necare Telemachum, virum regio genere natum, regerit Amphinomus *Odyss.* 16. *v.* 400. *seqq.*

"Ω φίλοι, οὐκ ἂν ἔγωγε κατακτείνειν ἐθέλοιμι
Τηλέμαχον· δεινὸν δὲ γένος βασιλήϊόν ἐστι

Κτέινειν· ἀλλὰ πρῶτα Θεῶν εἰρώμεθα βȣλάς.
Εἰ μέν κ' αἰνήσωσι Διὸς μεγάλοιο θέμιϛες,
Αὐτός τε κτενέω, τȣ́ς τ' ἄλλȣς πάντας ἀνώξω·
Εἰ δέ κ' ἀποτρώπωσι Θεοὶ, παύσασθαι ἄνωγα.
O amici, non ego interficere velim
Telemachum: grave enim genus regium est
Interficere: sed primùm Deorum interrogemus consilia.
Siquidem laudent Jovis magni jura,
Ipseque interficiam, aliosque omnes jubebo:
Sin avertant Dii, cessare suadeo.

et super ea, videlicet et tu Praeses ejus; nam praepositio על significat hic *eminentiam*, *dignitatem*, *auctoritatem*. Hanc explanationem suppeditavit mihi Maimonides, qui in *Sanhedrìn cap.* 1. §. 3. haec habet: *Quot stata Collegia Judicum debent esse in Israele, et quis singulorum numerus? Primò quidem atque ante omnia constituunt Collegium majus in Templo, et hoc est quod vocatur Synedrium Magnum, estque septuaginta virorum et unius, quia dicitur Num.* 11. *v.* 16. Collige mihi septuaginta viros ex senioribus Israelis, ומשה על גביהם, *quibus omnibus quum Moses praeesset etc.* ad litteram, *et Moses super eis*. Adi Rhenferdium in *Dissert. I. de Decem Otiosis* §. 31.

in altum revertere, alludit ad altitudinem locorum, in quibus Samuel conventus habebat, ut ante vidimus: sic de Trojanis concionantibus *Iliad.* 7. *v.* 345.

Τρώων αὖτ' ἀγορὴ γένετ' Ἰλίȣ ἐν πόλει ἄκρῃ.
Trojanorum item concio facta est Ilii in urbe summa, in arce.

De Atheniensibus Pollux *Lib.* 8. *Onomast. cap.* 10. *Seg.* 132. Ἐνεκκλησίαζον δὲ πάλαι μὲν ἐν τῇ Πνυκί. Πνὺξ δὲ ἦν χωρίον πρὸς τὴν ἀκρόπολιν. *Concionaban-*

tur antiquitus in Pnyce. *Pnyx autem erat locus juxta acropolin*, h. e. prope arcem. Adde Thucydidem *Lib.* 8. *cap.* 97. Vel intelligit βῆμα, *suggestum*, qui erat in medio consessus: sic de Mossynoecorum rege Apollonius Rhodius 2. *Argon. v.* 1028. *seq.*

Αὐτὰρ ἐν ὑψίςῳ βασιλεὺς μόσσυνι θαάσσων
Ἰθείας πολέεσσι δίκας λαοῖσι δικάζει.
At in altissima Rex fala sedens
Recta frequentibus jura populis dicit.

Nomen מרום, *altum, altitudo, locus altus*, tribuitur collibus *Jer.* 49. *v.* 16. montibus *Jes.* 37. *v.* 24. munitionibus celsis *Jes.* 26. *v.* 5. locis excelsis urbis *Prov.* 9. *v.* 3. confer *Jes.* 30. *v.* 18. et ibi Clericum. Ait *revertere*, ob continuam judiciariorum conventuum repetitionem. Relege locum Samuelis *Lib.* 1. *cap.* 7. *v.* 16. *seq.*

V. 9. *Dominus judicabit populos*, videlicet in eo est, ut judicet populos: confer quae *v.* 7. notavi ex *Iliad.* 22. *v.* 174. *seqq.* Retenta solenni forma judiciorum, existimo, verba haec non esse Davidis, sed praeconis, voce clamantis, consedisse Judices, et in medio eorum Dominum, ad dicendum jus, ut ii, qui habent controversias, aut expostulationes, se sistant coram illis caussas suas dicturi. Cum hac mea sententia concinit quod Jovis edicit apud Lucianum in *Deorum Concilio cap.* 19. Ὁπόταν δὲ κηρύξῃ ὁ Ἑρμῆς, ἥκετε, κομίζοντες ἕκαστος ἐναργῆ τὰ γνωρίσματα, κ. τ. λ. *Quum verò praeconium faciet Mercurius, venite, adferentes unusquisque manifesta indicia*, seu *argumenta etc.* quodque notat Asconicus Pedianus in *Comment. ad tert. Verrin. cap.* 1. *pr. Apud veteres et Judices, et rei, et accusatores, et defensores citabantur a praecone Praetoris.* Vide Barnabam Brissonium *Lib.* 5. *de Formul. cap.*

191. De voce praeconis, quae hìc non memoratur, audiamus Homerum *Iliad.* 2. *v.* 93. *seq.* Indicta ab Agamemnone Graecorum concione ad Nestoris navem, dum illuc milites turmatim accurrebant,

μετὰ δέ σφισιν ὄσσα δεδήει
Ὀτρύνουσ' ἰέναι, Διὸς ἄγγελος.

inter ipsos Vox accendebatur,
Incitans ire, Jovis nuncia.

Ὄσσα apud Poetam, notante Damm, ubique est *Vox* aliqua divina, et fingitur ut Numen aliquod, quod vocibus certis divinitus missis hortatur, eodem ferme modo, quo בת קול *Filia vocis* sub Templo secundo, de qua vide Castellum in *Lex. Heptagl. Tom. I. col.* 377. *seq.* A verbo דין seu דון hìc adhibito, cujus copiosissimam dilucidationem dat Scheidius ad *Cantic. Chizk. pag.* 121. *seqq.* est nomen דיואן, *locus ubi consessus judicialis habetur*, vulgò *Divano*. Vide Schultensium ad *Harir. Cons.* 6. *pag.* 176. et confer Arabsiadem in *Vit. Tim. Tom. II. pag.* 722. *lin.* 14.

Judica me Domine, David, quasi audita praeconis voce, Curiam adit, et solennibus verbis postulat, *Judica me Domine*, ac si dicat Romano more, *Ecce sisto me tibi* judicandum: quam formulam Brissonius *d. Lib.* 5. *cap.* 3. *fin.* sumpsit ex Plauto in *Curcul. Act.* 1. *sc.* 3. *v.* 5. *seqq.*

Ubi tu es, qui me convadatus Veneriis vadimoniis?
Ubi tu es, qui me libello Venerio citasti?
Sisto ego tibi me; et mihi contra itidem ut sistas
Suadeo.

secundum justitiam meam et secundum integritatem meam עלי *super me*, ista sunt, ut puto, *verba concepta*, quae scilicet certa formula comprehenduntur, et proximè accedunt ad *Juramentum calumniae*, ac si dicat, Prout justitia mea et integri-

tas mea *pro me* faciunt, perage judicium *super me*, vel *de me*. Conjungit duo synonyma, *justitiam*, scilicet legum observantiam, et *integritatem*, videlicet animi integritudinem erga alios, ab omni fuco alienam, ut Horatius ait *Lib.* 1. *Od.* 22. *pr.*
Integer vitae, scelerisque purus.
ad denotandam summam in hac re innocentiam. David igitur non absolutè praetendit suam innocentiam, sed hac in re, ut ajebam, testimonio conscientiae fratus, se judicio Dei sic committit, ut Hecuba, post cognitum scelus, quod Polymestor per obtruncationem Polydori patraverat, se judicio Agamemnonis submittit, inquiens apud Euripidem in *Tragoed. sui nominis v.* 788. *seqq.*

εἰ μὲν ὅσιά σοι παθεῖν δοκῶ,
Στέργοιμ' ἄν· εἰ δὲ τοὔμπαλιν, σύ μοι γενοῦ
Τιμωρὸς ἀνδρὸς, ἀνοσιωτάτου ξένου.

siquidem justa tibi pati videar,
Boni consulam: si verò contrarium, tu mihi sis
Ultor viri, impientissimi hospitis.

V. 10. *Cesset age malitia improborum*, in petitione coram Judice divino urget generalem cessationem improborum omnium, et particularem adversariorum suorum, prout ipse de se dicit in munere suo regio, *Singulis matutinis disperdam omnes improbos terrae: ad excindendum de civitate Dei, omnes operantes iniquitatis. Ps.* 101. *v.* 8.

et confirmabis Justus et scrutans corda et renes, per exterminium et consumptionem improborum stabilies in mentibus hominum, quae, dum illi prosperè agunt, ancipites feruntur, dogma, quòd Tu es *justus et scrutans corda et renes,* sedes nempe cogitationum, et affectuum, seu passionum humanarum. Hae voces *corda* et *renes* in Scriptura passim junguntur, ut *h. l. Ps.* 26. *v.* 2. *Ps.* 73. *v.* 21. *Jer.* 17. *v.* 10. *et cap.* 20. *v.* 12.

Deus justus, ex eo, quod scrutatur corda et renes, evincitur Judex planè errori non obnoxius.

V. 11. *Clypeus meus super Deo*, item, si deficiat improborum malitia, confirmabis hoc alterum dogma, *Clypeus meus super Deo*, scilicet id efficies, ut quicumque in tribulatione versatur, summa cum fiducia dicat apud animum suum, Deo est, ut sit mihi clypeus, nempe protector, defensor, tutor. Praepositio על *super* circumscribit hìc *officium*, seu *debitum*, ut in *Ps.* 56. *v.* 13. *Jechiz.* 45. *v.* 17. Vide Noldium sub *num.* 34.

qui servat rectos corde, contra improborum violentias: declaratio praecedentis hemistichii.

V. 12. *Deus*, in priori hemistichio est אלהים *Deus*, propriè *Dii*, Judiciale nempe Synedrium SS. Trinitatis; ideoque, veluti per modum declarationis, subjicitur *judicans*, vel *judex justus*: in altero est אל *Deus*, quà *fortis*, et *potens*: quae vis hìc notanda est, ubi sermo fit de *indignatione*, et consequenter de sumenda ultione in reos.

indignans, verbum זעם cum Ghàin penes Arabes in quinta conjugatione, in qua solùm occurrit, valet *spumam per buccas huc illuc movit camela;* et hinc *iratus est in sermone*, seu *cum ira loquutus est*. Hoc idem sibi vult apud Ebraeos in Kal, nempe *spumavit*, dein *indignatus, detestatus est*. Schultensius ad *Prov.* 24. *v.* 24. post traditam hujus verbi potestatem, reddit nostrum participium זועם *despumans, desaeviens, saevam vindictam exercens*. Ut dispiciatur convenientia hujus participii *indignans* cum praecedenti *judicans*, sciendum est, verbum שפט valere etiam *redarguere inter judicandum non sine indignatione*, quo sensu occurrit apud Jechizkielem *cap.* 22. *v.* 2. ideo reddi potest, *Deus redarguens justus*, h. e. qui, dum exercet judicia,

redarguit justè; et hinc *indignationis* notio. Ex bac *indignatione inter judicandum* orta est inter ethnicos fabula de *Nemesi*, Justitiae filia, quae a verbo νεμεσάω, *meritò indignor*, nomen sortita est, et malorum facinorum ultrix, bonorum praemiatrix fingitur: de ea videndus Gyraldus *Syntag.* 16. *col.* 463. *seqq.*

in omni die, sicut judicia quotidie Deus exercet, ita etiam ob prava hominum facta indignatur quotidie, et ulciscitur. Atque hinc meritò inferre licet, Principes et Legatos nationum, de quibus *vers.* 8. etiam citra specialem divini judicii denuntiationem convenisse in curiam, suum munus obituros.

V. 13. *Profectò non reducet gladium suum*, quem *acuit*, particula אם valet hìc *certè*, *profectò:* quam significationem ei vindicavit Schultensius ad *Job.* 8. *v.* 18. *et cap.* 42. *v.* 8. et ad *Prov.* 3. *v.* 34. deducens a radice Arabica אמם *intendit* aliquid, *proposuit*, *pro certo destinavit*. Verbum שוב habet hoc loco potestatem transitivam, valet enim *reducere*, ut in *Ps.* 14. *v.* 7. *Ps.* 53. *v.* 7. *Ps.* 126. *v.* 1. *et* 4. Quae autem sit gladiorum excellentia apud Orientales, discimus ex descriptione Ebn-Doreidi in *Poemat. v.* 70. *seqq.*

Et bini socii mei: gladius, cujus in latere similitudo reptationis formicarum, quae *ascendunt per colliculos,*

Ac si inter prominentiam cuspidis ejus et curvaturam ejus sit *focus, in quo ardescant prunae.*

Videre facit mortem, quando sequeris vestigium ejus, in tenebris viscerum, per vias, quae *non conspiciantur.*

Quando incidit in corpus, relinquit illud, postquam fuerat impar, par.

In his versibus *reptatio formicarum* est undulatus nitor, splendorve gladii (vulgò *b-unitura*), qui oculis exhibet velut agmina formicarum ascendentium per colliculos. *Invisibilitas viarum* sistit laminae tenuitatem summam, et incredibilem penetrandi vim in viscera intima. *Paritas* et *imparitas* significant, ictu hujus gladii corpus hominis reddi ex impari par, h. e. in duas partes dividi. Alter duorum sociorum est equus, quem Poeta in sequentibus versibus describit. Radix לטש Arabibus est *collisit* lapidem lapidi, *tutudit:* Ebraeis לטש *malleavit*, dein *acuit, polivit*. Quò expeditiora, et ad usum aptiora essent arma, solebant veteres, uti et nunc fit, ea polire, acuere, et ungere: sic Agamemnon, jam jam praelium commissurus, praecipit militibus *Iliad.* 2. *v.* 383.

Εὖ μέν τις δόρυ θηξάσθω.

Bene quidem quisque hastam acuat.

Mirabilis armorum politio Poetae suggessit hanc comparationem *cit. loc. v.* 455. *seqq.*

Ἠΰτε πῦρ ἀΐδηλον ἐπιφλέγει ἄσπετον ὕλην
Οὔρεος ἐν κορυφῇς, ἕκαθεν δέ τε φαίνεται αὐγή.
Ὣς τῶν ἐρχομένων, ἀπὸ χαλκοῦ θεσπεσίοιο
Αἴγλη παμφανόωσα δι' αἰθέρος οὐρανὸν ἷκε.

Velut ignis edax comburit immensam sylvam
Montis in verticibus, proculque apparet splendor:
Sic his gradientibus, ab aere admirando
Fulgor undique collucens per aerem Coelum ascendit.

Virgilius *Lib.* 7. *v.* 625. *seqq.* ait:

omnes arma requirunt.
Pars laeves clypeos, et spicula lucida tergunt
Arvina pingui, subiguntque in cote secures.

Statius *Lib.* 3. *Theb. v.* 582. *seqq.*

tunc fessa putri rubigine tela,
Horrentesque situ gladios in saeva recurvant

Vulnera, et attrito cogunt juvenescere saxo.
Ili teretes galeas, magnorumque aerea suta
Thoracum, et tunicas chalybum squallore crepantes
Pectoribus tentare, alii Gortynia lentant
Cornua.

Livius *Lib.* 44. *cap.* 34. *Neminem totis mox castris quietum videres: acuere alii gladios: alii gladios bucculasque: scuta alii loricasque tergere: alii aptare corpori arma, experirique sub his membrorum agilitatem: quatere alii pila: alii micare gladiis, mucronemque intueri: ut facile quis cerneret, ubi primùm conserendi manum cum hoste data occasio esset, aut victoriâ egregiâ, aut morte memorabili inituros bellum.* Quò tenderet armorum fulgor, cui tantopere studebant veteres, docet Vegetius *Lib.* 2. *de re milit. cap.* 14. inquiens: *Plurimum enim terroris hostibus armorum splendor importat.* Legendus integer locus. Hac de re Minerva astans Diomedi *Iliad.* 5. *v.* 4.

Δαῖέ οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ.
Accendebat ei ex galeaque et clypeo indefessum ignem.

Confer omnino locum *Iliad.* 18. *v.* 203. *seqq.* quem superius attuli ad *vers.* 7. Hanc armaturae curam saepe reperies apud Virgilium *Lib.* 7. *v.* 785. *seq.*

Cui triplici crinita juba galea alta Chimaeram
Sustinet, Aetnaeos efflantem faucibus ignes.

et *Lib.* 8. *v.* 619. *seq.*

interque manus et brachia versat
Terribilem cristis galeam, flammasque vomentem.

et *cit. loc. v.* 680. *seq.*

geminas cui tempora flammas
Laeta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.

et *Lib.* 9. *v.* 732. *seq.*

tremunt in vertice cristae

Sanguineae, clypeoque micantia fulmina mittunt.
et *Lib.* 10. *v.* 270. *seq.*
Ardet apex capiti, cristisque ac vertice flamma
Funditur, et vastos umbo vomit aureus ignes.

Eamdem adhibuere etiam Israelitae: de *tersione* legitur מרקו הרמחים *expolite lanceas. Jer.* 46. *v.* 4. de *acuminatione*, שננו כחרב *acuerunt ut gladium linguam suam. Ps.* 64. *v.* 4. de *unctione*, משחו מגן *ungite clypeum. Jes.* 21. *v.* 5. et alibi saepe.

arcum suum quem *tetendit*, repete *Non reducet*, h. e. non remittet, non laxabit, non lentabit, *arcum suum*, quem *tetendit*. Quando arcus extra usum erat, tum nervus ex altero illius cornu demebatur, ne eveniret quod Phaedrus ait *Lib.* 3. *Fab.* 14.

Citò rumpes arcum, semper si tensum habueris.

et in *theca*, quae *Odyss.* 21. *v.* 54. dicitur γωρυτὸς, repositus asservabatur. Quando autem rursus tendendus erat, id ita fiebat: alterum cornu, cui nervus jugiter haeret, admovebatur terrae; alterum, ex quo nervus demptus erat, manu et genu deprimebatur, donec haberet arcus eam curvaturam, ut nervus huic alteri cornui admoveri et aptari posset fibulâ vel nodo: id Ebraeis dicitur דרך *calcare*, Graecis τανύειν, τείνειν, τιταίνειν, *tendere*. Non sine fructu et voluptate leges quae de contentione in tendendo Ulyssis arcu narrat Homerus *Odyss. d. Lib.* 21. *per tot.*

et paravit illum, ubi sagittarius curvaverat arcum, parabat et disponebat eum ad emittendam cum vi et impetu sagittam, videlicet laeva manu tenebat summitatem arcus, dextera attrahebat nervum ad pectus, et signanter ad mammam dexteram, ita ut arcum jam tensum ex semicirculari redderet κυκλοτέρη *rotundiorem Iliad.* 4. *vers.* 124.

Utramque actionem expressit Poeta *Odyss.* 21. *v.* 419. inquiens:

Τὸν ῥ' ἐπὶ πήχει ἑλὼν, ἕλκεν νευρὴν γλυφίδας τε.

Hanc (sagittam) *ad cubitum tenens, traxit nervum crenasque.*

Istic πῆχυς, propriè *brachium, cubitus*, significat *curvam mediam et superiorem partem arcus*, ubi sinistra manus simul tenet arcum et sagittam. Γλυφὶς est *crena*, seu *incisura* sagittae, qua applicatur nervo in arcu. Hoc praecipit Vegetius *Lib.* 1. *de re milit. cap.* 15. *Major adhibenda solertia, ut arcum scienter teneant, ut fortiter impleant; ut sinistra fixa sit, et dextera cum ratione ducatur.* Istic *implere arcum* valet ejus tensionem numeris omnibus absolutam reddere: eadem phrasi utitur Statius *Lib.* 9. *Theb. v.* 721.

Nondum tela procax, arcumque implere valebas.

Totum hoc negotium tendendi arcum prae oculis ponit Virg. *Lib.* 11. *v.* 858. *seq.* ubi sermo est de Camilla:

Dixit: et aurata volucrem Threissa sagittam
Deprompsit pharetra, cornuque infensa tetendit,
Et duxit longè, donec curvata coirent
Inter se capita, et manibus jam tangeret aequis,
Laevâ aciem ferri, dextrâ nervoque papillam.

Materies, qua apud veteres Ebraeos parabantur arcus, erat *aes Job.* 20. *v.* 24. 2. *Sam.* 22. *v.* 35. *Ps.* 18. *v.* 35. ad quem postremum locum vide Schultensium in *Animadvers. Philolog.* apud Graecos erat *cornu Iliad.* 4. *v.* 109. *seq.* Nervi autem eorumdem fiebant vel ex *loris bubulis*, Homerus enim vocat νεῦρα βόεια, *nervos bubulos, cit. loc. v.* 122. vel ex *setis equinis*, auctore Virgilio, qui *Lib.* 9. *v.* 622. *seq.* ait:

nervoque obversus equino
Intendit telum.

De arcus gestatione et repositione illud etiam in rem nostram notandum est, quod Theologis gentilibus Apollo, si telum in manibus habet, dicitur esse *noxius*, ut Virgilio *Lib.* 8. *v.* 704. *seq.*

Actius haec cernens arcum intendebat Apollo
Desuper.

et Statio *Lib.* 1. *Theb. v.* 629. *seq.*

arcu crudelis iniquo
Pestifera arma jacit.

si condit, *propitius*, ut Horatio *Carm. saecul. v.* 39. *seq.*

Condito mitis placidusque telo
Supplices audi pueros, Apollo.

Id illi hauserunt e doctrina Synagogae, dicente Davide, *Apprehende clypeum et scutum: et surge in adjutorium meum. Et educ hastam et occlude in occursum persequentium me. Ps.* 35. *v.* 2. *seq.* et Jeremia, *Heu gladie Domini usquequo non subsides? colligitor ad vaginam tuam, reducitor, et compescitor. Cap.* 47. *v.* 6. Denique non caret emphasi, quod dicit *gladium suum*, et *arcum suum*, pro simplici *gladium*, et *arcum;* nam dicendo *gladium* et *arcum Dei* innuit rem terribilem, qua nihil terribilius.

V. 14. *Et in illum*, intellige quemcumque Deus ob improbitatem sagittis impetendum sibi proposuit, specialiter Saulum, vel Cushum. Interpretor ולו *Et in illum*, quia sic loquitur etiam Poeta *Iliad.* 5. *v.* 97.

Αἶψ' ἐπὶ Τυδεΐδῃ ἐτιταίνετο καμπύλα τόξα.
Illico in Tydidem tendebat incurvos arcus.

et *Iliad.* 11. *v.* 370.

Τυδεΐδῃ ἐπὶ τόξα τιταίνετο ποιμένι λαῶν.
In Tydidem arcus tendebat pastorem populorum.

disposuit, vel *accommodavit*, *vasa mortis*, scilicet in nervo, prout dicitur *Iliad.* 4. *v.* 118.

Αἶψα δ' ἐπὶ νευρῇ κατεκόσμει πικρὸν ὀϊστόν.
Statim autem in nervo aptavit acerbam sagittam.
ubi vide Eustathium. Id autem fiebat eodem actu, quo attractio nervi, prout dicitur *cit. loc. v.* 122. *seq.*

Ἕλκε δ' ὁμοῦ γλυφίδας τε λαβὼν, καὶ νεῦρα βόεια·
Νευρὴν μὲν μαζῷ πέλασεν, τόξῳ δὲ σίδηρον.
Traxit autem simul crenas sagittae prehensas et nervos bubulos:
Nervum quidem mammae admovit, arcuique ferrum.

vasa mortis, instrumenta mortis, seu arma lethifera, nempe *sagittas suas*. Nomen חץ *sagitta* habet potestatem *celeritatis*, tanquam a radice חצץ Arabibus *celeriter ivit*, sicut dicitur *cit. loc. v.* 125. *seq.*

ἆλτο δ' ὀϊστὸς
Ὀξυβελὴς, καθ' ὅμιλον ἐπιπτέσθαι μενεαίνων.
saliitque sagitta
Acutam habens cuspidem, in turbam advolare cupiens.

Materiem sagittarum, et additamenta, quibus hae instruuntur, tradit Plinius *Lib.* 16. *cap.* 36. *segm.* 65. *Calamis Orientis populi bella conficiunt: calamis spicula addunt irrevocabili hamo noxia. Mortem accelerant pinnâ additâ calamis.* A forma spiculi *sagitta* Homero dicitur τριγλώχιν, *tricuspis*, vel potius *triangularis Iliad.* 5. *v.* 393. et *Iliad.* 11. *v.* 507. A *pinna* dicitur πτερόεις, *pennata Iliad.* 4. *v.* 116. et Sophocli in *Trachin. v.* 576. κομήτης, *comata*. Hinc Ovidius *Lib.* 3. *Trist. Eleg.* 10. *v.* 55. *seq.*

Hostis equo pollens, longèque volante sagitta,
Vicinam latè depopulatur humum.

Ab hamis dicitur *hamata* eidem Ovidio *Lib.* 2. *Amor. Eleg.* 9. *v.* 13. *seq.*

Quid juvat in nudis hamata retundere tela
Ossibus? ossa mihi nuda reliquit Amor.
et *Lib.* 3. *Trist. Eleg.* 10. *v.* 63. *seq.*
Pars cadit hamatis miserè confixa sagittis:
Nam volucri ferro tinctile virus inest.

Hi hami, seu unci, tres erant, ceu Statius docet *Lib* 9. *Theb. v.* 750.
Aspera tergeminis acies se condidit uncis.

in ardentes facit, Coccejus dat, *sagittas suas parat, ut sint ardentes*. Verbum פלק exerit hìc duplicem potestatem, qua gaudet: prima est *acuminavit* cultrum, et intransitivè *acuminatus est;* hinc vertas *acuminatas:* altera est *flagravit, arsit;* et hinc cum Schultensio ad *Prov.* 26. *v.* 23. ubi de hoc verbo enucleatè, reddas *sagittas suas sane ardentes operatur*, i. e. jaculatur, cum accessione hacce gravissima *flagrantiae in cuspidem acuminatae*. Hae binae potestates manarunt a radicis proprietate, quae, teste Wilmeto, est *volvit*, et hinc *volvendo acui*, *veloci et irrequieto motu agitari*, unde *flagrantia*, juxta illud Horatii *Lib.* 1. *Od.* 1. *v.* 4. *seq.*
metaque fervidis
Evitata rotis.

In *sagittis* significatio *acuendi* plana est: altera *flagrandi* aliquid illustrationis postulat. Ego nullus dubito, quin, translato ardore ad *cupiditatem* aliquam *vehementem*, Vates *sagittas acuminatas*, quas sibi Deus fabricatur, grandiori stilo dixerit *ardentes cupiditate* volandi in improborum turbam, quum hancce cothurnatam imaginem expresserit etiam Poeta, dum ei *sagitta emissa* dicitur *Iliad.* 4. *v.* 126.

καθ' ὅμιλον ἐπιπτέσθαι μενεαίνων,
in turbam advolare cupiens,

velut impetu quodam animi concitata, quae est vis

verbi μενεαίνω: solent enim Poetae voluntarium animi impetum tribuere etiam rebus inanimatis. Ulterius adhuc provehor in indagine. Christianus David Janus ad hanc Horatii strophen *Lib.* 2. *Od.* 8. *v.* 13. *seqq.*

Ridet haec, inquam, Venus ipsa, rident
Simplices Nymphae, ferus et Cupido
Semper ardentes acuens sagittas
Cote cruenta.

sic Poetam defendit adversus hypercriticum Homium, qui negat, satis convenire inter se *ardentes sagittas* et *cotem cruentam* » Cogitanda tela ex ipso cruore, quo cos tincta erat, *ardentia*; nam venenum *ardere, fervere, coqui* eo sanguis, saepenumero Poetis dicitur. Ille ignis, quo perfusa sunt, a veneno oritur « Nihil igitur vetat, nos credere, tales fuisse sagittas, quas David hic appellat *ardentes*, nempe veneno flagrantes. De ipsa re nulla est dubietas: nam Plinius *Lib.* 18. *cap.* 1. queritur, homines esse feris ipsis ferociores, dum tela veneno inficiunt: *Quod tamen eorum* (animalium) *tela sua, excepto homine, venenis tingit? Nos et sagittas tingimus, et ferro ipsi nocentius aliquid damus.* Virgilius celebrat Amycum inhumana hac arte instructum inficiendi veneno sagittarum aciem *Lib.* 9. *v.* 771. *seqq.*

inde ferarum
Vastatorem Amycum, quo non felicior alter
Ungere tela manu, ferrumque armare veneno.

De sagittis Annibalis Silius Italicus *Lib.* 1. *Punic.* *v.* 322. *seqq.*

Aut hydro imbutas, bis noxia tela, sagittas
Contendit nervo, atque insultat fraude pharetrae,
Dacus ut armiferis Geticae telluris in oris,
Spicula qui patrio gaudens acuisse veneno

Fundit apud ripas inopina binominis Histri.

Istic sagittas veneno tinctas Poeta eleganter vocat *bis noxia tela*, quia et *veneno* et *vulnere* mortem inferunt. Eamdem ideam aliis verbis effert Ovidius *Lib.* 1. *ex Ponto Eleg.* 2. *v.* 17. *seq.*

Qui mortis saevo geminent ut vulnere caussas,
Omnia vipereo spicula felle linunt.

et hinc Claudianus *Lib.* 1. *de Laudib. Stilic. v.* 351. *seq.*

Sed didicit non Aethiopum geminata venenis
Vulnera etc.

In allato Silii loco notanda est phrasis *acuisse veneno*, quae explicatur verbis Horatii superius adductis, *acuens cote cruenta;* consignat enim duplicem potestatem nostri participii דולקים, nempe *acuminatas*, et *veneno ardentes*. Sic Nicolaus Heinsius in hoc altero ejusdem Silii loco *Lib.* 3. *v.* 272. *seq.*

scelerataque succis
Spicula dirigere, et ferrum infamare veneno.

pro *infamare* legit *inflammare*, quemadmodum vetusti Codices Valerii Flacci pro *armata* habent *flammata* in isto loco *Argonaut. Lib.* 1. *v.* 107. *seqq.*

Arcadico cujus flammata veneno
Tela puer, facilesque humeris gaudentibus arcus
Gestat Hylas.

sed pace eruditissimi Viri ego retineo *infamare*, quia praecedit *scelerata*. Itaque si venenatis sagittis tribuitur *ardor* et *flammatio*, immo si *venenum* ipsum Ovidio *Lib.* 9. *Metam. v.* 171. dicitur *ardens*, i. e. comburens, fas est credere, tela ignita, de quibus hic Vates, fuisse, juxta phrasin Valerii, *flammata veneno;* praesertim quum antea dicat *vasa mortis*, nimirum instrumenta mortis certae, quae non semper talis est, si veneno caret sa-

gitta, ut patet exemplo Menelai *Iliad*. 4. *v*. 185. et Tamerlanis apud *Arabsiadem Tom. I. pag*. 16. *seq*. Confer notata ad *Job*. 6. *v*. 4.

Rationem conficiendi ejusmodi venenum apud Scythas refert Aristoteles in *Libro de mirabil. auscultat. sub fin*. Φασὶ, τὸ Σκυθικὸν φάρμακον, ᾧ ἀποβάπτουσι τοὺς ὀϊστοὺς, συντίθεσθαι ἐξ ἐχίδνης. τηροῦσι δὲ, ὡς ἔοικε, οἱ Σκύθαι τὰς ἤδη ζωοτοκούσας, καὶ λαβόντες αὐτὰς, τήκουσιν ἡμέρας τινας. ὅταν δὲ ἱκανῶς αὐταῖς δοκῇ σεσῆφθαι πᾶν, τὸ τοῦ ἀνθρώπου αἷμα εἰς χυτρίδιον ἐγχέοντες, εἰς τοὺς κοπρίους κατορύττουσι πωμάσαντες. ὅταν δὲ καὶ τοῦτο σαπῇ, τὸ ὑφιστάμενον ἐπάνω τοῦ αἵματος, ὃ δή ἐστιν ὑδατῶδες, μιγνύουσι τῷ τῆς ἐχίδνης ἰχῶρι, καὶ οὕτω ποιοῦσι θανάσιμον. *Ferunt Scythicum venenum, quo inficiunt sagittas, parari ex vipera. Observant enim, ut par est, Scythae* viperas *parientes, easque captas putrefaciunt per aliquot dies. Quumque satis ipsis videtur computruisse omne, hominis sanguinem in ollulam affundentes, in sterquilinio defodiunt operculo operientes. Et ubi hoc quoque computruit, partem supernatantem sanguinis, quae aquosa est, miscent vipereo cruore; atque ita lethale reddunt*. Quae verba sic contrahit Plinius *Lib*. 11. *cap*. 53. *seg*. 115. *fin*. *Scythae sagittas tingunt viperina sanie, et humano sanguine: irremediabile id scelus mortem illico affert levi tactu*. Sane mos iste, qui apud barbaras gentes, veluti Parthos et Scythas, invaluit, rarò a Graecis est usurpatus: hinc Minerva *Odyss*. 1. *v*. 259. *seqq*. personam agens Mentae regis Taphiorum narrat, patrem suum lethiferum illud unguentum Ulyssi, amicitiae ergo, liberali manu dedisse, postquam hic molestum iter in Ephyram ad illud comparandum frustra susceperat: nam Ilus Mermeri filius petitio-

nem Ulyssis ratam habere noluit, veritus, ne Dii illius criminis vindices forent:

Ἐξ Ἐφύρης ἀνιόντα παρ᾽ Ἴλου Μερμερίδαο,
Ὤχετο γὰρ κἀκεῖσε θοῆς ἐπὶ νηὸς Ὀδυσσεὺς,
Φάρμακον ἀνδροφόνον διζήμενος, ὄφρα οἱ εἴη
Ἰοὺς χρίεσθαι χαλκήρεας· ἀλλ᾽ ὁ μὲν οὔ οἱ
Δῶκεν, ἐπεὶ ῥα Θεοὺς νεμεσίζετο αἰὲν ἐόντας·
Ἀλλὰ πατήρ οἱ δῶκεν ἐμός· φιλέεσκε γὰρ αἰνῶς.
Ex Ephyra reversum ab Ilo Mermerida,
Iverat enim et illuc celeri in navi Ulysses,
Venenum mortiferum inquirens, ut posset
Sagittas ungere aeratas: sed ille quidem non ei
Dedit, quoniam Deos verebatur sempiternos:
Sed pater illi dedit meus; amabat enim vehementer.

V. 15. *Ecce*, quae quum ita sint, quòd scilicet Deus quotidie pro caussis regum et nationum exerceat judicia, et poenam de perduellibus aliisqne facinorosis capiat tanto cum apparatu vindictae, sane improbus quilibet, et specialiter Cushus, vel Saulus, vel potius uterque, *concipiet vanitatem*, h. e. omnia ejus consilia, quae ineat, et molimina, quae aggrediatur, irrita fient. Horum instituit comparationem cum falso mulieris conceptu, quem dicit און *vanitatem:* cum graviditate molesta, quam vocat *laborem:* et cum partu non vero, quem appellat *mendacium*.

et gravidus erit labore, nomen עמל *labor* activè sumptum notat *molestiam*, *vexationem*, qua quis alium afficit; passivè, qua quis afficitur.

et pariet mendacium, haec phrasis eadem èst cum illa Jesaiae, *peperimus ventum cap.* 26. *v.* 18. qua innui videtur *empneumatosis*, seu *mola ventosa*, qua quae laborant, diu et sibi et peritis medicis gravidae videntur; tandemque post omnes verae graviditatis molestias et labores ventum ex utero

emittunt. Ita Michaelis in *Suppl. ad Lex. Hebr. pag.* 2245. Vide Hippocratis Oeconomiam in voce Ἐμπνευμάτωσις, et qui ibi citantur. Nomen שקר *mendacium* generatim notat *quidquid spei hominis non respondet*, vel *eum decipit*.

V. 16. *Puteum excavavit etc.* nullum quidem effectum sortientur ejus in me molimina, immo e contrario haec certum exitium afferent ei; siquidem iis ipsis dolis capietur, quibus me perdere studuerit. Pauca de verbis. Habent Arabes radicem בור, quae, ut et cognata באר, significat *fidit*, *findendo incidit*; dein *eruit*, *fodit*, *effodit*, specialiter *puteum:* et hinc, ducta potestate verbi ex usu *putei* in his loquutionibus, intransitivè *periit*, *interiit*, apud Arabsiadem *Tom. II. pag.* 16. *lin.* 10. *qui vicinus est piorum*, *non* יבור *peribit*, quasi dicat, *non cadet in puteum*. Accipe igitur in hoc et similibus locis de *puteo perditionis*.

et obtexit illum, radix חפר cum Chet non punctato notat *fodit* puteum, fossam; at cum Chet punctato, licèt non excludat potestatem *fodiendi*, valet *obtexit:* immo Michaelis in *Suppl. ad Lex. Hebr.* existimat, primam ejus vim in *tegendo* consistere; idque confirmari ex notione *pudoris*, quae huic verbo tribuitur, quum a *tegendo* vultu *pudor* sit dictus. Et re quidem vera his machinationibus congruentior videtur dolus *obtectionis*, quàm repetitio *effossionis*, specialiter extra parallelismum, qui ut plurimum locatur in altero hemistichio.

et incidit in foveam quam *fecit*, ad me praecipitem dandum. Hae paroemiae saepe occurrunt in Bibliis: *Demersae sunt gentes in foveam* quam *fecerunt: in rete quod absconderunt, captus est pes earum. Ps.* 9. *v.* 16. *Qui excavat foveam, in eam cadet: et qui volvit lapidem, ad eum revertetur.*

Prov. 26. *v.* 27. *Qui fodit foveam in eam cadet: et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Eccl.* 10. *v.* 8. *Qui fodit foveam, incidet in eam: et qui statuit laqueum, capietur in eo. Sirachid.* 27. *v.* 29. nec non in profanis Auctoribus, velut in Tullio *Philipp.* 4. *cap.* 5. *Non est vobis, Quirites, res cum scelerato homine atque nefario, sed cum immani tetraque bellua: quae quoniam in foveam incidit, obruatur*, immittendo scilicet terrae aliarumve materiarum congeriem: qua ratione venatores tegunt feras in foveam delapsas. Sumuntur autem hae paroemiae ex rusticis, qui, caecâ foveâ factâ, feras noxias capere solent, quemadmodum, praeter hodiernum quoque usum, discimus ex Plinio, qui de anatibus ait *Lib.* 10. *cap.* 38. *Itaque in foveas, quibus feras venamur, delapsae solae evadunt.* Hinc translatè pro dolis et insidiis ad homines decipiendos ponuntur apud Plautum in *Poenul. Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 59.

Ita decipiemus fovea lenonem Lycum.

et in *Pers. Act.* 4. *Sc.* 4. *v.* 45.

Vide sis, ego ille doctus leno pene in foveam decidi.

V. 17. *Revertetur labor ejus*, quem scilicet is mihi creare studet, *in caput ipsius*, nomen ראש *caput*, ut praecipua pars corporis, interdum per synecdochen totum hominem notat; ideoque pro *in caput ipsius* reddi commodè potest *in ipsum*. Hoc nomine utimur, quando quis alicui minas jactat, ex. gr. *vae capiti tuo*, i. e. vae tibi, apud Plautum in *Mustell. Act.* 4. *Sc.* 3. *v.* 10. aut summum malum imprecamur, ex. gr. *capiti vestro istuc quidem*, apud eumdem in *Poenul. Act.* 3. *Sc.* 3. *v.* 32. Pro hac paroemia Sirachides ait, *Facienti mala, super ipsum morabuntur: et non cognoscet, unde veniant ipsi. Cap.* 27. *v.* 30. Ad hoc autem, ut juri

Rhadamantheo, quando eo agitur inter homines, locus fiat, necesse est, ut effectum habuerit injuria laedentis, prout dicitur apud Aristotelem *Lib.* 5. *dc morib. cap.* 8.

Εἴ κε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.

Si quis quod fecit? patiatur, jus erit aequum.

At in judiciis Dei, qui vulgo dicitur *scrutans corda et renes*, *h. Ps. v.* 10. et solicitus est de salute suorum, saepe ante consummatam injuriam talione agitur.

et super verticem ejus violentia ipsius descendet, repetitio ejusdem rei per diversa vocabula. קדקד *vertex* est illa veluti *linea* in medio capite, quae fit capillorum discriminatione in utramque partem, a themate קדד *per longum secuit*, *fiditque lorum*. Sensum hujusce versus, tanquam sententiam apud omnes vulgatissimam, expressit Seneca *Lib.* 5. *Controv. in Praefat. Sunt Dii immortales lenti quidem, sed certi vindices generis humani, et magna exempla in caput invenientium regerunt: ac justissima puniendi vice, quod quisque alieno excogitavit supplicio, saepe expiat suo.* Verba illa, *magna exempla in caput invenientium regerunt*, ad memoriam revocant hunc locum Ovidii *Lib.* 1. *Art. amand. v.* 645. *seqq.*

Ludite, si sapitis, solas impune puellas:
Hac minus est unâ fraude tuenda fides.
Fallite fallentes: ex magna parte profanum
Sunt genus: in laqueos, quos posuere, cadant.
Dicitur Aegyptus caruisse juvantibus arva
Imbribus, atque annos sicca fuisse novem.
Quum Thrasius Busirin adit, monstratque piari
Hospitis effuso sanguine posse Jovem.
Illi Busiris: Fies Jovis hostia primus,
Inquit, et Aegypto tu dabis hospes aquam.

Et Phalaris tauro violenta membra Perilli
Torruit : infelix imbuit auctor opus.
Justus uterque fuit : neque enim lex aequior ulla,
Quàm necis artifices arte perire sua.
Ergo, ut perjuras merito perjuria fallant,
Exemplo doleat foemina lusa suo.

V. 18. *Laudabo Dominum*, David pro certa habens liberationem ab instantibus periculis, profitetur, se laudationibus gratias Deo acturum: qui mos in ejusmodi occasionibus generaliter observatur: sic post liberationem Graecorum a peste *Iliad.* 1. *v.* 472. *seqq.*

Οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ Θεὸν ἱλάσκοντο,
Καλὸν ἀείδοντες παιήονα, κοῦροι Ἀχαιῶν,
Μέλποντες Ἑκάεργον· ὁ δὲ φρένα τέρπετ' ἀκούων.
Illi totum diem cantu Deum placabant,
Laetum canentes paeana, pueri Achivorum,
Cantu celebrantes Hecaërgum: isque animo delectabatur audiens.

secundum justitiam ejus, qua insontes contra vim affligentium potenter defendit.

et psallendo-canam nomen Domini Altissimi, h. e. Dominum Altissimum: iteratio ejusdem sensus. Quid sibi velit Dei epithetum *Altissimus*, dicetur infra *Ps.* 9. *v.* 3.

In hunc sensum accipitur hic versus cum similibus, et rectè quidem : at ego sub his verbis aliud simul subesse puto, virtutem nempe veteris musices, quae quidem tanta erat, ut non solùm affectus hominum immutare planè valeret, eos sedando, vel concitando, sed etiam Numinis iram placare, ejusque opem in periculis velut extorquere. De mutatione affectuum scribit Cassiodorus *Lib.* 2. *Var. Epist.* 40. *Poetis etiam, Terentiano testante, duo primùm metra principalia sunt attributa, id est,*

Heroicum, et Jambicum: unum quod erigeret, alterum quod placaret. Sic Terpander, teste Plutarcho de *Musica pag.* 1146. *B.* seditionem Lacedaemone coortam musicà pacavit. Solon, auctore eodem in *ejus Vita pag.* 82. *B.* cantu elegorum incitavit Athenienses ad bellum pro asserenda Salamina, quum poenam capitalem sanxissent, si quis ea de re rogationem ferret: qua in arte incitandi ad bellum a Virgilio *Lib.* 6. *v.* 164. *seq.* celebratur Misenus:

quo non praestantior alter
Aere ciere viros, Martemque accendere cantu.

Musicà Taletes Cretensis, teste eodem Plutarcho de *Musica cit. loc.* Lacedaemone pestem sedavit, quemadmodum sedaverunt juvenes Graeci in Chrysa *Iliad. cit. loc.* quibus exemplis addi potest sedatio pestis, quae tam latè grassata est in Israele post numeratum a Davide populum 2. *Sam.* 24. *v.* 25. Musica, inquam, mira haec operabatur, quia, ut didicimus ex Homero, Apollo (et sic alii) dum celebrabatur cantu, φρένα τέρπετ' ἀκούων, *animo delectabatur audiens*. Oblectabantur autem Dii cantu musicorum, tum ob illius suavitatem, tum ob horum doctrinam; erant enim iidem cum Poetis, et omnia Deorum et hominum acta nosse credebantur, ceu patet exemplo Phemii *Odyss.* 1. *v.* 337. *seq.* Quo ex loco superiùs adducto ad *Ps.* 5. *v.* 1. lucem accipit iste 1. *Paralip.* 16. *v.* 4. *Et posuit* (David) *ante Arcam Domini de Levitis ministrantes: ad memorandum* (gesta Domini) *et ad celebrandum et ad dicendum laudes Domino Deo Israelis.* Sane vim Ebraicae Musices novimus ex Davide, qui suis modulationibus compescebat malum spiritum, quo vexabatur Saulus: *Et erat, quum esset spiritus Dei super Saulo, et capiebat David citharam, et mo-*

dulabatur in manu sua: et relaxatio fiebat Saulo, et bene erat ei; et recedebat desuper eo spiritus. 1. *Sam.* 16. *v.* 23. Neque id peculiare fuit in uno Davide: nam varias fuisse musicae scholas patet ex variis musicae Praefectis, qui memorantur in titulis Psalmorum, ut latè disseruimus ad *d. Ps.* 5. *v.* 1. et probè discimus ex eo, quod Saulo dicunt servi ejus 1. *Sam.* 16. *v.* 15. *seq. Ecce nunc spiritus Dei malus terrens te. Dicat age Dominus noster, servi tui,* qui sunt *ante te, quaerant virum scientem* (scienter) *modulantem in cithara etc.* ubi per *scienter modulantem* intellige praestantiorem in hac arte; et consequenter puta, extitisse istorum hominum collegia. Horum, inquam, vis musica usque adeo valebat, ut ne ipse quidem Deus facere posset, quin moveretur ad ipsius suavitatem: ideo quum populo suo minatur, se nullatenus placatum iri, illum a canticis et nabliis cessare jubet: *Remove ab apud me,* ait penes Amosum, *strepitum canticorum tuorum: ut cantionem nabliorum tuorum non audiam. Cap.* 5. *v.* 23. quia scilicet illis auditis, certa est placatio. Tantam veteris musicae vim palam facit etiam historia Sirenum, quae licèt fabulis pro more Graecorum ornata sit, fundamentum tamen habet in rei veritate: has clarissimus Bochartus *Part. II. Hieroz. Lib.* 6. *cap.* 8. *pr.* statuit fuisse suavissimas et doctissimas *Cantrices,* sic appellatas a Phoenicum voce שיר *Shir,* h. e. *cantio*. De his copiosè Circe *Odyss.* 12. *v.* 39. *seqq.* dum Ulyssi modum suggerit evadendi periculum, quod subeunt quotquot ad illas navigando accedunt:

Σειρῆνας μὲν πρῶτον ἀφίξεαι, αἵ ῥά τε πάντας
Ἀνθρώπους θέλγουσιν, ὅ τις σφέας εἰσαφίκηται.
Ὅς τις ἀΐδρείῃ πελάσῃ, καὶ φθόγγον ἀκούσῃ
Σειρήνων, τῷ οὔτι γυνὴ καὶ νήπια τέκνα

Οἴκαδε νοστήσαντι παρίσταται, ὐδὲ γάνυνται·
Ἀλλά τε Σειρῆνες λιγυρῇ θέλγυσιν ἀοιδῇ,
Ἥμεναι ἐν λειμῶνι. πολὺς δ' ἀμφ' ὀστεόφιν θὶς
Ἀνδρῶν πυθομένων, περὶ δὲ ῥινοὶ μινύθυσιν.
Ἀλλὰ παρὲξ ἐλάαν· ἐπὶ δ' ὔατ' ἀλεῖψαι ἑταίρων
Κηρὸν δεψήσας μελιηδέα, μή τις ἀκύσῃ
Τῶν ἄλλων· ἀτὰρ αὐτὸς ἀκυέμεν, αἴκ' ἐθέλῃσθα,
Δησάντων σ' ἐν νηῒ θοῇ χεῖράς τε πόδας τε
Ὀρθὸν ἐν ἱστοπέδῃ· ἐκ δ' αὐτῦ πείρατ' ἀνήφθω.
Ὄφρα κε τερπόμενος ὄπ' ἀκύῃς Σειρήνοιϊν. κ. τ. λ.
Sirenas quidem primùm advenies, quae sane omnes
Homines fascinant, quicumque eas advenerit.
Quicumque imprudentia accesserit, et vocem audierit
Sirenum, huic neutiquam uxor et infantes parvuli
Domum reverso astant, neque laetantur:
Sed Sirenes stridula fascinant cantilena
Sedentes in prato: ingens autem circà ossium acervus
Virorum putrefactorum, circumque cutes consumuntur.
Sed praeternavigato: aures autem obline sociorum,
Ceram depsens mellitam, ne quisquam audiat
Caeterorum: at ipse audire si quidem voles,
Ligent te in navi veloci manibusque pedibusque
Erectum in statione mali: ex ea autem funes alligentur:
Ut cum voluptate vocem audias Sirenum etc.

Inde Cassiodorus *cit. loc. Sirenes in miraculum cantasse curiosa prodit antiquitas; et quamvis navigantes fluctus abduceret, carbasa ventus inflaret, eligebant suaviter decepti in scopulos incurrere, ne tantam paterentur dulcedinem praeterire*. Multa autem ossa, quae circa Sirenum insulam a Poeta memorantur, non naufragos notant, sed perpetuos adsessores usque ad obitum: nam qui semel adsuevit dulcedini musicae, semper ei adhaerere solet.

Istorum ossium meminit etiam Virgilius *Lib.* 5. *v.* 864. *seq.*

Jamque adeo scopulos Sirenum advecta subibit,
Difficiles quondam, multorumque ossibus albos.

Deinde Homerus, suam descripturus poesin, illarum cantum describit, introducens eas Ulyssem ad sese invitantes *cit. loc. v.* 184. *seqq.*

Δεῦρ' ἄγ' ἰὼν, πολύαιν' Ὀδυσσεῦ, μέγα κῦδος Ἀχαιῶν,
Νῆα κατάστησον, ἵνα νωϊτέρην ὄπ' ἀκούσῃς.
Οὐ γάρ πώ τις τῇδε παρήλασε νηΐ μελαίνῃ,
Πρίν γ' ἡμέων μελίγηρυν ἀπὸ στομάτων ὄπ' ἀκοῦσαι.
Ἀλλ' ὅγε τερψάμενος νεῖται, καὶ πλείονα εἰδώς.
Ἴδμεν γάρ τοι πάνθ' ὅσ' ἐνὶ Τροίῃ εὐρείῃ
Ἀργεῖοι Τρῶές τε Θεῶν ἰότητι μόγησαν,
Ἴδμεν δ' ὅσσα γένηται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ.

Huc age veniens, celeberrime Ulysses, ingens decus Achivorum,
Navem siste, ut nostram vocem audias.
Non enim unquam aliquis hàc praeteregit navem nigram,
Quin prius nostram suavem ab ore vocem audiret:
Sed hic delectatus abit, et plura sciens.
Scimus enim tibi omnia quaecumque in Troja lata
Argivi Trojanique Deorum voluntate pertulerunt,
Scimus etiam quaecumque fiunt in terra alma.

Incredibilem musicae vim unicè spectat Horatius *Lib.* 1. *Od.* 12. *v.* 7. *seqq.* ubi canit:

Unde vocalem temere insequutae
Orphea silvae,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresque ventos,
Blandum et auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

Quem apologum in *Art. Poet. v.* 391. *seqq.* sic enarrat:

Silvestres homines Sacer Interpresque Deorum
Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones.

Quodque sequitur,

Dictus et Amphion, Thebanae conditor arcis,
Saxa movere sono testudinis, et prece blanda
Ducere quò vellet.

ita Lambinus eloquitur « Quum Thebani urbem incolere sine moenibus ac propugnaculis non auderent, propterea quod a Phlegraeis, finitimis populis, saepe et acriter oppugnabantur, atque ideo urbem relinquere in animo haberent, Zethus et Amphion eis, ut manerent, persuaserunt, urbemque turribus et moenibus firmissimis, et fossis altissimis cinxerunt. Hinc nata fabula est, Amphionem, qui praestantissimus esset musicus, citharae cantu saxa ita permulsisse, ut illa sua sponte, et sine fabrorum opera, ad urbis munitionem, et murorum structuram convenirent » Hoc idem narrat Seneca in *Herc. Fur. v.* 262. *seq.*

Cujusque muros natus Amphion Jove
Struxit, canoro saxa modulatu trahens.

Hisce notatis, puto, eam etiam esse in hoc loco mentem Davidis, se, praeter argumentorum vim, quae adduxit, cantionum etiam suarum, et nunc hujus hymni suavitate posse id certò efficere, ut Deus τερψάμενος, *delectatus*, auxilio sibi sit ad adversarios dissipandos. Ejusmodi sententiam confirmat Cassiodorus *cit. loc. Vir* (Davides) *toto orbe cantabilis ita modulatum pro animae sospitate composuit, ut his hymnis et mentis vulnera sanarentur, et Divinitatis singularis gratia conquiratur.* Lege sodes integram Epistolam.

PSALMUS VIII.

ARGUMENTUM

Celebrat Vates admirabilem Dei potentiam, quatenus suum spirituale regnum in terris praestat inconcussum opera parvulorum: deinde eloquitur hominem evectum ad pene divinum dignitatis gradum.

V. 1. PRAEFECTO super Haggittìth, Psalmus Davidis.

2. Domine Dominus noster, quàm gloriosum nomen tuum in universa terra! cujus celebratio, gloria tua, super Coelis.

3. Ex ore parvulorum et lactentium fundasti gloriam propter adversarios tuos: ad cessare faciendum Inimicum, et Ulciscentem se.

4. Quum video Coelos tuos opus digitorum tuorum: Lunam et Stellas, quas existere fecisti.

5. Quid homo quòd recorderis ejus: et filius Adami, quòd visites eum?

6. Et minuisti eum parum prae Diis: et gloria et decore coronasti eum.

7. Dominari fecisti eum in operibus manuum tuarum: omnia posuisti sub pedibus ejus.

8. Pecus et boves universitatem eorum: et etiam bestias agri.

9. Aves Coelorum et pisces maris: transeuntem semitas marium.

10. Domine Dominus noster, quàm gloriosum nomen tuum in universa terra!

COMMENTARIUS

V. 1. *Praefecto super Heggittith*, solebant, ait Michaelis in *Suppl. ad Lex. Hebr.* solentque adhuc ab his, qui uvas calcant, laeta cantari cantica, atque ad ea gressus adtemperari: quid si גתית *gittith* sit *instrumentum*, ad quod haec cantica canebantur, *vindemiae* et *calcationis* tempori proprium? Nimirum deducit clarissimus Auctor hoc nomen ab altero גת *gath*, *torcular*, vel potius *cupa*, in qua uvae conculcantur pedibus. Radicem נתת Venema ad *h. loc.* explicat *tutudit*, tundendo *perfregit*; ideoque excludit inde notionem *torcularis*, quum hoc cochlea intorqueatur. Ego non discedo ab iis, quae recepi ad *Ps.* 5. *v.* 1. puto scilicet הגתית *Haggittith* esse initium veteris cantilenae, cujus ad numeros hic Psalmus cantandus erat. Quoad significationem vocis, si quidem est a גת *gath*, *cupa*, tum accipi posse conjicio de foemina aliqua *cupae* addicta, vel *cauponam* exercente, quae *cupae* nomine venit apud Ciceronem in *Orat. in L. Pisonem cap.* 27. *pistor domi nullus, nulla cella: panis et vinum a propola atque de cupa:* ubi vide Graevium. Si verò est a גת *Gath*, urbe Philisthaeorum *Jehos.* 11. *v.* 22. quod mihi magis arridet, tum indicari conjicio foeminam *Gittaeam*, ita ut גתית sit nomen gentile foemininum a masculino גתי *Gittaeus*, *Jehos.* 13. *v.* 3. et alibi. Profectò in carmine panegyrico, quale est hoc nostrum, et quale par est credere fuisse ve-

tus illud *Haggittith*, a nominibus foeminae, quam pingendam et ornandam Auctor sumpserit, poemata dignosci et circumferri solebant. Hinc illud Motanabbi:

Quando est encomium, Nasib praeit.

Est נסיב *nasib* foeminarum in carmine *recensio*. Hoc adeo usitatum est in Oriente, ut vix Carminis nomen habere sit censendum, nisi mulieris alicujus exhibeat pulcherrimam figuram. Adi Reiske in *Notis ad Moallakam Tharaphae pag.* 40. et Lette in *Notis ad Carmen Caabi pag.* 93. quod est in laudem Mohammedi. Ejus initium:

Discessit Soada, quare cor meum hodie amore confectum,
In servitutem redactum, postquam non redimitur, vinctum:
Neque Soada mane discessûs, quum abeunt,
Nisi Dorcas tenella stridulam vocem edens, visum comprimens, nigras habens palpebras.
Quae restrictos denudat dentes oris nitidissimi, quum subridet,
Ac si esset aquatorium vino temperatum.

Legitur apud Samuelem, *Ne indicetis in Gath, ne annuncietis in plateis Askelonis: ne forte laetentur filiae Philisthaeorum, ne forte exultent filiae incircumcisorum. Lib.* 2. *cap.* 1. *v.* 20. Tangitur istic mos illius aevi, ut in victoriis virgines laeto carmine laudes Dei victorumque exequerentur, prout dicitur, *Et fuit, quum venirent ipsi, dum reverteretur David a percutiendo Philisthaeum, et egressae sunt mulieres de cunctis urbibus Israelis ad cantandum et chori, in occursum Sauli regis: in tympanis in laetitia et in tripudiis.* 1. *Sam.* 18. *v.* 6. Et alibi, *Et cepit Maria prophetissa soror Aharonis tympanum in manu sua: et egressae sunt*

omnes mulieres post eam, in tympanis et choris. Exod. 15. *v.* 20. Hinc suspicari licet cum Calmeto in *Argum. ad h. Ps.* puellas Gittaeas fuisse celebres peritia canendi, et harum quampiam, quae sua aetate fuerit caeteris blandior, et forsan a Poeta in deliciis habita, nomine suo cantilenam exornasse, de qua modò disquiritur: nisi volumus dicere, istam foeminam, alibi natam, *Gittaeae* cognomen ex suavitate cantus obtinuisse. Hac admissa conjectura, id insuper addo, *Gittaeos* eam inter loquendum emisisse vocis suavitatem, quam Choarezmiis tribuit Arabsiades in *Vit. Tim. Tom. I. cap.* 13. *pag.* 88. *Choarezmii* sunt *ut Samarcandenses in subtilitate, sed excellentiores Samarcandensibus in civilitate* (seu *humanitate*) *et elegantia. Impensè student poesi et humaniori litteraturae: ipsis in vario genere artium eximiarum operumque venustorum* sunt *res admirabiles, praesertim in cognitione musicae et tonorum: consortes sunt in hoc magnates ex ipsis et vulgus: quodque pervulgatum est de ipsis, quòd infantes in cuna inter illos quando vagiunt aut clamant* אה ah, *id sane fit in derivatione ditoni*. Pro allata conjectura facit quod apud Theocritum *Idyll.* 15. *v.* 98. legitur de quadam Cantatrice,

Ἅτις καὶ Σπέρχιν τὸν ἰάλεμον ἠρίστευσε.

Quae et Sperchin, lugubre carmen, canendo *primas tulit*.

ubi *Sperchis* est nomen viri Atheniensis, ut habet Suidas, vel Spartani, ut habet Herodotus *Lib.* 7. *cap.* 134. simulque titulus carminis lugubris in laudem illius, ob id quod memoriae prodiderunt citati Scriptores. Isto, inquam, exemplo, aliisque, quae Toupius collegit, auguror, *Haggittìth* esse nomen mulieris, ut supra dictum est, unàque titulum panegyrici Carminis.

V. 2. *Domine Dominus noster, quàm gloriosum est nomen tuum in universa terra!* radix אדר, unde nostrum אדיר, deperdita est. Clarissimus Schultensius in Lexico nondum edito, quod auditoribus exhibet, notat ad hanc radicem » Nobis certissimè liquet, et constat, significationem ejus propriam sitam esse in *tumore*, seu *elatione tumida*, unde translatio facta fuit ad *magnificentiam regalem*, eodem planè ductu flexuque, quo Graecum κῦδος, *magnificentia, gloria, decus excelsum*, productum fuit ἀπὸ τῦ κύειν, quod est *tumere:* unde et alio aspectu κῦμα, *fluctus tumens*, aliaque nunc non prosequenda. Ab illo autem κῦδος prognatum verbum κυδαίνω, quod cum nostro verbo et origine et secudaria potestate suavissimè conspirat. Habent Graeci adhuc alium *tumorem* in vocabulo ὄγκος, itidem translatum ad *magnificentiam, gloriam, dignitatem, gravitatem*, praeter alias quàm plurimas notiones secundarias, quas mittimus: ad nostrum enim nunc scopum sufficit verbum ὀγκῦσθαι et ἐξογκῦσθαι, quod frequentari amat in *supremo gradu regalis alicujus majestatis et magnificentiae* » Prosequitur doctissimus Lette, cujus ex *Observationibus ad Cantic. Mosis vers.* 6. *pag.* 205. *seq.* haec excripsi » Hinc locum Zachariae *cap.* 11. *v.* 13. אדר היקר vertit vir magnus ὄγκος τῦ βάρῦς, *magnificentia pretii!* »

cujus celebratio, gloria tua, super Coelis, in determinanda potestate vocabuli תנה sequutus sum clarissimos viros, Ludovicum Dieusium ad *Jud.* 5. *v.* 11. *et cap.* 11. *v.* 4. et Albertum Schultensium in *Animad. ad h. loc.* qui deducunt a radice חנה, quae apud Ebraeos in Piël, apud Arabes cum Thau triplici puncto gravato in quarta conjugatione valet *laude, et gratiarum actione celebravit*. In Bibliis

occurrit tantùm in citatis locis, quorum prior habet, *Ibi* יתנו *celebrant justitiam Domini:* alter, *De diebus in dies* (annuatim) *ibant filiae Israelis* לתנות *ad celebrandum filiam Iphthachi Giladitae quatuor diebus per annum*. Ex Arabicis monumentis pro hac confirmanda notione affert uterque Auctor sententiam Imperatoris Ali, תנאא *Laudatio viri super eum, qui dat ipsi beneficia, auget beneficia.* Gerardus Jo. Lette ad *priorem Judicum locum pag.* 77. *not.* z. confirmat auctoritate Haririi *Cons.* 1. *pag.* 32. *lin.* 3. *et recessit ab eis* מתניא *gratias agens:* et *Cons.* 5. *pag.* 98. *lin.* 3. ואתניא *et laudavimus indolem ejus aequabilem*, haud crispam: et *Cons.* 6. *pag.* 242. *et hostes tui* te תתני *dilaudabunt*. Ego addo Georgium Elmacinum *Lib.* 1. *Histor. Sarac. cap.* 2. *Dixit eis Abubecrus f. m. quum laudavisset Deum*, *et* אתני *celebrasset eum:* et Abulfedam in *Annal. Moslem. ad an. Hegir.* 60. *Postquam obiit Moavias, egressus est Dhachacus filius Kaisi, et venit ad suggestum: quo conscenso cum ferali mundo Moaviae* אתני *laudavit Moaviam*. De forma hujus vocabuli vide ad *Ps.* 4. *v.* 7. Altera dictio הוד, quae incertae originis est, notat *excellentiam, praestantiam: majestatem, gloriam, decus: robur, vigorem:* generatim *id, quod commendat personam, vel rem, et quo persona vel res aliis praestat, atque excellit*. Est autem הודך *gloria tua* casus appositionis, et dictio declarativa, seu causativa praecedentis תנה *celebratio*. Sensus loci est: O Domine, qui es Dominus noster, quamvis gloria tuae majestatis apprimè fulgeat in sublimitate Coelorum, attamen quàm admirabilem sese prodit potentia tua etiam per universam terram, quae est mundorum infima!

V. 3. *Ex ore parvulorum et lactentium*, duo-

bus hisce synonymis notantur pueri tenerioris aetatis, lactationi et infantiae proximi, quasi dicas, parvulorum adhuc lactentium: nam עולל generaliter dicitur omnis, qui *repetitis haustibus sitim explet*, specialiter qui sic *sugit lac.*

fundasti, tutam invictamque praestitisti, *gloriam*, seu *potentiam*, h. e. Regnum tuum spirituale in terris, prouti latius exponitur vox haec עז in *Ps.* 110. *v.* 2. Luculentiori intelligentiae hujus loci subservit notitia temporis, quo penes Ebraeos circumscribitur pueritia. In *Tract. Talmud. Beracòth fol.* 24. 1. legitur: *Dixit R. Chasda: Puella dicitur* תינוקת sugens *usque ad annum tertium et diem unum: puer verò dicitur* תינוק sugens *usque ad annum nonum et diem unum. Alii dicunt, puellam vocari* sugentem *usque ad annum undecimum et diem unum: puerum verò dici* sugentem *usque ad annum duodecimum et diem unum*. Paulo aliter Maimonides de *Connub. cap.* 2. §. 1. *et* 10. Quibus in locis, et generaliter in Dialecto Siro-Caldaea et Rabbinica, *puella* dicitur תינוקת *sugens*, et *puer* dicitur תינוק *sugens*, quia significatur aetas *lactationi* proxima, vel ab ea non admodum remota. Sic Ebraica verba והנער נער, *et ille puer* (Samuel) erat *puer*, 1. *Sam.* 1. *v.* 24. Paraphrastes Caldaeus transfert, ורביא הוא יניק, *et puer erat sugens:* quae verba, ut ibi commentatur Kimchius, non ita sunt accipienda, quasi adhuc sugeret lac, siquidem ante dicitur, *postquam ablactavit eum, cit. loc.* sed יניק *sugens* idem est ac נער קטן, *puer parvus*, seu *valde puer*. Similiter verba Sauli ad Davidem, *Non poteris ire ad Philisthaeum istum pugnandi gratia cum eo, quia* נער *puer* es *tu, ille autem vir belli* מנעוריו *a pueritiis suis*. 1. *Sam.* 17. *v.* 3. idem Paraphrastes reddit, *quia* יניק *sugens* es *tu, ipse verò vir faciens prae-*

lia מינקותיה *a suctu suo*. Et in lingua Talmudica *Tract. Succà in fin. Sermo* רינוקא *sugentis* (pueri) *in platea, aut patris ejus est, aut matris ejus:* videlicet quae pueri in platea dicunt, ea plerumque domi audiverunt a parentibus.

Quod si cui libet accipere יונקים de *parvulis* reipsa *lactentibus*, utique favet ei lactationis tempus penes Ebraeos, qui istud protrahebant ad tertium usque aetatis annum, ceu patet ex hoc Machabaeorum loco: *Fili miserere mei, quae in utero portavi te menses novem, et lactavi te annos tres. Lib.* 2. *cap.* 7. *v.* 28. Qua quidem aetate pueri si non clarè ac distinctè fari queunt, aliqua saltem verba proferre sciunt, ideoque tum statim selectas aliquot Sacrae Scripturae gnomas docentur, veluti תורה צוה לנו משה, *Legem praecepit nobis Moses. Deuteronom.* 33. *v.* 4. שמע ישראל יהוה אלהינו יהוה אחד *Audi Israel: Dominus Deus noster Dominus unus: Deut.* 6. *v.* 4. הושיעה נא, et ex Syrismo una dictione הושענא, *Hosanna, Salva quaeso*, ex *Ps.* 118. *v.* 25. in Festo praesertim Tabernaculorum; et sub tempora Messiae הושענא לבן רוד, *Salva quaeso Filium Davidis*, prout legitur in *Matth.* 21. *v.* 15. *seq. Quum vidissent autem summi Sacerdotes et Scribae miranda illa, quae fecerat, et pueros clamantes in Templo, ac dicentes*, Ὡσαννὰ τῷ Δαβὶδ, *Hosanna Filio David, indignati sunt. Et dixerunt: Audis quid isti dicant? Jesus autem dicit eis: Utique. Numquam legistis, quòd Ex ore parvulorum et lactentium perfecisti laudem?* Vide Wetstenium ad *vers.* 9. *h. cap.* et Lexicon Pasoris *col.* 1484. *edit. Lipsiae* 1735.

De virtute divinorum verborum, quando prodeunt ex ore parvulorum, opportunum est referre Doctrinam veteris Synagogae in *Echa Rabbathi*

apud Buxtorf. Synag. Jud. cap. 7. » Quum hostes in Hierosolymorum vastatione Sacerdotes et Levitas omnes a Judaea expulissent, non tamen unà cum ipsis recessit Majestas Divina. Quum Synedrium magnum ejecissent, nec tum adhuc Majestas Divina e sedibus suis expulsa est. At ubi pueros ex Schola abegerunt, tum Majestas Divina simul cum illis in exilium acta et depulsa fuit, uti praedixerat Jeremias, *Parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis. Et egressus est a filia Tzionis omnis decor ejus: Thr. 1. v.* 5. 6. scilicet egressa est Praesentia Majestatis Divinae, in qua omnis urbis Tzionis excellentia et praestantia sita fuit. Siquidem quando pueri, ad pedes Magistrorum sedentes, verba Legis discunt, et ore suo nihil aliud, quàm verbum Dei, sonant, cum illis Divina habitat Majestas, et spiritu ab ore illorum prodeunte veluti recreatur. Et ratio est, quia pueri adhuc sunt, et sancti, nec ulla adhuc peccata eos remordent. » Tum verò traduntur pueri Magistris et studio Legis, quum pervenerunt ad quintum aetatis annum, prout statuitur in *Pirkè Abòth cap.* 5. §. 21. *Filius quinque annorum* destinatur *ad Biblia:* illud autem auspicantur a Levitico, ideo, quòd aequum est, et Deo gratum, ut pueri, qui adhuc pueri sunt et immaculati, occupent se in ea Legis parte, quae de purificationibus agit; id quod imputatur a Deo, ac si oblationem ipsi obtulissent: sic Auctor *Colbò num. 74 apud Buxfort. d. cap. 7.* Id autem sumptum videtur ex *Vajikra Rabba sect. 7. Dixit R. Asse: Cur parvuli incipiunt a Lege Sacerdotum* (a Levitico), *et non incipiunt ab In principio* (Genesi)? *nimirum quia pueri sunt mundi, et oblationes quoque sunt mundae. Veniant igitur mundi, et occupent se in mundis.* h. e. in Libro, qui agit de

munditie et immunditie. Vide Buxtorfium in *Lex. Chald. col.* 962. Quanti autem Deus faciat non solùm laudationes puerorum et supplicationes, sed etiam gemitus, discimus ex Joele, qui suos hortans ad poenitentiam, praecipit Sacerdotibus, *Colligite populum, sanctificate coetum, congregate senes, colligite parvulos et sugentes mammarum. Cap.* 2. *v.* 16. ubi Kimchius » Ut sint omnes in uno coetu, et fleant parvuli et sugentes mammas ob famem; adultiores verò humilientur fletu illorum: Deus autem pro misericordia sua misereatur clamoris parvulorum » Nimirum persuasum erat antiquis, citiùs se posse impetrare veniam, si supplicantibus sibi unà adjungerent infantes. Confer et Pocockium in *Comment. ad cit. loc. Joel*. Exemplum hujusmodi fletus exauditi habemus in Ismaele relicto a matre, quae longè ab eo stans, *elevavit vocem suam et flevit. Et audivit Deus vocem pueri. Genes.* 21. *v.* 16. *seq*.

Hoc theologicum dogma de pueris, aliisque castis personis, ex. gr. virginibus, habuere etiam gentiles, quibus in more positum fuit, ut in publicis supplicationibus et lectisterniis, quò faciliùs exorarentur Dii, adhiberentur pueri patrimi et matrimi, Graecè ἀμφιθαλεῖς, qui hymnos canerent, ceu discimus ex Livio *Lib.* 37. *Histor. cap.* 3. *Decem ingenui, decem virgines, patrimi omnes matrimique, ad id sacrificium adhibiti: et Decemviri nocte lactentibus*, i. e. victimis adhuc lactentibus, *rem divinam fecerunt*. Insignis verò est locus ejusdem Auctoris *Lib.* 27. *cap.* 37. in quò ejusmodi religionum pompam describit: *Decrevere item Pontifices, ut virgines ter novenae per urbem euntes carmen canerent. Id quum in Jovis Statoris aede discerent, conditum a Livio poeta, carmen, tacta de*

Coelo ades in Aventino Junonis reginae: prodigiumque id ad matronas pertinere Aruspices quum respondissent, donoque Divam placandam esse, Aedilium Curulium edicto in Capitolium convocatae, quibus in urbe Romana, intraque decimum lapidem ab urbe, domicilia essent, ipsae inter se quinque et viginti delegerunt, ad quas ex dotibus stipem conferrent. Inde donum pelvis aurea facta, lataque in Aventinum, purèque et castè a matronis sacrificatum. Confestim ad aliud sacrificium eidem Divae ab Decemviris edicta dies, cujus ordo talis fuit: Ab aede Apollinis boves foeminae albae duae porta Carmentali in urbem ductae: post eas duo signa cupressea Junonis reginae portabantur: tum septem et viginti virgines longam indutae vestem, carmen in Junonem reginam canentes ibant, illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens et inconditum, si referatur: virginum ordinem sequebantur Decemviri, coronati laurea, praetextatique a porta Jugario vico in Forum venere: in Foro pompa constitit; et per manus reste data, virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt: inde vico Tusco Velatroque, per Boarium Forum, in clivum Publicium, atque aedem Junonis reginae perrectum: ibi duae hostiae ab Decemviris immolatae, et simulacra cupressea in aedem illata. Horatius, qui cujuscumque generis poematia edidit, quaedam istorum specialiter scripsit virginibus et pueris canenda: in aliis luculentissimam hujus religionis mentionem facit, veluti *Lib. 1. Od. 2. v. 26. seqq.*

prece qua fatigent
Virgines sanctae minus audientem
Carmina Vestam?

Vestales enim Virgines, utpote Vestae perpetua

virginitate et summo cultu addictae, ad placandum ejus Numen potentiores habebantur; ideoque, ut earum operâ impetrabilior foret venia, illas in periculis adhibuere deprecatrices Romani non solùm apud Deos, sed etiam apud homines, ut Messalina penes Tacitum *Lib. 11. Annal. cap.* 32. *Vibidiam Virginem Vestalem vetustissimam oravit, Pontificis Maximi aures adire, clementiam expetere*. Ejusque rei quamdam veluti rationem addit Cicero *pro Fontejo cap. 17. Tendit ad vos Virgo Vestalis manus supplices, easdem, quas pro vobis Diis immortalibus tendere consuevit? Cavete, ne periculosum superbumque sit, ejus vos obsecrationem repudiare, cujus preces si Dii aspernarentur, haec salva esse non possent*. Mentionem pariter facit hujus religionis idem Poeta *Lib. 4. Od. 1. v. 25. seqq.*

Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes, pede candido
In morem Salium ter quatient humum.

Luculentissimum verò specimen ejusmodi hymnorum extat in *Lib. 1. Od.* 21. quam pro illustratione praesentis argumenti integram libet afferre:

Dianam tenerae dicite virgines:
Intonsum pueri dicite Cynthium,
Latonamque supremo
Dilectam penitus Jovi.
Vos laetam fluviis, et nemorum coma,
Quaecumque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erymanthi
Silvis, aut viridis Cragi:
Vos Tempe totidem tollite laudibus,
Natalemque, mares, Delon Apollinis,
Insignemque pharetra,
Fraternaque humerum lyra:

Hic bellum lacrymosum, hic miseram famem,
Pestemque a populo, et principe Caesare in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

notandi sunt istic Dii precibus puerorum exorati. At inter sacros id genus hymnos, quibus superbit Romana poesis, principem locum tenet *Carmen Saeculare* Horatii:

Phoebe, silvarumque potens Diana,
Lucidum Coeli decus, o colendi
Semper, et culti, date quae precamur
Tempore sacro.
Quo Sibyllini monuere versus,
Virgines lectas, puerosque castos,
Dis, quibus septem placuere Colles,
Dicere Carmen etc.

Mos iste ex Arcadia Romam fluxisse videtur: solis enim Arcadibus peculiare fuisse docet Polybius *Lib.* 4. *Histor. cap.* 20. ut eorum pueri a teneris hymnos et paeanas canere assuescerent: Ταῦτα γὰρ πᾶσιν ἐςὶ γνώριμα καὶ συνήθη, διότι σχεδὸν παρὰ μόνοις Ἀρκάσι, πρῶτον μὲν οἱ παῖδες ἐκ νηπίων ᾄδειν ἐθίζονται κατὰ νόμους τοὺς ὕμνους καὶ παιᾶνας, οἷς ἕκαστοι κατὰ τὰ πάτρια τοὺς ἐπιχωρίους Ἥρωας καὶ Θεοὺς ὑμνοῦσι. *Nam, ut notum usuque compertum est omnibus, soli ferme sunt Arcades, apud quos pueri primò ab ipsa infantia ex legibus assuefiant hymnos et paeanas canere, quibus more patrio singuli suos Heroes et Deos concelebrant.* Lege integrum istud caput cum sequenti. Eadem habet Athenaeus *Lib.* 14. *Deipnosoph. pag.* 626. *B. edit.* 1598. Παρὰ γοῦν μόνοις Ἀρκάδων οἱ παῖδες ἐκ νηπίων ᾄδειν ἐθίζονται κατὰ νόμον τοὺς ὕμνους καὶ παιᾶνας, οἷς ἕκαστοι κατὰ τὰ πάτρια τοὺς ἐπιχωρίους Ἥρωας καὶ Θεοὺς ὑμνοῦσι. *Itaque apud solos Arcades pueri ab infantia consue-*

scunt hymnos et paeanas cantare praescriptis numeris, quibus singuli, ut patrius mos est, gentiles Heroas et Deos celebrant. Flavius Josephus *Lib.* 19. *Antiq. cap.* 1. §. 14. pueros memorat, οἳ ἥκεσαν ἐκ τῆς Ἀσίας, πομπῆς αὐτῶν ἐκεῖθεν γενομένης ἐπὶ ὕμνοις μυστηρίων, ἃ ἐπιτέλει: *qui ex Asia venerunt, missi inde, ut hymnos canerent in mysteriis, quae* Caligula *celebrabat*. His addo locum Homeri *Iliad.* 1. *v.* 473. *seqq.*

Οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ Θεὸν ἱλάσκοντο,
Καλὸν ἀείδοντε Παιήονα, κοῦροι Ἀχαιῶν
Μέλποντες Ἑκάεργον.

Per totum autem diem cantu Deum placabant,
Laetum canentes Paeana, pueri Achivorum
Celebrantes Hecaërgum, Apollinem.

Istic *pueri Achivorum* non sunt, ut opinor, iidem cum *pueris* antè memoratis *vers.* 470. qui *crateras coronabant, et distribuebant omnibus*, sed alii prorsus sunt, hymnis canendis in honorem Deorum destinati, et praesertim Apollinis, quem Poeta Ἑκάεργον appellat, i. e. *procul expellentem* mala quaevis, et ejus hymnum vocat Παιήονα, tanquam *a* παύω, *cessare facio*, quia per ejus cantum cessare faciebant mala omnia. Vide Eustathium ad *h. loc.* et relege locum Horatii paulo antè allatum *ex Lib.* 1. *Od.* 21.

In hac *victoria* parvulorum ope relata de adversariis Domini (nam vocabulum Ebraicum עז, ut Graecum κῦδος, valet etiam *victoriam*) notandum insuper est dedecus istorum: nihil enim turpius potest militi, nedum Imperatori, evenire, quàm vinci, et occidi a puero, vel a foemina. De puero exemplum est in Zebacho et in Tzalmunneo regibus, qui, quum Gideon eos commisisset filio suo adhuc puero interficiendos, *Jud.* 8. *v.* 20. depre-

cati sunt, *surge tu, et irruito in nos*, *cit. loc. v.* 21. ut hinc esset ipsis aliqua solatio, juxta illud Aeneae ad Lausum *Lib.* 10. *v.* 829. *seq.*

Hoc tamen infelix miseram solabere matrem,
Aeneae magni dextrâ cadis.

ubi vide adductos a Cerdano. De foemina extat exemplum in Abimeleco, qui lethaliter in cranio vulneratus fragmine molae, quod mulier dejecerat, antequam moreretur, praecepit armigero suo, *Evagina gladium tuum, et neca me, ne forte dicant de me, Mulier interfecit eum: et confodit eum puer ejus, et mortuus est. Jud.* 9. *v.* 54 cui similis est querela morientis Herculis apud Senecam in *Herc. Oet. v.* 1177. *seq.*

O turpe fatum! foemina Herculeae necis
Auctor feretur.

propter adversarios tuos, intellige *Inimicum*, et *Ulciscentem se*, de quibus statim post in altero hemistichio.

ad cessare faciendum Inimicum et Ulciscentem se, duo appellativa nomina veteris Serpentis, unde ejus enunciatio in plurali numero *adversarios tuos:* prius respicit *inimicitiam*, quam posuit Deus inter ipsum et Mulierem, et inter utriusque semen, *Genes.* 3. *v.* 15. unde pariter enunciatio pluralis *adversarios tuos:* alterum respicit studium *ultionis*, ob ipsius deturbationem e Coelo, *Jes.* 14. *v.* 12. nec non ob abolitionem potestatis in homines: *Genes. cit. loc.* etenim quandiu semen Mulieris, nempe fideles, odiis exercent Serpentem, ejusque semen, i. e. socios et satellites, tandiu cessat in isto facultas ulciscendi se.

V. 4. *Quum video Coelos tuos*, qui, ut alibi poeticè idem David ait, *enarrant gloriam Dei. Ps.* 19. *v.* 2. Additio pronominis *tuos* respicit ad supe-

riora verba, *cujus celebratio, gloria tua, super Coelis, v.* 2. quibuscum concinunt et ista, *Coeli* sunt *Coeli Domino*, h. e. celsissimae sedes et habitationes divinae Majestatis: *terram autem dedit filiis Adami. Ps.* 115. *v.* 16.

opus digitorum tuorum, synecdochicè ponuntur *digiti* pro *manibus*, prout alibi legitur, *et opus manuum tuarum* sunt *Coeli. Ps.* 102. *v.* 26. אצבע *digitus* est nomen formae intensivae, a radice צבע *tinxit, intinxit*, quasi dicas, *valde tinctus*, quia digitorum pulpas, pulchritudinis caussà, notante Wilmeto in *Lex. pag.* 420. hodienum minio rubro *tingunt* puellae Orientales: quam in rem extat elegantissimum distichon in Haririo *Cons.* 2. *pag.* 100.

Et pluere fecit margaritas ex narcissis, irrigavitque
Rosam, et momordit uvas cum grandine.

Istic *margaritae* sunt lacrymae: *narcissi*, ocelli languidiùs intuentes: *rosa*, genae: *momordit*, prae ira: *uvae* sunt extremitates rubicondae digitorum, fuco *tinctae*, ut intensius etiam rubeant, quod in deliciis est Gynaecaei apud Arabes: *grando*, dentes candiduli. Profectò *color rufus* in *Al-Korano Sur.* 2. *v.* 69. dicitur *exhilarans:* et Plinius scribit, *Invenitur in argentariis metallis minium quoque, et nunc inter pigmenta magnae auctoritatis, et quondam apud Romanos non solùm maximae, sed etiam sacrae. Enumerat auctores Verrius, quibus credere sit necesse, Jovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam etc. Lib.* 33. *cap.* 7. *sect.* 36. ubi vide a Dalecampio citatos. Itaque non mirum, digitum quoque veri Numinis, pro religiosa opinione rubri coloris penes antiquos, communi vocabulo efferri.

Lunam et Stellas, quas existere fecisti, quando dixisti, *Sint Luminaria in expanso Coelorum*: *Ge-*

nes. 1. *v.* 14. et post eorum existentiam, *firmitate stabilivisti*, et *ordine disposuisti*, quae omnes sunt potestates verbi כון. Ex eo, quòd nulla fit hìc Solis mentio, suspicor, esse synecdochen, et Vatem per *Coelos* velle *tentorium Solis*, ut alibi dicit, *Soli posuit tentorium in eis*. *Ps.* 19. *v.* 5. Quidam aiunt, rationem adhibendi synecdochen eam esse, quia contemplatio, de qua in hoc loco, intuitionem ocularem necessariò poscit, ait enim, *Quum video:* oculus verò *Solem* intuendo ferre nequit. Frigida ratio.

V. 5. *Quid est homo etc.* tum, inquam, quum Coelos contemplor, et per eam contemplationem obversatur animo majestas inhabitantis, exclamo, *Quid* est *homo?* Vis exclamationis pendet praecipuè a potestate vocis אנוש, qua enunciatur *homo*, ob *infirmitatem* et *fragilitatem* ejus, vitio naturae, in mortem perpetuo progressu, eoque immedicabili, delabentis: siquidem ejus radix אנש valet *aeger*, *infirmus fuit*, simul et *corpore*, et *animo*.

et filius Adami, repetitio ejusdem rei; etenim אדם *Adamus* est a nomine אדמה *adamà*, *terra*, quasi dicas *terreus*, unde in ejus fatis Deus ait, *In sudore facierum tuarum comedes panem, usque ad reverti te in* האדמה *haadamà, terram, quia ex ea sumptus es. Genes.* 3. *v.* 19. Adde et *Genes.* 2. *v.* 7.

V. 6. *Et minuisti eum parum*, vel *deesse fecisti ei parum*, *prae Diis*, h. e. paulò minorem Diis fecisti. Quum Deus hominibus dederit, ut postea dicitur, imperium in res omnes, perinde est, ac si ex hominibus fecerit quasi totidem Deos: quem in sensum, statim a creatione, concepta sunt verba investiturae: *Faciamus hominem in imagine nostra juxta similitudinem nostram: et* (vi hujus imaginis et similitudinis) *dominabuntur in piscibus maris et*

in volatilibus Coelorum, et in animalibus et in universa terra, et in omni reptili reptante super terram. *Genes.* 1. *v.* 26. Immo quoties homines jurisdictionem exercent in alios, dicuntur *Dii* absolutè, velut *Exod.* 21. *v.* 6. *Ps.* 82. *v.* 1. *et* 6. *Ps.* 138. *v.* 1.

et gloria et decore coronasti eum, pro constituendo parallelismo cum praecedenti hemistichio tribuit homini כבוד *gloriam*, quo vocabulo *Exod.* 33. *v.* 18. notatur Dei majestas, et הדר *decorem*, quo *Ps.* 45. *v.* 4. *seq.* significatur majestas Messiae, quà summi Imperatoris. Verbum עטר *coronavit* valet hìc cumulavit, ut *Ps.* 65. *v.* 12. *Coronasti annum bonitatis tuae*. Istis similia scribit Seneca *Lib.* 2. *de Benef. cap.* 29. *fin. Carissimos nos habuerunt Dii immortales, habentque: et, qui maximus tribui honor potuit, ab ipsis proximos collocaverunt*.

V. 7. *Dominari fecisti eum in operibus manuum tuarum*, modò explicat, qua ratione hominem effecerit paulò minorem Diis, dando scilicet ei, ut diximus, imperium in omnes res creatas. Schultensius in *Comment. ad Prov.* 1. *v.* 1. tribuit verbo משל notionem *premendi, premente manu tractandi*; et hinc in specie *dominio pressit, regnavit, dominatus est, potestatem habuit*, quam notionem planè expressit Virgilius *Aeneid.* 1. *v.* 289. inquiens,
Servitio premet, ac victis dominabitur Argis.
ubi phrasis *victis dominabitur* declarat praecedentem *servitio premet*. Nomen מעשה *opus* notat cùm id, quod semel productum perpetuò manet, ut Coeli et terra, tum id, quod iteratis vicibus et indesinenter producitur, quale est regnum vegetabile, et animale, de quo postremo *vv. seqq.* 8. 9. Seneca *cit. loc. Vix sibi temperant, quin eousque imprudentiae provehantur, ut naturam oderint, quòd*

infra Deos sumus, quòd non in aequo illis stetimus. Quantò satius est ad contemplationem tot tantorumque beneficiorum reverti, et agere gratias, quòd nos in hoc pulcherrimo domicilio voluerunt secundas sortiri, quòd terrenis praefecerunt.

omnia posuisti sub pedibus ejus, i. e. sub ejus imperio et potestate, ut etiam Virgilius loquitur *Lib. 7. v. 98. seqq.*

Externi veniunt generi, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferent, quorumque a stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, quà Sol utrumque recurrens
Aspicit Oceanum, vertique regique videbunt.

V. 8. *Pecus et boves*, hoc versu recenset animalia, quae prae caeteris usui sunt homini, non exclusis tamen aliis, quae minoris, vel nullius usus sunt, vel esse videntur, quod significatur per vocem כלם *universitatem eorum*. צנה, *pecus* parvum, *oves* scilicet et *caprae*, est nomen formae participialis, vel ipsummet participium conjugationis Kal, ex radice Arabica צנה, propriè *constipatus et in se contractus fuit:* deinde *auctus fuit: abundavit*, specialiter *foecunda, multâ prole fuit* mulier: unde צונה *prolifer ovium grex:* quae vox habetur in *Vita Timur. Tom. I. pag.* 34. *Ingressus est* (Timurus) *septum ex septis Sagestanae, in quod jam se receperat quidam pastorum* אלצין *proliferi gregis ovium:* et in numero multitudinis *Tom. II. pag.* 124. *fin. Captivos abduxerunt, et saevierunt in Moslemos et familiam clientelae* (receptos in clientelam) *prout saeviunt lupi in* צואני *greges ovium*. Vide Schultensium *Gramm. Hebr. pag.* 496. et Kuypers in *Dissert. ad varia V. T. loca in Sylloge Dissert. etc. pag.* 549. *seq.* Alterum nomen אלפים signat *boves*, quatenus homini serviunt *juncti;* vel sunt *mansueti*, et quasi *familiaritate* quadam hominibus *juncti*, ex

potestate suae radicis אלף *junxit, jungendo nexuit:* et med. kesr. *junctus fuit rei:* item *familiaris, socius, consuetudine junctus fuit.* Adi Schultensium ad *Prov.* 2. *v.* 17. et Lette ad *Cant. Mos. v.* 15. *pag.* 229. *seqq.*

et etiam bestias agri, dictio בהמה significat *bestiam* indistinctè, sive adhuc fera sit, uti quum apponitur ei vox *terra*, vel *silva*, vel *ager*, ut hìc, sive cicurata: uterque sensus bene convenit huic loco, ubi Vates vult dicere, hominem non solùm dominari in animalibus mansuetis, sed etiam feras sibi subjicere, easque cicurare. Abu-Walid apud Pocockium in *Comment. ad Joel.* 1. *v.* 18. *pag.* 95. notat, *Quòd dictio* בהמה *cadit super speciem unam* (animalium) *et super species multas: item cadit super quamdam bestiam particularem.* Sane ista particularis bestia non videtur aliena ab hoc loco, propter piscem *transeuntem semitas marium* in *vers. seq.* ita ut hìc κατ' ἐξοχὴν, *per excellentiam*, innuatur *Behemothus* Jobi *cap.* 40. *v.* 15. nimirum *Hippopotamus* juxta Bochartum, aut *Elephas* juxta Schultensium: et sane בהים Golio est etiam *eximius, incomparabilis.* De etymo vocis nil certi statui potest, siquidem ejus thema בהם in prima conjugatione deperditum est etiam apud Arabes: his tamen in quarta valet *tectum et incognitum reliquit:* intransitivè *dubia et incerta fuit res:* atque hinc idem participium בהים est *unicolor, signo notaque carens* equus, ideoque *incertum* est, cujus sit: etenim quando plurium greges simul pascuntur, signo aliquo notari solent, quò facilius discernantur. Itaque pro certo statui posse vidêtur, בהמות significare *bestias feras*, utpote *nullius domini signo notatas:* quae significatio non nihil ponderis recipit a sequenti voce שדי *ager*, propriè *libera vagatio:* nam radix שרה

valet *liberè sine pastore dimisit* camelam. Exemplum extat in *Al-Korano Sur.* 75. *v.* 36.

V. 9. *Aves Coelorum et pisces maris*, post animalia terrestria meminit volatilium et aquatilium, ut plena sit viventium creaturarum distributio juxta tria, quae incolunt, elementa, terram, aerem, aquam.

transeuntem semitas marium, accipe *transeuntem* collectivè dictum, notantur enim quaecumque in mari natando vagantur: vel, sicuti superiùs, post quadrupedes in genere enunciatos, nominat *Behemothum*, caeteris longè majorem, ita hic post generalem piscium enunciationem, eum in specie recenset, quem, utpote reliquis multò immaniorem, vocat *transeuntem semitas marium*, qualis ex. gr. est *Livjathan*, qui per omnia maria longè latèque spatiatur ludibundus *Ps.* 104. *v.* 26. et idcirco ait *marium* in plurali numero. Profectò non carent emphasi isti genitivi, *agri*, *Coelorum*, *maris*, et *marium*: nam praeterquamquod Vates monstrat hominis dexteritatem in capiendis sibique subjiciendis incolis istarum regionum, in ipsas quoque regiones, quatenus res patitur, dominium ejus ostendit: *Imperium sine fine dedi*. 1. *Aeneid. v.* 279. Iterum Seneca *cit. loc. Proinde quisquis es iniquus aestimator sortis humanae, cogita, quanta nobis tribuerit Parens noster, quantò valentiora animalia sub jugum miserimus, quantò velociora consequamur, quàm nihil sit mortale, non sub ictu nostro positum.*

V. 10. *Domine etc.* per epanalepsin claudit hymnum eodem epiphonemate, quo incoeperat.

PSALMUS IX.

ARGUMENTUM

Vates, comperto Dei judicio contra suos hostes caeterosque improbos omnes, gratias agit ei pro sui liberatione, simulque laudes ejus dicit cum gaudio et exultatione.

V. 1. Praefecto super Muth Labbèn, Psalmus Davidis.

2. Celebrabo Dominum in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

3. Laetebor et exultabo in te: psallendo canam nomen tuum Altissime.

4. In reverti inimicos meos retrorsum: impingent et peribunt, a faciebus tuis.

5. Nam fecisti judicium meum et litem meam: sedisti in throno, Judex Justitiae.

6. Increpasti gentes perdidisti impiam: nomen earum delevisti: in saeculum et perpetuum.

7. Inimica consummatae sunt vastationes, in purum putum, et urbes extirpasti: periit memoria earum ipsae.

8. Dominus in saeculum sedebit: stabilivit ad judicium thronum suum.

9. Et ipse judicabit orbem in justitia: judicabit nationes in rectitudinibus.

10. Et erit Dominus sublimitas afflicto: sublimitas ad tempora in angustia.

11. Et confident in Te scientes Nomen tuum: quoniam non dereliquisti quaerentes Te Domine.

12. Psallite Domino Sedenti Tzionis annunciate in populis opera ejus.

13. Etenim Inquisitor sanguinum, eorum recordatus est: non oblitus est clamoris afflictorum.

14. Miserere mei Domine vide afflictionem meam ab odientibus me: exaltans a portis Mortis.

15. Propterea narrabo omnes laudes tuas in portis filiae Tzionis: exultabo in salute tua.

16. Demersae sunt gentes in foveam *quam* fecerunt: in rete quod absconderant, captus est pes eorum.

17. Innotuit DOMINUS JUDICIUM FECIT IN OPERE MANUUM EJUS ILLAQUEANS IMPIUM: Higgajòn Sèlah.

18. Revertentur improbi in Infernum intus: omnes gentes, oblitae Dei.

19. Quoniam non in aeternum oblivioni dabitur pauper: expectatio afflictorum *non* peribit in perpetuum.

20. Surge Domine ne obfirmetur homo: judicentur gentes, ad facies tuas.

21. Pone Domine institutricem, sibi scient gentes: homines ipsi Sèlah.

COMMENTARIUS

V. 1. *Praefecto super Muth Labbèn*, posthabitis

aliorum correctionibus, et expositionibus inde petitis, ego quidem existimo, nihil certi statui posse de istis vocibus *Muth Labbèn*, quae, ut aliae in Psalmorum titulis, sunt, juxta sententiam summorum virorum, initiales veteris cantilenae, cujus ad numeros hic Psalmus erat canendus; atque ideo dirigi ad Magistrum peculiaris illius Musices. Si verò dandus est conjecturae locus in earum declaratione, suspicor, מות *muth* esse Imperativum verbi מות *muth*, *mori*, et לבן *Labbèn* esse nomen proprium alicujus bellatoris, vel potius nomen verbale a radice לבן *labàn*, Arabibus *propinavit lac*, et in secunda conjugatione *lateres formavit e luto, coxitque*, unde לבן, *labbèn*, *lactis-venditor*, et *laterum-coctor*. Vide Golium in *Lex. Arab. col.* 2098. *seq.* Suspicor nempe, strenuum aliquem virum, quum in eo esset, ut congrederetur cum adversario, aut potius, hoc devicto et prostrato, inclamasse per modum contumeliae, *Morere lactis-venditor*, aut *laterum-coctor*. Sic et Achilles Hectori confosso insultat inquiens *Iliad.* 22. *v.* 365. Τέθναθι, *Morere:* Neoptolemus Priamo *Aeneid.* 2. *v.* 550. *Nunc morere:* eisdemque verbis Mezentius, posito super abjectum Orodem pede, subridens ait *Aeneid.* 10. *vers.* 743. *Nunc morere*. Occasione, inquam, hujus victoriae, puto, compositum fuisse carmen, incipiens a verbis victoris, *Muth labbèn*, atque hoc cantatum esse, dum victor ipse lares repeteret, eodem fere pompae apparatu, quo 1. *Sam.* 18. *v.* 6. legimus celebratum reditum Davidis a percutiendo Philisthaeo. Vide ad *Ps. sup.* 8. *v.* 1. In hanc me sententiam adduxit, et in ea non leviter confirmat locus alter ex *Ps.* 48. *v.* 15. qui nisi hinc dilucidationem recipit, non video, quam recipere possit, quae Grammaticis aliquantulum arrideat. Auctor

istius in celebrandis Dei laudibus gratias ei agit de salute in Judaeos collata per ipsorum ereptionem a periculis, quae imminebant a consociatis armis plurium Regum, iisque dictis, ita claudit: *Nam hic Deus Deus noster* in *saeculum et perpetuum: is ducet nos super Muth:* videlicet ita exultantes ob liberationem a periculis, ut illos, quos chori Magister ducebat canentes Paeana *Muth labbèn*. Pro asserendo usu compellandi probroso nomine adversarium in rixa aut pugna prostratum sufficit exemplum Achillis *Iliad.* 22. *v.* 345. ubi iracundè rejicit Hectorem lethaliter vulneratum, addito convicio, κύον, o *canis*. De abjecta autem eorum conditione, qui formandis et coquendis lateribus addicuntur, testis est Aristophanes in *Pluto v.* 514. et in *Avib. v.* 1134 ubi Aegyptii proverbio traducuntur ut πλινθοφόροι *laterum-portatores*. Adi Josephum *Lib.* 2. *Antiq. cap.* 9. Atque hinc dura servitus, qua Israelitas diu afflixerunt Aegyptii *Exod.* 1. *v.* 14. His notatis, eoque inspecto, quòd haec contumelia in Aegyptium hominem perbellè quadrat, ulterius conjiciendo progredior, non omnino inverisimile reputans, notari hìc Aegyptium illum, quem Moses conspicatus percutientem contribulem suum, primùm huc illuc oculis cautionis ergo conversis, et, ut ait Poeta, ἀμφὶ ἑ παπτήνας, *circum se respectans*, *Iliad.* 4. *v.* 497. interemit *Exod.* 2. *v.* 11. *seq.* additis iracundiae et contumeliae verbis, *Morere laterum-coctor;* atque hinc postea vel Mosem ipsum, vel alium, retentis iisdem vocabulis *Muth labbèn,* hymnum composuisse, quem canerent in publicis festis, laetisque diebus.

Idem statuere licet etiam retenta altera nostrae vocis *labbèn* significatione, nempe *venditor-lactis:* nam scribit Diodorus Siculus, oves apud Aegyptios

τῷ γάλακτι καὶ τῷ τυρῷ τροφὰς παρέχεσθαι προσηνεῖς ἅμα καὶ δαψιλεῖς, *lacte et caseo edulia praebere jucunda et larga*. *Lib.* 1. *cap.* 87. *pr.* Et Plinius *Lib.* 22. *cap.* 21. *seg.* 28. haec habet: *Est et lotomètra, quae fit ex loto sata, ex cujus semine, simili milio, fiunt panes in Aegypto a pastoribus* (alii legunt *pistoribus*), *maximè aqua vel lacte subacto. Negatur quidquam illo pane salubrius esse, aut levius, dum caleat: refrigeràtus difficiliùs concoquitur, fitque ponderosus. Constat, eos, qui illo vivunt, nec dysenteria, nec tenesmo, neque aliis morbis ventris infestari. Itaque inter remedia eorum habetur.*

V. 2. *Celebrabo Dominum*, de verbo ידה in Hiphìl vide quae notamus ad *Ps.* 6. *v.* 6.

in toto corde meo, omnibus ad hoc adhibitis animi potentiis: innuit enim summam voluntatem.

narrabo omnia mirabilia tua, celebratio Numinis editur narratione rerum ab eo mirabiliter gestarum. Ait *omnia*, licèt alibi fateatur, *multa sunt prae numerare*, *Ps.* 40. *v.* 6. ad indicandum summum desiderium, quo tenetur, narrandi omnia, si fieri possit, ejus facinora: Horatianis verbis *Lib.* 1. *Od.* 12. *v.* 39.

Gratus insigni referam Camena.

V. 3. *Laetabor et exultabo*, vehementer gaudebo: repetitio enim ejusdem rei per diversa vocabula rem ipsam auget; idque in omnibus linguis. Causam hujus laetitiae et exultationis habebimus *vers. seq.*

psallendo-canam, inter modos promendi laetitiam principem locum obtinet cantus: Ovidius 4. *Metam. v.* 759. *seqq.*

Sertaque dependent tectis, lotique, lyraeque,
Tibiaque, et cantus, animi felicia laeti
Argumenta, sonant.

nomen tuum, gloriam tuam, quam mirabilibus tuis operibus per totum terrarum orbem tibi acquisivisti: quo sensu accipitur vocabulum *nomen* in isto loco, *Sicut nomen tuum Deus, sic laus tua ad extremitates usque terrae: Ps.* 48. *v.* 11. eodemque dixit Virgilius *Ecl.* 9. *v.* 27.

Vare, tuum nomen.....
Cantantes sublime ferent ad sidera cygni.

vel signat *opem* et *auxilium*, in quo nobis fidendum, veluti, *Hi in curribus et isti in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri commemorabimus. Ps.* 20. *v.* 8. vel denique sumitur pro ipsa *persona*, vel *re nominata*, ut notavimus ad *Ps.* 5. *v.* 12.

Altissime, hac voce עליון designatur singularis et incomparabilis Dei majestas supra cuncta creata, eique respondet ὕψιϛος, *altissimus*, quod est Jovis epitheton apud Pindarum *Nem. Od.* 1. *v.* 90. Sane vocabulo *altitudinis* veteres denotabant Dei potentiam in reprimendis inimicorum suorum conatibus, illisque domandis, id quod nobiliori modo fiebat vibratione fulminis, et consequenter ex *alto*. Hinc Agamemnon vaticinans quodammodo, vel potius optans Trojanorum caedem in sua querimonia ob Menelaum vulneratum, dicit *Iliad.* 4. *v.* 164. *seqq.*

Ἔσσεται ἦμαρ, ὅταν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρὴ,
Καὶ Πρίαμος, καὶ λαὸς ἐϋμμελίω Πριάμοιο.
Ζεὺς γάρ σφιν Κρονίδης, ὑψίζυγος, αἰθέρι ναίων,
Αὐτὸς ἐπισσείησιν ἐρεμνὴν Αἰγίδα πᾶσι.

Erit dies, quando pereat Ilium sacrum,
Et Priamus, et populus hastae-fraxineae-periti Priami.
Jupiter utique ipsis Saturnius, in excelso sedens, in *aethere habitans,*
Ipse incutiet terrificam Aegida omnibus.

Pindarus dat Jovi, quatenus unus est *vibrator to-*

nitrus, epitheton *altissimi* in isto loco *Olymp. Od.* 4. *pr.*
Ἐλατὴρ ὑπέρτατε βροντᾶς.
Vibrator altissime tonitrus.
et *Od.* 10. *v.* 96. *seq.* ait, eum in vibratione tonitrus et fulminis totam suam potentiam exerere, praesertim contra rebelles, dicente Horatio *Lib.* 3. *Od.* 4. *v.* 42. *seqq.*

scimus, ut impios
Titanas immanemque turmam
Fulmine sustulerit.

pariterque Ovidio 1. *Metam. v.* 154. *seq.*
Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, et excussit subjecto Pelio Ossam.
Atque hinc ejus epitheton τερπικέραυνος *fulmine gaudens Iliad.* 8. *v.* 2. et alibi passim. Adhaec Orientales adhibere solent nomen אעלי, quae est forma intensiva, ad significandum *superiorem*, i. e. victorem in contentionibus, ut in *Al-Korano Sur.* 20. *v.* 64. *Diximus: Ne timeas: profectò tu eris* אלאעלי *superior:* quae sunt Dei verba ad Mosem in negotio cum Pharaone.

V. 4. *in reverti inimicos meos retrorsum*, ratio laetitiae et exultationis, de quibus *vers. sup.* dum revertentur inimici mei retrorsum, irrito conamine, quo me petent, consternati ob occursum tuum, inter fugiendum *impingent*, et in lapsu *peribunt*. Ejusmodi reversionem alibi suis hostibus Vates imprecatur signatissimis his verbis: *Sint ut gluma ad facies venti: et Angelus Domini impellens. Sit via eorum tenebrositas et lubricitates-lubricissimae: et Angelus Domini persequens eos. Ps.* 35. *v.* 5. *seq.* Conjugatio Niphàl, qua hic affertur verbum יכשלו *impingent*, sistit reciprocum sensum, ac si dicat, corpus allident unus ad alterum, ut in tumultuaria et prae-

cipiti fuga fieri solet, atque hinc peribunt, quia coacervatim cadent sine facultate resurgendi.

a faciebus tuis, id referendum est ad tria, quae praecedunt, verba, *reverti*, *impingent*, *peribunt*. Manifestus irati Dei occursus certam afferebat mortem aspicientibus: *Et dixerunt, Deus Ebraeorum factus est obviam nobis: ibimus nunc viâ trium dierum in deserto, et sacrificabimus Domino Deo nostro, ne forte occurrat nobis in peste aut in gladio*. *Exod.* 5. *v.* 3. Adde *Exod.* 3. *v.* 18. *Jud.* 6. *v.* 22. *seq.* et *cap.* 13. *v.* 22. Huc spectat et illa precatio, *Deus ultionum Dominus: Deus ultionum illustris-appare*. *Ps.* 94. *v.* 1. i. e. conspicuus superbis, ut perterreantur, et timore perculsi moriantur. Idem senserunt et gentiles, praesertim in bello, ut patet ex *Iliad.* 20. *v.* 129. *seqq.*

Εἰ δ' Ἀχιλεὺς ἐ ταῦτα Θεῶν ἐκπεύσεται ὀμφῆς,
Δείσετ' ἔπειθ', ὅτε κέν τις ἐναντίβιον Θεὸς ἔλθῃ
Ἐν πολέμῳ· χαλεποὶ δὲ Θεοὶ φαίνεσθαι ἐναργεῖς.

Si verò Achilles non haec Deorum didicerit ex voce,
Timebit utique, quando quis contra Deus venerit
In praelio: terribiles quippe Dii, quum apparent manifesti.

V. 5. *Nam fecisti judicium meum et litem meam*, id accipi potest, ut ἓν διὰ δυοῖν, *unum per duo*, videlicet fecisti judicium litis meae. Modò Vates rationem reddit certissimae spei, quam ante enunciavit, inimicos suos, dum revertentur, impacturos, et perituros; quia scilicet Deus in formali judicio sententiam tulerat adversus illos. De modo, quo David sciverat id judicii, diximus ad *Ps.* 7. *v.* 7. Oeconomiam verò ejusmodi judiciorum tradit Homerus, Orientalis theologiae promus condus. Ubi quid dissensionis ortum esset inter populorum Rectores, unde bella extitura erant, in concionem

Dii coibant, consultaturi, cui parti faverent. Sic 3. *Iliad.* inito pacto inter Graecos et Trojanos, ut Menelaus et Paris duello de Helena decertarent, hoc peracto, illi, quia Menelaus discesserat superior, jure victoriam sibi arrogabant; hi verò, quia Paris, e manibus Menelai ereptus a Venere, non occubuerat in pugna, ancipiti Marte pugnatum dicebant: hac igitur de re, ut est *Iliad.* 4. *pr.*

Οἱ δὲ Θεοὶ πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι ἠγορόωντο
Χρυσέῳ ἐν δαπέδῳ.
Dii apud Jovem sedentes concionabantur
Aureo in pavimento.

Similiter post duellum Ajacis cum Hectore *Iliad.* 7. in quo pari marte certatum est, dicit Poeta *Iliad.* 8. *v.* 2. *seqq.*

Ζεὺς δὲ Θεῶν ἀγορὴν ποιήσατο τερπικέραυνος
Ἀκροτάτῃ κορυφῇ πολυδειράδος Οὐλύμποιο.
Αὐτὸς δέ σφ' ἀγόρευε, Θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἄκουον.
Jupiter Deorum concionem fecit gaudens-fulmine
Summo in vertice multa-cacumina-habentis Olympi.
Ipse autem illis concionabatur, Dii verò simul omnes auscultabant.

Haec imitatus est Virgilius *Lib.* 10. *pr.* Rationem verò ejusmodi judicii tradit Horatius *Lib.* 3. *Od.* 1. *v.* 5. *seqq.* supra adductus ad *Ps.* 5. *v.* 3. *pag.* 75. ubi ex eo, quòd Reges Deo unicè et immediatè subsunt, manifesta fit hujus tantùm in illos jurisdictio. Haec peropportuna duxi ad planiorem istius et similium locorum intelligentiam, in quibus Deus, quando vult aliquid de regibus gentibusve decernere, indicit velut conventus judiciarios, id quod confirmant etiam verba, *Increpasti gentes, vers. seq.* ut ibi videbimus. Biblica phrasis, *fecisti judicium*, concinit cum Homerica modò allata ἀγορὴν ποιήσατο, *concionem fecit:* nam משפט propriè est *locus*, *ubi*

judicatur, *Deut.* 25. *v.* 1. sicut ἀγορὰ est cùm *congregatio multitudinis*, et *sermo haberi solitus ad multitudinem*, tum *locus*, *ubi congregatur multitudo*, praesertim *consultandi* gratia.

sedisti in throno, in repetitione ejusdem rei tangit solennem judicii formam, subindicans Synedrii convocationem, ut vidimus ad *Ps.* 7. *v.* 8. etenim non datur concipere *sessionem in throno* citra solennitatem concionis. Quoties Reges, quorum tantummodo est, ut ex Horatio vidimus, controversias inter subditos dirimere, nam caeteri judices et magistratus mandata ab illis jurisdictione utuntur, Curiam adeunt, in throno sedent, qui pro illis struitur variis ornamentis. Ejus meminit Pindarus *Pyth. Od.* 4. *v.* 270. *seqq.*

'Αλλὰ καὶ σκᾶπτον μόναρχον,
Καὶ θρόνος, ᾧ ποτε Κρηθείδας
'Εγκαθίζων, ἱππόταις
Εὔθυνε λαοῖς δίκας.
Sed me angit *et sceptrum monarchicum*,
Et thronus, cui olim Cretheides
Insidens, *equestribus*
Dirigebat populis jura.

Herodotus in *Clio*, seu *Lib.* 1. *cap.* 14. de munere, quod Midas Phrygiae rex posuit apud Delphos, ait: 'Ανέθηκε τὸν βασιλήϊον θρόνον, ἐς τὸν προκατίζων ἐδίκαζεν, ἐόντα ἀξιοθέητον. *Dedicavit regium thronum*, *in quo praesidens jus dicebat*, *spectatu dignum*. Hinc etiam de Deo, quum introducitur jus reddens, pro humano captu dicitur, *sedisti in throno*, quia scilicet est supremus Rex et Judex. Ad majorem illustrationem hujus loci animadvertere libet, vocabulo θρόνος, *thronus*, notari etiam *consessum judicum* in isto Sophoclis versu apud Eustathium ad *Iliad.* 18. *pag.* 1158. *lin.* 2.

Κυκλόεντα θρόνον ἀγορᾶς.

Orbicularem thronum (consessum) *fori*.
quo exemplo si Ebraicam quoque vocem כסא sic accipere volumus, ut habeat utramque significationem, nempe ut *regiam sedem* significet, et *consessum judiciarium*, quod comprobari potest ex *Ps.* 82. *v.* 1. superius allato ad *Ps.* 7. *v.* 8. tum sensus erit, *sedisti in throno*, qui tibi paratus est in *consessu judicum*, atque ita magis magisque statuminatur illa solennitas judicii, quam dixi. Antiquissimum morem, ut Reges jura redderent populis, ne in vulgatissima re plura congeram testimonia, satis superque evincit auctoritas Dionysii Halicarnassensis *Lib.* 5. *Antiq. Rom. cap.* 74. *pag.* 336. *seq.* Κατ' ἀρχὰς μὲν γὰρ ἅπασα πόλις Ἑλλὰς ἐβασιλεύετο, πλὴν οὐχ ὥσπερ τὰ βάρβαρα ἔθνη δεσποτικῶς, ἀλλὰ κατὰ νόμους τε καὶ ἐθισμοὺς πατρίους. καὶ κράτιστος ἦν βασιλεὺς ὁ δικαιότατός τε καὶ νομιμώτατος, καὶ μηδὲν ἐκδιαιτώμενος τῶν πατρίων. Δηλοῖ δὲ καὶ Ὅμηρος, δικασπόλους τε καλῶν τοὺς βασιλεῖς καὶ θεμιστοπόλους. *Initio enim omnis civitas Graeca regis imperio gubernabatur, non tamen, ut barbarae gentes, despoticè, sed secundum leges et mores patrios: et optimus erat rex, qui et justissimus, et legum observantissimus, et qui nihil desciscebat a patriis institutis. Demonstrat autem id etiam Homerus, Dicaspolos vocans Reges et Themistopolos.* h. e. judices, uti versantes circa jura et leges. Quo quidem munere ipsi unicè funguntur, quia, ut ait Poeta *Iliad.* 1. *v.* 238. θέμιστας πρὸς Διὸς εἰρύαται, *leges nomine Jovis* (aut *a Jove* acceptas) *tuentur*: unde eorum denominatio Διοτρεφεῖς, *Jovis alumni*, videlicet a Jove doctrina legum imbuti; et hinc habiti tanquam *Vaziri* (Vicarii, Legati) Dei. Hoc Homericum dogma planissimè concinit cum divino illo mandato de Israelita-

rum Rege *Deut.* 17. *v.* 18. *seq. Et erit, quando sedebit super throno regni sui: scribet exemplar Legis hujus in libro, ex* eo qui erit *ad facies Sacerdotum Levitarum. Et erit apud ipsum, et leget in eo omnibus diebus vitae suae: ut discat timere Dominum Deum suum, custodiendo omnia verba Legis hujus, et statuta haec faciendo.*

Judex Justitiae, h. e. justus; vel, reddito שפט participialiter cum Graecis et Vulgato, et צדק adverbialiter, *judicans justè*. Eamdem phrasim adhibet Jeremias *cap.* 11. *v.* 20. *Et Dominus exercituum Judex Justitiae*, ac deinde, rationem veluti reddens hujus attributi, prosequitur, *scrutans renes et cor*, unde certissima causae cognitio, et consequenter justissima prolatio sententiae. Vide ad *Ps.* 7. *v.* 10. Quid, si dicamus, Vatem poeticè personificare Justitiam, et facere Deum veluti administrum ejus? hoc perinde est, ac si dicamus Deum administrum sui ipsius in judiciorum negotio: etenim Dei attributa sunt ipsemet Deus, et vicissim Deus est attributa sui, quemadmodum ad *Ps.* 5. *v.* 12. *fin.* vidimus, Dei *nomen* esse ipsummet Deum. Hanc in rem D. Bernardus *Serm.* 80. *in Cantica* §. 6. *col.* 1548. *Vol. I. edit. Paris* 1690. a Laurentio Berti allegatus *Lib.* 2. *de Theolog. Discipl. cap.* 3. inquit: *Recedant a nobis, carissimi, recedant novelli, non Dialectici, sed Haeretici, qui magnitudinem, qua magnus est Deus, et item bonitatem, qua bonus, sed et sapientiam, qua sapiens, et justitiam, qua justus, postremò divinitatem, qua Deus est, Deum non esse impiissimè disputant.* Caeterùm divinorum attributorum personificatio legitur citra ambages *Ps.* 89. *v.* 15. *Justitia et Judicium firmamentum throni tui: Misericordia et Veritas praecedunt facies tuas.*

V. 6. *Increpasti gentes*, quas ex gentibus non

omnino dignas excidio deprehendisti, quum judicium de me faceres, has objurgasti verbis, vel re compescuisti: Philisthaeos intelligit Caldaeus Interpres. Modò refert acta illius judicii; vel tangit consuetudinem judicandi, et sic appellat ad exempla aliorum judiciorum.

perdidisti impiam, quam verò ex eis deprehendisti ream excisionis, hanc perditioni devovisti: idem Interpres accipit רשע de Goljato. In his igitur judiciariis conventibus, pro cognitione summi Judicis, gentes vel objurgantur additis comminationibus *Jes.* 5. *v.* 3. *seqq.* vel coercentur, et exitio damnantur *Ps.* 68. *v.* 31. Tali modo Jupiter apud Poetam *Iliad.* 8. *v.* 5. *seqq.* increpat in concione reliquos Deos, dum his interdicit, ne deinceps auxilientur alterutri exercituum, prout antè faciebant:

Κέκλυτέ μευ πάντες τε Θεοί, πᾶσαί τε Θέαιναι,
Ὄφρ' εἴπω τά με θυμὸς ἐνὶ ϛήθεσσι κελεύει.
Μήτέ τις οὖν θήλεια Θεὸς τόγε, μήτέ τις ἄρσην
Πειράτω διακέρσαι ἐμὸν ἔπος· ἀλλ' ἅμα πάντες
Αἰνεῖτ', ὄφρα τάχιϛα τελευτήσω τάδε ἔργα.
Ὃν δ' ἂν ἐγὼν ἀπάνευθε Θεῶν ἐθέλοντα νοήσω
Ἐλθόντ', ἢ Τρώεσσιν ἀρηγέμεν, ἢ Δαναοῖσι,
Πληγεὶς οὐ κατὰ κόσμον ἐλεύσεται Οὔλυμπόνδε.
Ἤ μιν ἑλὼν ῥίψω ἐς τάρταρον ἠερόεντα,
Τῆλε μάλ', ᾗ βάθιϛον ὑπὸ χθονός ἐϛι βέρεθρον,
Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδὸς,
Τόσσον ἔνερθ' αΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐϛ' ἀπὸ γαίης.
Γνώσετ' ἔπειθ', ὅσον εἰμὶ Θεῶν κάρτιϛος ἀπάντων

Audite me omnesque Dii omnesque Deae,
Ut dicam quae me animus in praecordiis jubet.
Ne qua igitur foemina Dea hoc, neque aliquis mas
Tentato rescindere meum verbum: sed simul omnes
Assentimini, ut celerrimè perficiam haec opera.

Quemcumque verò ego seorsum Deorum ultroneum intellexero
Profectum, ut vel Trojanis auxilium ferat, vel Danais,
Sauciatus indecorè redibit in Olympum:
Aut ipsum correptum projiciam in Tartarum tenebrosum,
Procul valde, ubi profundissimum sub terra est Barathrum,
Ferreaeque portae et aereum limen,
Tantùm infra Orcum, quantùm a Cœlo distat terra:
Cognoscet deinde, quantò sum Deorum potentissimus omnium.

Cum his, si excipienda excipias, conferri quodammodo possunt, quae Dominus loquitur in concione Jehudaeorum: *Et nunc habitator Jerusalaimae et vir Jehudae: judicate quaeso inter me et inter vineam meam. Quid facere* debebam *ultrà vineae meae, et non feci in ea? cur expectavi ut faceret uvas et fecit labruscas?* (al. *napellos, aconita*). *Et nunc scire faciam age vos, quid ego faciam vineae meae: removere sepem ejus et erit ad depascendum, diruere maceriem ejus et erit in conculcationem. Et ponam eam desolationem, non putabitur et non sarrietur, et ascendet spina et vepres: et super nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem. Nam vinea Domini exercituum domus Israelis etc. Jes. cit. loc.*

nomen earum delevisti, nomen scilicet gentium impiarum, et etiam objurgatarum, quae ad increpationem non resipuerunt. Populi devicti sic accedebant victori, ut unam cum hoc, omissa propria appellatione, assumptoque ejus nomine, gentem constituerent: quò respicit Jesaias, dum ait, *Addidisti genti Domine, addidisti genti, glorificatus es: longe dimovisti omnes termines terrae. Cap.* 26. *v.*

15. nempe adjecisti genti Ebraeorum gentes alias devictas, atque ita illius terminos longè magis prolongasti, ac dilatasti, quàm antè fuerunt: ubi vide Vitringam, et confer Josephum *Lib.* 13. *Antiq. cap.* 13. *al.* 23. Hoc idem passim legitur in historia Romana: sic Camillus apud Livium *Lib.* 8. *cap.* 13. referens ad Senatum de populis Latinis ait: *Itaque pacem vobis, quod ad Latinos attinet, parare in perpetuum, vel saeviendo, vel ignoscendo, potestis. Vultis crudeliter consulere in deditos victosque? licet delere omne Latium: vastas inde solitudines facere, unde sociali egregio exercitu per multa bella magnaque saepe usi estis. Vultis exemplo majorum augere rem Romanam, victos in civitatem accipiendo? materia crescendi per summam gloriam suppeditat: certè id firmissimum longè imperium est, quo obedientes gaudent.* Et Claudius apud Tacitum *Lib.* 11. *Annal. cap.* 24. haec inter caetera habet: *Postremò ipsam* (Romam, vel civitatem Romanam) *ad Alpes promotam, ut non modò singuli viritim, sed terrae gentesque in NOMEN nostrum coalescerent..... At Conditor noster Romulus tantùm sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit.* Pariter huc respicit Horatius, dum in laudibus Augusti canit *Lib.* 3. *Od.* 5. *pr.*

Coelo tonantem credidimus Jovem
Regnare: praesens divus habebitur
Augustus, adjectis Britannis
Imperio, gravibusque Persis.

Et *d. Lib.* 3. *Od.* 3. *v.* 45. *seqq.*

Horrenda latè nomen in ultimas
Extendat oras, quà medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Quà tumidus rigat arva Nilus.

Denique Claudianus in *II. Cons. Stilichonis v.* 154. *seqq.*

Hujus pacificis debemus moribus omnes,
Quòd veluti patriis regionibus utitur hospes:
Quòd sedem mutare licet: quòd cernere Thulen
Lusus, et horrendos quondam penetrare recessus:
Quòd bibimus passim Rhodanum, potamus Orontem:
Quòd cuncti gens una sumus.

in saeculum et perpetuum, conjunctio duorum synonymorum magis magisque rem auget.

Sublimiori sensu refertur hic versus ad Messiam, qui inter disseminandum doctrinam suam objurgavit cùm gentem Jehudaeorum, *Matth.* 23. *v.* 13. *seqq.* tum alias plures, *Matth.* 11. *v.* 21. immo integrum mundum: *Matth.* 18. *v.* 7. item perdidit Diabolum, cujus typus erat Goljatus: *Jes.* 11. *v.* 4. denique nomen gentium et populorum delevit, eosque omnes de suo nomine *Christianos* appellatos esse constat, *Act.* 11. *v.* 26. idque *in saeculum et perpetuum*, quum regni ejus nullus futurus sit finis. *Luc.* 1. *v.* 33.

V. 7. *Inimica consummatae sunt vastationes,* Ebraicam loquutionem sic resolvo, Quoad gentem tibi inimicam, consummatae sunt in ea vastationes, quas tu, Domine, immittere soles, ut apud Jeremiam, *Et mittam in eos gladium famem et pestem: donec consumantur ipsi desuper terra, quam dedi eis et patribus eorum. Cap.* 24. *v.* 10. Hisce *vastationibus*, quas ideo *pluraliter* effert, ut ea dictione, pro vulgari loquendi modo, omnes denotet calamitatum species, quae memorantur in allato loco Jeremiae, innuit primò agrorum desolationem; nam de locis habitationi destinatis dicit, *et urbes extirpasti*, quasi plantas, vel arbores, *radicitus evulsas*, quae est propria significatio verbi נתש: unde in hoc

urbium excidio supponere licet cùm *sationem salis*, ut Abimelecus fecit urbi Secemo, *Jud.* 9. *v.* 45. tum *inductionem aratri*, ut Aemilianus Scipio fecit Carthagini, teste Cajo in *L.* 21. *ff. Quibus modis ususfr. amitt. etc.* Adi Pfeifferum in *Antiq. select. cap.* 15. Passim occurrit apud Homerum epitheton πτολίπορθος, *urbium-eversor*, honoris ergo tributum non solùm Heroibus, ut Achilli *Iliad.* 8. *v.* 372. *Iliad.* 15. *v.* 77. *Iliad.* 21. *v.* 550. *Iliad.* 24. *v.* 108. Ulyssi *Iliad.* 2. *v.* 278. *Iliad.* 10. *v.* 363. et in *Odyssea pluries:* Oileo *Iliad.* 2. *v.* 725. Otryntheo *Iliad.* 20. *v.* 384. sed etiam Diis, ut Bellonae *Iliad.* 5. *v.* 333. et Marti *Iliad.* 20. *v.* 152. Hoc epitheton Graeci veteres inde conflarunt, quòd Orientales, ipsorum magistri, in canendis Dei laudibus commemorarent etiam, quoties occasio dabatur, eversionem urbium, ut in hoc hymno videmus, in quo David, quum in principio dixisset, *Celebrabo Dominum, v.* 2. modò ait, *urbes extirpasti*.

periit memoria earum, propterea quod eversae sunt funditus, ut ait, *urbes exstirpasti*, nec ullum earum remansit vestigium, sicut Helenae roganti de Troja apud Euripidem in *Helen. v.* 106.

Ἤδη γὰρ ἧπται, καὶ κατείργασαι πυρί;
Jamne incensa, et deleta est igni?
respondet Teucrus *v. seq.* 107.
Ὡς ἐδ' ἴχνος γε τειχέων εἶναι σαφές.
Ita, ut ne vestigium quidem murorum sit manifestum.

Quibus paria sunt, quae Lucanus narrat de Caesare Trojam invisente 9. *Pharsal. v.* 964. *seqq.*

Circuit exustae nomen memorabile Trojae,
Magnaque Phoebaei quaerit vestigia muri.
Jam silvae steriles, et putres robore trunci
Assaraci pressere domos, et templa Deorum
Jam lassa radice tenent; ac tota teguntur

Pergama dumetis: etiam periere ruinae.

ipsae, singularis elegantiae pleonasmus: exemplorum segetem congessit Schultensius in *Animadv. ad h. loc.*

Dictio לנצח *in purum putum*, videlicet *in aeternum*, vel *prorsus*, *omnino*, adnectenda est praecedentibus, *consummatae sunt vastationes*, quae duraturae sunt aeternùm, et sequentibus, *urbes exstirpasti*, in aeternum haud reaedificandas, unde omnimoda abolitio memoriae earum. De ista dictione adi laudatum Schultensium ad *Job.* 4. 20.

V. 8. *Et Dominus in saeculum sedebit*, nexum cum superiori versu sic statuo: vastationes agrorum et exstirpationes urbium erunt aeternae, quia Dominus, qui eas mandavit, in saeculum sedebit, quà Judex Supremus, ut dicere pergit, *stabilivit ad judicium thronum suum*, poeticè, firmum fecit, non amovibilem, propter quotidianum judiciorum exercitium, ut vidimus supra ad *Ps.* 7. *v.* 12. Particula *Vau*, *Et*, habet hìc vim causalis *quia*: adi Noldium sub *num.* 37.

V. 9. *Et ipse judicabit orbem* (incolas orbis) *in justitia*, neque in judicio de extirpandis urbibus et de vastandis agris fit injuria cuipiam, quum Judex id per summam justitiam et rectitudinem faciat. Commemorat Vates has Judicis qualitates ob hominum proclivitatem ad dubitandum de Numinis existentia, vel saltem providentia, quoties res non ductu Justitiae, sed temere, pro sua sententia, succedere vident: sic Electra apud Euripidem in *Tragoedia sui nominis vers.* 582. *seq.* ait:

Πέποιθα δ'· ἢ χρὴ μηκέθ' ἡγεῖσθαι Θεὺς,
Εἰ τἄδικ' ἔςαι τῆς δίκης ὑπέρτερα.

Confido quidem: aut oportet non amplius existimare esse *Deos,*

Si injusta erunt Justitiâ superiora.

V. 10. *Et erit Dominus sublimitas afflicto,* haec judicia eò primùm tendunt, ut sontes, ita exigente Justitia, puniantur, deinde ut debiliores, qui potentiorum violentia affligi et atteri solent, collocentur velut in loco sublimi et inaccesso, et sic in tuto. Vicem ejusmodi loci Deus praestare dicitur piis, quando eos contra vim impiorum et contra mala quaevis tuetur.

sublimitas ad tempora in angustia, repetitio ejusdem rei. Praepositio *Beth, in,* interdum notat interiorem rei aut personae conditionem, naturamve; ita hìc *tempora in angustia,* seu *calamitate,* idem est, ac *tempora calamitosa:* quae verborum structura id sibi vult, quasi ipsa tempora in angustia, seu calamitate esse dicantur. Adi Schroederum *Gr. Hebr. pag.* 234. et Schultensium ad *Job.* 7. *v.* 11. et *cap.* 23. *v.* 13. vide et ad *Ps. seq.* 10. *v.* 1. 6.

V. 11. *Et confident in Te scientes Nomen tuum,* i. e. te, quatenus diceris *Sublimitas afflicto, vers. sup.*

quoniam non dereliquisti (vel *derelinquis*) *quaerentes Te,* quemadmodum Apollo post fatalem sententiam Jovis coactus est deserere suum Hectorem, λίπεν δέ ἑ Φοῖβος Ἀπόλλων, *et reliquit eum Phoebus Apollo. Iliad.* 22. *v.* 213. Sanè Prophetis nihil magis curae est, quàm Idolorum vanitati opponere infinitam veri Dei potentiam.

V. 12. *Psallite Domino,* converso sermone ad contribules, hortatur laudare Dominum in canticis, quibus commemorent ejus studia pro piorum salute.

Sedenti Tzionis, Virgilius 1. *Aeneid. v.* 60. *seq.*

celsa sedet Aeolus arce,

Sceptra tenens.

Rem verò illustrat Vitruvius 1. *de Architect. cap.* 7.

Aedibus verò sacris, quorum Deorum maximè in tutela civitas videtur esse, et Jovi et Junoni et Minervae in excelsissimo loco, unde moenium maxima pars conspiciatur, areae distribuantur. His consona sunt quae leguntur *Ps.* 78. *v.* 68. *Et elegit Tribum Jehudae: montem Tzionis, quem amavit.* Redi ad *Ps.* 2. *v.* 6.

annunciate in populis opera ejus, ope carminum. De copia et praestantia Poetarum Tzionitarum legitur, *Et cantantes et saltantes: omnes fontes mei in te. Ps.* 87. *v.* 7. ubi vide notata: famam verò eorum carminum, et divulgationem ubique fere gentium, satis superque evincit assidua Babyloniorum rogatio ab exulibus Jehudaeis, *Canite nobis de cantico Tzionis. Ps.* 137. *v.* 3. Huc refero, quòd Pindarus hymnum appellat *alatum*, in *Isthm. Od.* 5. *v.* 80. *seq.*

Καὶ πτερόεντα νέον
Σύμπεψον ὕμνον.
Et alatum novum
Unà-mitte hymnum.

Tribuit alas hymno ob celeritatem, qua famam gestarum rerum divulgat. Idem *Olymp. Od.* 2. *pr.* apostrophen facit ad hymnos, tanquam unà secum canentes:

Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι,
Τίνα Θεὸν, τίν' ἥρωα,
Τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν;
In-cithara-regnantes hymni,
Quem Deum, quem Heroa,
Quemve Virum celebrabimus?

ideoque tanquam personificati discurrunt circumquaque resonantes. Quod hymnis Poetae, hoc orationibus tribuunt Oratores: Isocrates in *Encomio Evagorae pag.* 204. *edit.* 1593. ubi sculptis et pictis

imaginibus corporis praefert Oratorum elogia, ait: τοὺς μὲν τύπους ἀναγκαῖον παρὰ τούτοις εἶναι μόνον, παρ' οἷς ἂν σταθῶσι, τοὺς δὲ λόγους ἐξενεχθῆναι· οἷόν τε ἐστὶν εἰς τὴν Ἑλλάδα διαδοθέντας ἐν ταῖς τῶν εὖ φρονούντων διατριβαῖς ἀγαπᾶσθαι. *Formas quidem* (simulacra et imagines) *necesse est apud eos esse solùm, penes quos positae fuerint, orationes autem efferri: possibile est, in Graeciam editas in eruditorum coetibus amari.*

V. 13. *Etenim*, ratio adhortationis, ut Domino persallant.

Inquisitor sanguinum, titulus Dei, qui in caedes inquirit tanquam supremus Judex.

eorum recordatus est, in judiciis, quae facere solet, quaeque superiùs memorantur *vers.* 5. *seq.*

non oblitus est clamoris afflictorum, ejus inquisitio non restringitur ad caedes, sed extenditur ad quascumque alias violentas vexationes et oppressiones, quae clamorem cient.

V. 14. *Miserere mei Domine*, post relatum dogma de Deo Inquisitore, formulam concipit, qua qui vexantur opem poscant ab eo.

vide afflictionem meam, quando Deus permittit, justos affligi, perinde est, ac si eorum afflictiones non videat.

ab odientibus me, quae afflictio mihi venit ab iis, qui me odio prosequuntur.

exaltans a portis, a potestate, *Mortis*, quae hic personificatur: vide notata ad *Ps.* 6. *v.* 6. De multiplici sensu vocis שער, *porta*, diximus ad *Genes.* 22. *v.* 17. Jod in voce מרוממי, *Meromemi*, mihi non est pronomen primae personae, videlicet *exaltans me*, sed littera paragogica, et integra phrasis, *Exaltans a portis Mortis*, est Dei titulus, ut altera, *Inquisitor sanguinum*, in *vers. sup.* quo insignitur

tanquam collocans afflictos in loco sublimi, et inaccesso Mortis satellitibus.

V. 15. *Propterea*, pro hostimento, quòd exaudieris me, et misertus sis mei, *narrabo omnes laudes tuas;* petitionibus enim jungi solent promissiones, quae tum praestantur, quum petitor voti compos factus fuerit. Legitur in historia Jaakobi: *Et surrexit Jaakobus in mane, et cepit lapidem, quem posuerat cervicalia sibi, et posuit illum statuam* (monumentum): *et fudit oleum super caput ejus. Et vocavit nomen loci illius Beth El* (Domum Dei): *et revera Luz nomen civitatis in principio. Et vovit Jaakobus votum dicendo: Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via hac, qua ego vadens, et dederit mihi panem ad comedendum, et indumentum ad vestiendum. Et reversus fuero in pace ad domum patris mei: erit Dominus mihi in Deum. Et lapis hic, quem posui statuam, erit Domus Dei: et omne quod dabis mihi, decimando decimabo illud tibi. Genes.* 28. *v.* 18. *seqq.* Apud Homerum Minerva, induta personam Laodoci, Pandarum hortatur, ut sagitta Menelaum petat, his verbis *Iliad.* 4. *v.* 101. *seqq.*

Εὔχεο δ' Ἀπόλλωνι Λυκηγενέϊ κλυτοτόξῳ
Ἀρνῶν πρωτογόνων ῥέξειν κλειτὴν ἑκατόμβην
Οἴκαδε νοστήσας ἱερῆς εἰς ἄστυ Ζελείης.

Vove Apolloni in Lycia-genito inclyto-arcu
Ex agnis primogenitis te facturum inclytam hecatomben,
Domum reversum sacrae in urbem Zeleae.

et Pandarus eadem in verba concipit votum *cit. loc. v.* 119. *seqq.* Etiam citra votum, gratitudinis ergo, qui beneficiis affecti sunt, gratias referre tenentur laudibus et hymnis. Pindarus Herodoti nomine curru victoriam adepti *Isthm. Od.* 1. *v.* 76. *seqq.*

"Αμμι δ' ἔοικε Κρόνυ σεισίχθον' υἱὸν
Γείτον', ἀμειβομένοις, ἐυεργέταν
'Αρμάτων, ἱπποδρόμιον κελαδῆσαι.
At nobis convenit Saturni quassatorem-terrae filium
Vicinum, vices-reddentibus, beneficum
Curruum, cursuum-equestrium-praesidem celebrare.

Praeter grati animi demonstrationem, alteram affert rationem *Nemeor. Od.* 7. *v.* 18. *seqq.* quae hic pariter locum habet, nempe beneficiorum memoriam etiam apud posteros:

Ταὶ μεγάλαι γὰρ ἀλκαὶ
Σκότον πολὺν ὕμνων ἔχοντι δεόμεναι·
"Εργοις δὲ καλοῖς ἔσο-
πτρον ἴσαμεν ἑνὶ συν τρόπῳ,
Εἰ Μνημοσύνας ἕκατι λιπαράμπυκος
Εὕρηταί τις ἄποινα μόχθων
Κλυταῖς ἐπέων ἀοιδαῖς.
Magnae enim strenuitates
Caliginem multam habent, hymnis egentes (si hymnis careant):
Operibusque praeclaris speculum novimus unico cum modo,
Si Mnemosynes voluntate splendide-vittatae
Invenerit aliquis remunerationem laborum
Inclytis carminum cantibus.

in portis, in frequentia populi, uti ad *Genes.* 22. *v.* 17. notamus.

filiae Tzionis, quando nominibus בת *filia* et בן *filius* adjiciuntur alia nomina substantiva, variae efficiuntur metonymiae: sic *filia Tzionis* est gens Tzionis, quia congregatio cujusque civitatis reputatur ut ejus filia, et civitas ut mater, quae eam veluti peperit, atque produxit. Hunc tropum usurpatum videmus etiam ab Horatio, dum *Pontica pinus*,

i. e. navis, dicitur ab eo, *silvae filia nobilis*. *Lib.* 1. *Od.* 14. *v.* 11. *seq.*

exultabo in salute tua, radix נול et ניל, ut Schultensius monet in *Clav. Dialect. pag.* 197. 218. notat *exultare* propriè *saltando* et *tripudiando:* et princeps ejus notio ex Arabica Dialecto est *obire*, *circuire*, *gyrare*, *in orbem ire* more saltantium in choreis. In publicis et privatis laetitiis mos antiquitus fuit, et adhuc est, indulgere tripudiis, quorum religionem pluribus verbis eloquitur Maimonides *apud Carpzovium ad Goodwini Apparatum Antiq. Sacr. pag.* 422. Horatius post Actiacam victoriam, qua parta fuit salus imperio Romano, cecinit *Lib.* 1. *Od.* 37. *pr.*

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus: nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, sodales.
Antehac nefas depromere Caecubum
Cellis avitis, dum Capitolio
Regina dementes ruinas
Funus et Imperio parabat etc.

Acriter inter sese digladiantur Critici circa verbum *erat*, pro quo alii reponunt *erit*, alii positum volunt pro *est*, alii aliter pro ingenio verba construunt. Ego refero ad sequentem periodum, *Antehac nefas erat etc.* vel, si nefas est movere e suo loco, tum determinationem recipit a particula *nunc*, et stat pro *est:* sed illud magis placet.

V. 16. *Demersae sunt gentes* in *foveam*, quam *fecerunt*, eadem paroemia, quam vidimus *Ps.* 7. *v.* 16. ubi vide notata. Continuatur formula implorandae opis per argumentationem ab exemplo.

V. 17. *Innotuit*, per demersionem gentium in foveam, quam excavaverant insidiandi gratia, ma-

gis magisque cognitum et comprobatum est effatum illud, vulgi sermonibus celebratum, *Dominus judicium fecit in opere manuum ejus illaqueans impium.*

Higgajòn, non parum exercuit Criticorum ingenia vox haec הגיון, de cujus themate inter omnes quidem convenit, sed non ita de sensu. Radix ejus statuitur הגה, cujus origo est in *ebulliendo, exaestuando;* et hinc specialiter *maledixit, verborum contumeliâ insectatus est*, peculiariter *carmine*, vel *satyra*, quasi *exaestuavit in carmen*, et quidem signatissimè *insectatione vitiorum animatum*, ut Graecum ἐκβάζω, *ebullire*, seu *fervere facio*, et ἐκβράσσω, *aestùs impetu ejicio*, et Latinum *exaestuo*, ubi de carmine, vel bile agitur, ut in Horatio *Epod.* 11. *v.* 22. *seq.*

Quòd si meis inaestuet praecordiis
Libera bilis.

Hujusce significationis exemplum suppeditat Abu-l-Faragius *Dynast. I. pag.* 33. *lin.* 4. *seqq. Maindrus ingenio-elicuit genus poeseos, quae nominatur Comoedia, in qua commemorantur turpitudines, atque* אל-אהאני *contumeliae* (satyrae), *et foeditates, communes inter homines et bestias.* Alterum exemplum praebet Arabsiades in *Vit. Tim. Tom. I. pag.* 274. *lin.* 6. *seqq.* ubi Sultanus Achmedus *misit ea, quorum caussâ metuebat* (carissima quaeque) *unà cum filio suo Sultano Dhahero ad arcem al-nagja* (h. e. refugii); *et ad Timurum misit carmina et* אל-חנא *contumelias*, i. e. satyras. Hinc igitur patet, הגיון *higgajòn* esse *carmen invectivum*, praesertim in hostes et inimicos quoscumque, quale sibi a Trojanis metuebat Agamemnon, si forte Menelaus, quem Pandarus Zelites sagitta vulneraverat, occumberet, *Iliad.* 4. *v.* 176. *seqq.*

Καί κέ τις ὧδ' ἐρέει Τρώων ὑπερηνορεόντων,

Τύμβῳ ἐπιτρώσκων Μενελάου κυδαλίμοιο·
Αἴθ' οὕτως ἐπὶ πᾶσι χόλον τελέσει Ἀγαμέμνων,
Ὡς καὶ νῦν ἅλιον στρατὸν ἤγαγεν ἐνθάδ' Ἀχαιῶν.
Καὶ δὴ ἔβη οἰκόνδε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν
Σὺν κεινῇσιν νηυσὶ, λιπὼν ἀγαθὸν Μενέλαον.
Et aliquis sic dicet Trojanorum ferocientium,
Sepulchro insultans Menelai gloriosi:
Utinam sic in omnibus iram expleat Agamemnon,
Sicut et nunc incassum exercitum duxit huc Achivorum:
Jam verò rediit domum dilectam in patriam terram
Cum vacuis navibus, relicto strenuo Menelao.

Deinde exitium sibi imprecatur, si huic insultationi locus fiat: adeo impatientes ludibrii sunt Heroes:
Ὥς ποτέ τις ἐρέει, τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών.
Sic olim quis dicet, tum mihi dehiscat lata terra.
Eamdem significationem habet et altera forma הגין *hegjòn*, ceu discimus ex hoc loco Threnorum *cap.* 3. *v.* 62. *Labia insurgentium in me*, והגיונם *et hegjòn* (satyra) *eorum, super me omni die:* quem sensum postulat et quod habetur in *vers. praeced.* 61. nempe, *Audivisti probrum eorum Domine, omnes cogitationes eorum super me*. Adhaec in *vers. seq.* 63. ait, *Sessionem eorum et surrectionem eorum aspice, ego pulsare faciens eos,* ac si dicat: A principio sessionis eorum in coetu derisorum usque dum surgunt, ego sum illis argumentum et materia canendi ad pulsationem instrumentorum. Dictio מנגינתם mihi est verum et regulare participium Hiphilicum, *pulsare faciens;* estque in genere foemineo, quia subintelligitur substantivum נפש *anima;* integer enim sensus est, *ego* sum *anima*, i. e. persona, *pulsare faciens eos*, nimirum praebens illis materiam canendi, pulsandique instrumenta. Qui pro substantivo habent, his est *pulsatio instrumenti*

musici, vel potius *objectum*, sive *materia pulsationis* et *modulationis: cantus, ode*. Sive hoc, sive illo modo accipias, nihil est discriminis quoad sensum. Simile participium foemineum absque substantivo videbimus infra *h. Ps. v.* 21. Caeterùm utraque forma *higgajòn* et *hegjòn* sumitur etiam in bonam partem, notatque *carmen* in honorem et laudem alicujus, praesertim Dei, sicuti *Erunt in beneplacitum eloquia oris mei, et hegjòn* (carmen) *cordis mei ad facies tuas: Ps.* 19. *v.* 5. propriè *exaestuatio cordis mei* in carmen, quae voces faciunt quemdam parallelismum cum praecedentibus *eloquia oris mei;* et idcirco accipienda sunt de *compositione poetica*, non, ut accipiunt Interpretes, de *meditatione ;* etenim sequitur *ad facies tuas*, quod exprimit, ut quisque intelligit, canentium stationem ad conspectum auscultantium, cum horum delectatione. Exemplum alterius formae *higgajòn* in bonam partem habemus in *Ps.* 92. *v.* 4. *Per decachordum et per nablium per higgajòn* (*carmen* canendum) *cum cithara:* meditatio autem non fit cum cithara. Ratio, cur hae voces in bonam partem accipiantur aequè, ac in malam, est, quia earum radix הגה, ut vidimus, signat *aestuare in carmen*, et quidem indistinctè, sive in *laudationem*, sive in *vituperationem*. Confer Schultensium ad *Prov.* 25. *v.* 4. De altera voce סלה *sèlah* dictum est ad *Ps.* 3. *v.* 3.

Utraque vox הגיון *higgajòn* et סלה *sèlah* absolutè ponùntur, ut אמן *amèn, veritas*, et unaquaeque sensum per se facit hoc modo: Quia comprobatum est famigeratum axioma, *Dominus judicium etc.* inde *invectivi carminis* materia in damnatos, et *triumphalis* pro liberatis ab oppressione, simulque *defaecati animi tranquillitas* pro his. Ad ejusmodi

carmen invectivum pertinent Achillis verba in Lycaonem gladio percussum, et in Scamandrum projetcum *Iliad.* 21. *v.* 122. *seqq.*

Ἐνταυθοῖ νῦν κεῖσο μετ' ἰχθύσιν, οἵ σ' ὠτειλῆς
Αἷμ' ἀπολιχμήσονται ἀκηδέες· ὐδέ σε μήτηρ
Ἐνθεμένη λεχέεσσι γοήσεται, ἀλλὰ Σκάμανδρος
Οἴσει δινήεις εἴσω ἁλὸς εὐρέα κόλπον.
Θρώσκων τις κατὰ κῦμα μέλαιναν φρῖχ' ὑπαΐξει
Ἰχθὺς, ὥς κε φάγῃσι Λυκάονος ἀργέτα δημόν.
Φθείρεσθ', εἰσόκεν ἄςυ κιχείομεν Ἰλίυ ἱρῆς,
Ὑμεῖς μὲν φεύγοντες, ἐγὼ δ' ὄπιθεν κεραΐζων·
Οὐδ' ὑμῖν ποταμός περ ἐΰῤῥοος ἀργυροδίνης
Ἀρκέσει, ᾧ δὴ δηθὰ πολεῖς ἱερεύετε ταύρυς,
Ζωὺς δ' ἐν δίνῃσι καθίετε μώνυχας ἵππυς.
Ἀλλὰ καὶ ὧς ὀλέεσθε κακὸν μόρον, εἰσόκε πάντες
Τίσετε Πατρόκλοιο φόνον, καὶ λοιγὸν Ἀχαιῶν,
Οὓς ἐπὶ νηυσὶ θοῇσιν ἐπέφνετε νόσφιν ἐμεῖο.

Istic nunc jace inter pisces, qui tibi vulneris
Sanguinem delambent securi; neque te mater
Imponens lectis deflebit, sed Scamander
Feret vorticosus in maris latum sinum.
Saltans quis per undam sub nigram horrescentem-superficiem prorumpet
Piscis, ut comedat Lycaonis albam pinguedinem.
Pereatis, donec urbe potiamur Ilii sacrae,
Vos quidem fugientes, ego verò a tergo trucidans:
Neque vobis ipse fluvius latè fluens vorticosus-argenteus
Proderit, cui jam saepe multos sacrificatis tauros,
Vivosque in vortices demittitis solidos-ungulis equos.
Sed et sic peribitis dira morte, usque dum omnes
Lueritis Patrocli caedem, et interitum Achivorum,
Quos ad naves veloces interfecistis, absente me.

Eisdem pene verbis Aeneas apud Virgilium invehitur in obtruncatum Tarquitum *Lib.* 10. *v.* 557. *seqq.*

Istic nunc, metuende, jace: non te optima mater
Condet humi, patriove onerabit membra sepulchro:
Alitibus linquere feris, aut gurgite mersum
Unda feret, piscesque impasti vulnera lambent.

Alibi Turnus sic insultat jugulato Eumedi *Lib.* 12. *v.* 359. *seqq.*

En agros, et, quam bello, Trojane, petisti,
Hesperiam metire jacens: haec praemia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt, sic moenia condunt.

Notandum est, verbum κεῖσο, et *jace*, videlicet *esto insepultus*, Graecis ac Latinis fuisse militarem insultationem, quam firmat Plutarchus de *Gen. Socrat. pag.* 597. *B*.

V. 18. *Revertentur improbi in Infernum intus*, triplicem explanationem recipiunt haec verba, et unaquaeque convenit argumento. Prima sistit, non sine hyperbole Orientali, vim Jambi *Higgajòn:* quam ut penitus assequamur, sciendum est, solere Orientales dicere, *asylum expetere gehennam*, de iis, qui quodlibet pati mallent, etiam latitationem in inferno, quàm audire, aut aspicere rem, quam ultra modum aversantur. Hujus dicti notionem acceptam refero Arabsiadae, qui in *Vit. Tim. Tom. I. pag.* 244. de servo quodam nigro et horrendo talem condidit versum:

Angeli inferni aversantur vultum ejus, et quando vident eum, asylum expetunt gehennam.

Similiter improbi, dum poeticè finguntur ex hominum ore audire Dei judicium de se, more modoque Jambi promulgatum, penitiores inferni recessus subire mallent, quàm illud audire. Nec emphasi caret verbum *Revertentur:* etenim Vates eo in loco habet improbos, quasi et ante fuerint daemones, qui nunc, horrentes indicationem judicii, infernum repetunt. Sentis tela longè penetrabiliora, quàm

tincta sanguine Lycambeo. *Ovid. in Ibin v.* 54. Altera explanatio respicit exequutionem divini judicii, quatenus improbi, poena exitii damnati, abeunt in locum mortuorum: hoc sensu verbum שוב non significat *reversionem* ad terminum, in quo quis antea fuerat, quae est ordinaria ejus significatio, sed *itionem* ad alterum, in quo non fuerat, qua significatione usurpatur in isto loco, *Tollite Micajam, et* השיבוהו *redire facite eum ad Amonem principem civitatis: et ad Joasum filium Regis.* 2. *Par.* 18. *v.* 25. a quibus non erat profectus: et in isto שובה *Revertere ad Gedaljam filium Achikani etc. Jer.* 4. *v.* 5. a quo Jeremias non venerat. Tertia demum explanatio, cujus auctor est R. Nechemias apud Jarchium in *Comment. ad h. l.* sistit oeconomiam extremi judicii. Postquam egressi fuerint improbi ex inferno, ac steterint in judicio, et condemnati fuerint, revertentur ad gradum infimum inferni. Secundum hanc expositionem verbum שוב propriam habet significationem *revertendi* ad terminum, ubi quis antea erat; simulque, praeter *universale judicium,* probatur etiam *particulare.*

De voce לשאולה cum duplici signo *motûs ad locum* citata Glossa haec habet: Omnis dictio, quae opus habet ab initio littera *Lamed* (ad designandum *motum ad locum*) desinit in *He* finali, ex. gr. מצרימה *in Aegyptum,* מדברה *in desertum.* Objecerunt ei id, quod hìc scriptum est, *Revertentur improbi* לשאולה: dixit R. Abba filius Zebdai, sensum hujus vocis esse, quòd improbi revertentur ad gradum infimum inferni. Etenim septem sunt juxta Rabbinos mansiones inferni, de quibus adi Wagenseilium in *Sota pag.* 220. *n.* 11. Petrum Galatinum de *Arcan. Cathol. Verit. Lib.* 12. *cap.* 6. *fin. col.* 603. et Raymundum Martini in *Pug. Fid. Part.*

III. Dist. II. cap. 8. *n.* 6. Sane hanc dictionem prae oculis habuisse diceres Homerum, dum Hectorem introducit sic exprimentem iram suam in Paridem *Iliad.* 6. *v.* 284.

Εἰ κεῖνον γε ἴδοιμι κατελθόντ' ἄϊδος εἴσω.

Si illum viderem descendentem in Orcum intus.

ubi duplici signo κατὰ *in* et εἴσω *intus* innuit *descensum* in *penitissimos* inferni recessus.

omnes gentes, haec commodiùs referuntur ad universale judicium, cujus occasionem Vates abripit ex particularibus, quamvis referri possint etiam ad ista, ex notatis ad *vv.* 6. et 7.

oblitae Dei, explicat Horatius *Lib.* 3. *Od.* 6. *v.* 7. *seq.*

Di multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae.

V. 19. *Quoniam non in aeternum oblivioni-dabitur pauper*, quia verborum sensus planissimus est, non nihil dicemus de pauperum veneratione penes antiquiores, undenam haec orta sit. Ulysses, domum reversus, quò liberiùs res suas exploret, suique ratio habeatur, personam sumit mendici: quo in statu quum Antinous, procorum omnium procacissimus, scabello percussisset dexterum ejus humerum, is injuriam expostulat cum procis in haec verba *Odyss.* 17. *v.* 468. *seqq.*

Κέκλυτέ μευ, μνηστῆρες ἀγακλειτῆς βασιλείης,
Ὄφρ' εἴπω τά με θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι κελεύει.
Οὐ μὰν ἔδ' ἄχος ἐστὶ μετὰ φρεσὶν, ὀδέ τι πένθος,
Ὀππότ' ἀνὴρ περὶ οἷσι μαχειόμενος κτεάτεσσι
Βλήεται, ἢ περὶ βουσὶν, ἢ ἀργεννῇς οἴεσσιν·
Αὐτὰρ ἔμ' Ἀντίνοος βάλε γαστέρος εἵνεκα λυγρῆς,
Οὐλομένης, ἣ πολλὰ κάκ' ἀνθρώποισι δίδωσι.
Ἀλλ' εἴπε πτωχῶν γε Θεοὶ καὶ Ἐριννύες εἰσὶν,
Ἀντίνοον πρὸ γάμοιο τέλος θανάτοιο κιχείη.

Audite me, proci inclitae Reginae,
Ut dicam, quae animus in pectoribus jubet.
Non quidem neque dolor est in mente, neque luctus,
Quando vir pro suis pugnans possessionibus
Jactu icitur, vel propter boves, vel candidas oves:
At me Antinous jaculatus est ob ventrem odiosum,
Perditum, qui multa mala hominibus dat.
Sed sicubi mendicorum Dii et Erinnyes sunt,
Antinoum ante nuptias finis mortis opprimat.

In penultimo istorum versuum Dii sunt mendicorum tutores; Erinnyes, seu Furiae, sunt ultrices injuriarum, quae illis inferuntur: in ultimo mendicus, Deorum et Furiarum auxilio fretus, male precatur, quae sunt eorum arma, Antinoo, ut eum cohibeat ab ulterius inferendo injurias. Et sane Antinous, auditis diris, ad se reversus, sic eum alloquitur *cit. loc. v.* 478. *seqq.*

Ἔσθι' ἕκηλος, ξεῖνε, καθήμενος, ἢ ἄπιθ' ἄλλῃ·
Μή σε νέοι διὰ δώματ' ἐρύσσωσ' (οἷ' ἀγορεύεις)
Ἢ ποδὸς, ἢ καὶ χειρὸς, ἀποδρύψωσι δὲ πάντα.
Comede tranquillus, hospes, sedens, aut abi aliò:
Ne te juvenes per domos trahant (qui sic loqueris)
Vel pede, vel et manu, lacerentque totum.

Et alius ex procis, pro illorum temporum fide, sic eum coarguit *cit. loc. v.* 483. *seqq.*

Ἀντίνο', οὐ μὲν κάλ' ἔβαλες δύστηνον ἀλήτην.
Οὐλόμεν', εἰ δή πού τις ἐπουράνιος Θεός ἐστι;
Καί τε Θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι,
Παντοῖοι τελέθοντες, ἐπιστρωφῶσι πόληας
Ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες.
Antinoe, non quidem bene jaculatus es infelicem erronem.
Perdite, si nimirum forsan aliquis Coelestis Deus est?
Et sane Dii hospitibus similes peregrinis,

Omnimodos se ferentes, versantur in urbibus,
Hominum injuriam, et aequitatem inspicientes.
quemadmodum et Jovis apud Ovidium de se dicit 1. *Metam. v.* 212. *seq.*

summo delabor Olympo,
Et Deus humana lustro sub imagine terras.

Vide quae super his notat Spondanus in *Odyss. pag.* 258.

expectatio afflictorum non *peribit in perpetuum*, videlicet non frustra erit, nam Deus eam ocyus serius ratam habebit. Afflictorum autem expectatio eò tendit, ut affligentes brachio Dei conficiantur: quam Deorum opem Ulysses post caedem procorum, quam is perfecit opitulante Minerva, quae, sublata Aegide, mentes eorum perterruit, ut est *Odyss.* 22. *v.* 297. *seq.* agnoscit, dum Eurycleam nutricem ita monet *cit. loc. v.* 411. *seqq.*

Ἐν θυμῷ, γρηῦ, χαῖρε, καὶ ἴσχεο, μήδ' ὀλόλυζε.
Οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.
Τούσδε δὲ μοῖρ' ἐδάμασσε Θεῶν, καὶ σχέτλια ἔργα.
In animo, anus, gaude, et te contine, neque jubila:
Non est fas interfectos super viros gloriari.
Hosce verò fatum domuit Deorum, et impia opera.

V. 20. *Surge Domine*, iturus ad locum judicii: quae excitatio arguit etiam zelum pro honore Dei.

ne obfirmetur homo, videlicet ne homo, qui pro sua constitutione dicitur אנוש, *aeger, infirmus, debilis*, יעז ita *obfirmetur* in superbia, ut *imperium in alios*, tanquam Deus, *exerceat*, opprimendo debiliores, in quo est Dei contemptus, qui unus imperium habet in res creatas omnes.

judicentur gentes, oppositè ad illarum *arrogantiam* et *gloriationem:* nam qui *judicantur*, hoc ipso declarentur sub imperio esse *judicantis*.

ad facies tuas, coram te, pro tribunali sedente.

V. 21. *Pone Domine institutricem*, verbum שיתה valet hic *statue*, *constitue*, ut in illo loco, תשיתמו *pones eos in principes in universa terra*. *Ps.* 45. *v.* 17. Interpres Caldaeus vocem מורה reddit רחלתא *timorem*, quasi sit מורא, posito ה pro א, et cum eo plerique Expositores: clarissimus verò Schultensius in *Orig. Hebr. Lib.* 1. *cap.* 13. §. 10. et *de Defect.* §. 141. statuit, esse participium foemininum in Kal, *stringentem* sonans, substantivo subaudito, ex radice מרה *strinxit*, *perstrinxit*, et explicat *novaculam*, quae sensu figurato adfert *exitium*, *internecionem*. Ego, ob subsequens verbum *sciant*, arbitror, esse participium foemininum a verbo ירה in Hiphil, et subintelligi substantivum נפש *animam*, dein *personam*, i. e. *aliquem*, qui omnibus modis punitionum sic doceat gentes, ut certo certius sciant, se esse אנוש *homines fragiles* et *infirmos*: mens autem Prophetae est, ut Dominus ipse institutorem agat puniendo.

sibi sciant, sic Agamemnon ad Achillem, ὄφρ' εὖ εἰδῇς, *ut bene scias. Iliad.* 1. *v.* 185.

In versione Textus rationem habui Ebraicae interpunctionis: pro Interpretum sententia vertendum erat, *Pone Domine institutricem illis*, *sciant gentes etc.* ego in illud magis inclino, quia sensui magis congruit.

PSALMUS X.

ARGUMENTUM

In corrupto rerum statu, qui describitur, Ecclesia rogat pro suorum liberatione et incolumitate, nec non pro violentorum dispersione.

Johannes Wilhelmus Schroederus peculiare in hunc Psalmum Commentarium edidit, quo vocabula et phrases, ope potissimùm Arabicae Linguae, accuratissimè illustrat, et eximiam affert utilitatem rei Ebraicae.

V. 1. Quare Domine stas in longinquo: abscondis ad tempora in angustia?

2. In superbia improbi ardet humilis: Capiantur in machinationibus, quas excogitaverunt.

3. Etenim magnopere-gloriatur improbus super desiderium animae suae: et lucripeta benedicit, summopere-spernit Dominum.

4. Improbus secundum altitudinem nasi sui non requirit: Non est Deus, omnes cogitationes ejus.

5. Roborant viae ejus in omni tempore altitudo judicia tua a conspectu ejus: omnes adversantes sibi, exsufflat in eos.

6. Dicit in corde suo Non dimovebor: in gyrum et gyrum, qui non in malo.

7. Juratione os ejus plenum est et frau-

dibus et dolo: sub lingua ejus labor et iniquitas.

8. Sedet in insidia septorum, in latebris trucîdat innocentem: oculi ejus in nigredine delitescunt.

9. Insidiatur in latibulo ut leo in lustro suo, insidiatur ad raptandum humilem: raptat humilem, in trahere eum in rete suo.

10. Atterit deprimitur: et cadit in robustos ejus, copia-desperantium.

11. Dicit in corde suo Oblitus est Deus: obvelavit facies suas, non vidit in purum putum.

12. Surge Domine, Deus attolle manum tuam: ne obliviscaris humilium.

13. Propter quod summopere-spernit improbus Deum? dicit in corde suo, Non requiris.

14. Vidisti, quia tu vexationem et aegritudinem intueris ad ponendam in manu tua, super te relinquit niger: pupillus, tu fuisti adjuvans.

15. Frange brachium improbi: et malus, quaeres improbitatem ejus non invenies.

16. Dominus Rex saeculi et perpetuitatis: perierunt gentes, a terra ejus.

17. Desiderium mansuetorum audivisti Domine: confirmes cor eorum, emundes aurem tuam.

18. Ad judicare pupillum et attritum non addet amplius: exagitare homo, ex terra.

COMMENTARIUS

V. 1. *Quare Domine stas in longinquo?* dum tui vexantur et affliguntur ab impiis, qui per omne nefas impune discursant, cur tu interim longè abes, quasi nullam illorum curam geras?

abscondis te *ad tempora in angustia?* haec phrasis explicata est *Ps. sup. v.* 10.

V. 2. *In superbia improbi ardet humilis*, primum perturbati ordinis argumentum in republica est, ubi pro continentia et aequitate lubido atque superbia invasere: nihil enim molestius, nihil odiosius, quàm elationem potentiorum ferre; quod ubi fit, non possunt debiliores, quin per summam indignationem exclament, *Capiantur in machinationibus, quas excogitaverunt* adversus humiles, antequam ad effectum perducant. Verbum זמם, unde nostrum מזמות, valet *ligavit, capistravit;* et relatum ad animum valet, *deliberatum, decretum, destinatum quid habuit,* et ita *aggressus est*. Vide infra *Ps.* 17. *v.* 3.

V. 3. *Etenim magnoperc-gloriatur improbus super desiderium animae suae,* videlicet super desiderium suum: nunc aperit originem superbiae improborum, et consequenter caussam indignationis humilium: nimirum quia prava illorum conamina pro voto succedunt, idcirco impudenter gloriantur.

et lucripeta, qui lucro studet, et aliorum opibus inhiat, *benedicit*, valere jubet, *summopere-spernit Dominum,* posterius verbum intendit vim praecedentis, ac si dicat, valere jubet summo cum contemptu Dominum. Hic versus et plures sequentes continent alterum et quidem maximum corruptio-

nis argumentum, nempe contemptum in Numen et in Religionem.

V. 4. *Improbus secundum altitudinem nasi sui non requirit*, supple ex altero hemistichio *Deum:* vult dicere, quòd improbus pro sua superbia (superbia autem attollit nasum hominis, juxta ea, quae disseruimus ad *Ps.* 2. *v.* 5.) non requirit Deum, quia secundum opinionem ipsius *Non est Deus*, qui opera hominum inquirat, deque iis judicet: et circa hanc abnegationem unicè versantur *omnes cogitationes ejus*. Caeterùm dictionem *omnes* bene, meo quidem judicio, exponit Clericus » in omnibus, quae molitur, apud se statuit, et pro explorato sumit, nullam esse divinam Providentiam; atque ita se gerit, quasi nulla esset » Conjunctio utriusque nominis *altitudinem nasi* applicatur ad altum tumidumque fastum, qui ex falsis opinionibus nascitur, praesertim verò ex opibus, quae idcirco a Pindaro dicuntur μεγάνορες, *superbificae Olymp. Od.* 1. *v.* 4. unde Colonus ait apud Euripidem in *Electra v.* 427.

Σκοπῶ τὰ χρήματα, ὡς ἔχει μέγα σθένος.

Considero pecunias, quàm magnam habent potentiam.

V. 5. *Roborant*, vel *robustum esse faciunt* eum, *viae ejus*, explico verbum יחילו ex potestate nominis חיל *robur:* etenim Psaltes expostulat cum Deo, quòd viae (modi, studia, facinora) hominis improbi vim ei concilient ad disjiciendum facili negotio, et quasi oris halitu, adversarios suos, per omne illud tempus, quo divina judicia in eum differuntur; idque est, *in omni tempore*, quo *altitudo* sunt *judicia tua a conspectu ejus*. Judicia siquidem Dei dicuntur esse altitudo, i. e. longissimè remota, a conspectu nefariorum hominum, quamdiu protra-

bitur illorum judiciorum prolatio: qua sequuta, dicuntur *venire super terram*. *Jer.* 48. *v.* 21.

omnes adversantes sibi, exsufflat in eos, Latinè, *exsufflat omnes adversantes sibi*, h. e. solo spiritu, et sine armis, dissipat, ut Lambinus exponit hunc ipsum loquendi modum apud Plautum in *Mil. glor. Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 17. *seq.*

Cujus tu legiones difflavisti spiritu,
Quasi ventus folia, aut paniculam tectoriam.

V. 6. *Dicit in corde suo*, prosperis rerum successibus confirmatus improbus in impietate sua, secum statuit, *Non dimovebor in gyrum et gyrum*, h. e. numquam excidam de statu prosperitatis atque potentiae meae, sicuti, *Et ego dixi in eliquata-prosperitate mea: Non dimovebor in saeculum. Ps.* 30. *v.* 7. Nomen דור *gyrus, orbis, periodus*, quando usurpatur de tempore, significat *aetatem*, quasi *dierum*, vel *annorum gyrationem*, seu *generationem*, nempe *hominum multitudinem*, qui eodem tempore vivunt, ut Graeca dictio γενεὰ, qua septuaginta Interpretes utuntur, ubicumque illa occurrit. Est autem γενεὰ *generatio* tertia saeculi pars, prouti determinat Herodotus in *Euterpe*, seu *Lib.* 2. *cap.* 142. Γενεαὶ γὰρ τρεῖς ἀνδρῶν ἑκατὸν ἔτεα ἐςί. *Generationes enim tres virorum sunt centum anni.* Ita quum de Nestore dicit Homerus *Il.* 1. *v.* 250. *seqq.*

Τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
'Εφθίαθ', οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν ἠδ' ἐγένοντο
'Εν Πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν.

Illi jam duae generationes (vel *aetates*) *articulata-voce-loquentium hominum*
Effluxerant, qui antè eum ipso nutriti fuerunt et geniti
In Pylo admodum-divina, inter tertios autem regnabat.

septuagenarium circiter fuisse osteudit. Ad quem locum Scholiastae a Villoisono editi haec habent: Δύο τριακονταετηρίδες προεληλύθεισαν ἐπὶ αὐτοῦ· ἡ γὰρ γενεὰ τριάκοντα ἔχει ἔτη· τέλεια γὰρ αὐτὴ πρὸς γένεσιν ἡλικία. *Binae triacontaëterides transierant in vita ipsius: generatio enim triginta continet annos: siquidem perfecta est ista aetas ad genituram*. Sensus loci est, quòd improbus per plures ejusmodi generationes protractionem vitae sibi repromittit; non enim verosimile est, eum, mortalitatis suae oblitum, perennem sibi aeternamque vitam imaginari.

qui (vel *quia*) *non* sum *in malo*, non de physico malo, i. e. aerumna, calamitate, id explico, sed de morali, h. e. malitia, et Legis transgressione, et sumo ablativum cum praepositione *in* pro nominativo *malus*, videlicet *qui* (vel *quia*) *non* sum *malus:* cui similis omnino est locus ille, *Et dixit Aharon, Ne exardescat nasus domini mei: tu nosti populum, quòd* ברע *in malo* (i. e. *malus*) *est*. *Exod.* 32. *v.* 22. ubi vide Schultensium in *Animad. pag.* 52. et confer Schroederum *Gr. Hebr. pag.* 234. Quum iste improbus sibi persuasum habeat, Deum non inquirere in res hominum, *vv.* 4. 11. qua in sententia confirmatur ex eo, quod hucusque impune sibi fuerit, inde arguit, nec ullam tulisse legem de turpi et honesto, ideoque se nemini esse obnoxium, atque hinc vacuum a culpa: ubi lex non est, ibi nec peccatum.

V. 7. *Juratione os ejus plenum est*, a pravitate cordis transit Poeta ad malitiam oris et linguae. אלה est *jusjurandum*, et *execratio*, qua improbus sibi diras imprecatur, si fallat, quò faciliùs decipiat simplices, quasi *adstrictio*, qua fides sancitur: nam radix אלה significat *arctè strinxit, vinculo etiam ju-*

risjurandi, et simpliciter *juravit*. Ait *os ejus plenum est*, ad notandam jurisjurandi et execrationis frequentiam, ac si dicat, pleno ore jurat.

et fraudibus et dolo, omni genere astutiarum, qualem Plautus in *Mil. glor. Act.* 2. *Sc.* 2. *v.* 33. *seqq.* pingit Philocomasium meretricem:

Os habet, linguam, perfidiam, malitiam, atque audaciam,
Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam:
Qui arguet se, eum contrà vincat jurejurando suo.
Domi habet animum falsiloquum, falsificum, falsijurium:
Domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias.

sub lingua ejus latet *labor*, activè, quo alios afficit, per summam injuriam, ut ostendit sequens dictio *et iniquitas*.

V. 8. *Sedet in insidia* (insidiis) *septorum*, nunc pingitur facinorosus tanquam grassator, insidians gregibus et armentis intra caularum septa conclusis, qui custodem prius obtruncare satagit, *in latebris trucidat innocentem*, deinde oves et boves abigit: quod quidem facile succedit, dum *oculi ejus* (innocentis) *in nigredine delitescunt*, h. e. dum oculi ejus clauduntur in somnum, vel tenebris noctis involvuntur: quae duae opportunitates observantur ab insidiatoribus, somnus aggrediendorum, et obscuritas noctis. His freti Diomedes et Ulysses rem feliciter gesserunt contra Rhesum et socios, ut videre est apud Euripidem in *Rhes. a vers.* 762. *ad vers.* 780. cui addendus est Homerus *Iliad.* 10. *v.* 471. Cum hac improbi aggressione conferenda est irruptio Caldaeorum in camelos Jobi: *Adhuc eo loquente, et hic venit et dixit, Caldaei posuerunt* in insidiis *tria capita* (tres duces cum suis cohortibus)

et diffuderunt se super camelos et ceperunt eos, et pueros percusserunt acie gladii etc. Job. 1. *v.* 17.

חצרים hoc in loco mihi sunt *septa* gregum et armentorum, a proprietate radicis חצר *cinxit, stipavit, stipando clausit,* unde nomen חצר in Lexico Simonis declaratur in genere *locus septo circumdatus,* in specie *pagus Nomadum mobilis, ex tentoriis in orbem positis constans.* Huic interpretationi non leve pondus addunt Symmachus et Aquila, quorum prior vertit, ἐγκάθηται ἐνεδρεύων περὶ τὰς αὐλὰς ἐν ἀποκρύφοις, ἀποκτεῖναι ἀναίτιον. *insidet insidians ad aulas* (caulas) *in absconditis, ut interficiat innocentem:* alter ἐνέδρᾳ αὐλῶν, *insidiis aularum* (caularum.) Vide apud Montfaucon in *Hexapl. Origen. Tom. I. pag.* 486. Est quidem αὐλὴ regum *aula*, 2. *Maccab.* 13. *v.* 15. nec non magnatum, *Matth.* 26. *v.* 3. sed istuc, quia morantur ibi satellites et stipatores, non audent accedere grassatores. Necesse igitur est, ut hìc teneatur altera potestas, nempe *caulae,* quae vox formata est ex Graeca addito c differentiae causa: eo sensu accomodatè ad rem nostram occurrit in Johanne, *Qui non ingreditur per ostium* εἰς τὴν αὐλὴν *in aulam* (caulam) *ovium, sed inscendit aliunde, ille fur est et latro:* et in Homero *Iliad.* 4. *v.* 433.

.... ὥς τ' ὄϊες πολυπάμμονος ἀνδρὸς ἐν αὐλῇ.

.... *ut oves pecorosi viri in aula* (caula).

et alibi saepe. Ad confirmandam significationem, quam tribui vocabulo חצרים, juxta derivationem ex suo themate חצר, facit quod praecipit Hesiodus in *Op. v.* 727. *seqq.*

Μηδ' ἄντ' ἠελίοιο τετραμμένος ὀρθὸς ὀμιχεῖν,
Αὐτὰρ ἐπήν κε δύῃ, μεμνημένος, ἔς τ' ἀνιόντος,
Μήτ' ἐν ὁδῷ, μήτ' ἐκτὸς ὁδοῦ προβάδην οὐρήσῃς,
Μηδ' ἀπογυμνωθείς· μακάρων τοι νύκτες ἔασιν·

Ἑζόμενος δ' ὅγε θεῖος ἀνὴρ πεπνυμένα εἰδὼς,
Ἤ ὅγε πρὸς τοῖχον πελάσσας εὐερκέος αὐλῆς.
Neque contra Solem versus stans meito,
Sed etiam postquam occidit, memor ejus rei, usque ad orientem,
Neque in via, neque extra viam inter eundum mejas,
Neque denudatus; Deorum quippe noctes sunt:
Sedens verò divinus vir et prudens,
Aut ad parietem accedens BENE SEPTAE AULAE (caulae).

Recogitanda est hominum conditio, quibus hic Poeta theologus dictat moralia praecepta.

מסתרים sunt *loci, ubi quis se abscondit,* ne conspiciatur, et unde in eum insilit, quem trucidandum sibi proponit: Tullius vocat *penitus abstrusas insidias. Orat.* 2. *de Lege Agr. cap.* 18. Sed tamen haec dictio במסתרים efferri potest etiam adverbialiter, et quidem superlativo gradu ob numerum ejus pluralem, nempe *perabsconditè,* ob ea quae sequuntur in altero orationis membro, ubi de noctis obscuritate. Et sane, si ea res agitur circa septa caularum, non datur imaginari insidias in latebris, quae prope sint, sed potius in locis aliquanto remotioribus, unde per tenebras noctis grassatores ingruant in pastores, eodem scilicet modo, quo irruerunt Caldaei in custodes gregum et armentorum Jobi. Pro adstruendo hoc sensu non mediocrem lucem petere licet ex historia pastorum Bethlehemitarum apud Lucam *cap.* 2. *v.* 8. *Et pastores erant in regione eadem excubantes et agentes vigilias noctis super gregem suum.*

חלכה mihi est nomen foemininum, notans *nigredinem,* juxta proprietatem sui thematis חלך *valde niger, ater, obscurus fuit;* et adhibetur de *nigredine noctis* in hoc Arabsiadae loco, *et perveni a die*

splendido ad noctem חולך *nigerrimam*. *Tom. II pag.* 986. *lin.* 8. Illustratur et comprobatur haec interpretatio per istud Euripidis *cit. loc. v.* 774. πυκνῆς δι' ὄρφνης, *densam per noctem*. Plura dabunt Schultensius et Schroederus ad *h. l.* Vide inferiùs *vv.* 10. 14. Quoad verò formationem, venit ex conjugatione פַּעַל Peèl per Jod suppressum, pro פֵּיעַל ex פַּיְעַל, de qua adi Schultensium ad *Prov.* 1. *v.* 22. et Schroederum *Gr. Hebr. pag.* 36. *n.* 15.

Verbum צפן habet hic significationem intransitivam, *sese occultavit*, *delituit*.

V. 9. *Insidiatur in latibulo* (vel *latenter*) *ut leo in lustro suo*, post memoratas insidias improbi ut abigei, facta illius similitudine cum leone, memorat ejus insidias ut plagiarii. Radicem nominis ארי et אריה *leo*, Bochartus *Part. I. Hieroz. Lib.* 3. *cap.* 1. *col.* 716. facit verbum ראה *vidit*, per metathesin litterarum Resh et Aleph, quia, praeterquamquod leo est animal visus acerrimi, ut probat laudatus Auctor, dormit apertis oculis, auctore Damm in *Lexic. col.* 1361. *seqq.* ideoque Graecis dicitur λέων forma participiali, quasi *videns*, a λέω *video*. Ego potius in illorum discedo sententiam, qui pro themate istius vocabuli ponunt Arabicum verbum ארי, quatenus, mediâ kesratâ, et ultimâ Je, valet *aestuavit*, *exarsitque irâ*, vel *indignatione*, ut est in *Lexico Goliano col.* 83. et in *Giggejano Tom. I. col.* 73. ubi pro exemplo affertur, ארי *efferbuit-irâ pectus ejus in me:* siquidem leo non minus ira, quàm acumine visus praeditus est, auctore Lucretio *Lib.* 3. *v.* 295. *seqq.*

Sed calidi plus est illis, quibus acria corda,
Iracundaque mens facile effervescit in ira,
Quo genere inprimis vis est violenta leonum,
Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes,

Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.
et Horatio *Lib.* 1. *Od.* 16. *v.* 13. *seqq.*
Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Desectam, et insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.

in lustro suo, סך est *materies contexta*, quae *locum obtextum tectumque praebet*, et hinc *lustrum* ferarum, *densâ sylvâ perplexisque virgultis obtextum*, nec non *tugurium*, utpote *consertis ramulis frondibusque confectum*, a radice סכך *texuit*, dein *interjecendo* aliquid, ut in textura, *operuit*, *texit*. Huic nomini, quoad significatum, bene respondet Graecum ξύλοχος, quod extat *Odyss.* 4. *v.* 335.
Ὡς δ᾽ ὁπότ᾽ ἐν ξυλόχῳ ἔλαφος κρατεροῖο λέοντος.
Ut quum cerva in lustro fortis leonis etc.
ubi Scholiastes interpretatur ἐν συνδένδρῳ τόπῳ, κοίτῃ θηρίων, *in loco arboribus consito, cubili ferarum*, prout inferius *vers.* 338. vocat εὐνὴν, *cubile*. Confer *Odyss.* 17. *v.* 126. Item respondet ei alterum nomen λόχμη, *dumetum*, *fruticetum*, *lustrum*, *cubile ferarum*, quod occurrit in descriptione sylvae, ubi aper cubabat, a quo inter venandum vulneratus est Ulysses *Odyss.* 19. *v.* 439. *seqq.*
Ἔνθα δ᾽ ἄρ ἐν λόχμῃ πυκινῇ κατέκειτο μέγας σῦς.
Τὴν μὲν ἄρ οὔτ᾽ ἀνέμων διάει μένος ὑγρὸν ἀέντων,
Οὔτέ μιν ἠέλιος φαέθων ἀκτῖσιν ἔβαλλεν,
Οὔτ᾽ ὄμβρος περάασκε διαμπερές. ὣς ἄρα πυκνὴ
Ἦεν.
Hic in sylva densa jacebat magnus aper.
Quam quidem neque ventorum penetrabat vis humidum spirantium,
Neque ipsam Sol lucens radiis percutiebat,
Neque imber penetrabat: sic densa
Erat.

Per haec illustrare volui comparationem latitationis aggressorum cum lustro ferarum.

insidiatur ad raptandum humilem, nunc scopum aperit alterius insidiationis, nempe ut homines ferinis modis capiat, suoque dominio subjiciat, et eos pro more illorum temporum vendat. Verbum חטף proprium est animalium rapacium, praedam *unguibus infixis inuncantium*.

raptat humilem, et reipsa raptat humilem, ut leo praedam, *in trahere eum* (trahendo) *in rete suo*, instrumento capturae simul et tractionis. Verbum משך, quod notat *prehensum-tenuit*, et *traxit*, exerit hic utramque potestatem.

Dispiciant Grammatici, an hinc conjicere detur, vocabulum *plagium*, quod Vossius deducit a Graeco πλάγιον, *obliquum*, metaphoricè *dolosum*, a Latino potius *plaga*, i. e. rete, quo capiuntur ferae, esse derivandum.

V. 10. *Atterit*, improbus ille grassator de improviso erumpens ex densitate silvae, ubi latitat in insidiis, *ut leo in lustro suo*, *vers. sup.* aggreditur humilem, ex. gr. viatorem praesidio carentem, aut pastorem gregi astantem, dum pascitur; qua aggressione eum καταπλήττει, *exsternat*, et animum ejus quodammodo *conterit*, unde hic ad terram *deprimitur*, viribus prorsus destitutus. Quoad priorem vocem hujusce versus sequutus sum Masoreticam crisin, quae dat ידכה *atterit*, pro lectione textus ודכה *et comminutus*, vel *attritus*, ut reddunt Schroederus, Venema, et alii: nam, praeterquamquod forma participii passivi nimis coacta est in re grammatica, copulativa, *Vau*, *et*, quae a versibus quoque praecedentibus abest, mihi videtur non parum diminuere de granditate, quam deprehendo in *atterit*, *deprimitur*, minimè verò in *comminutus sidit*,

quum istum dicendi modum, qui ad genium Latinae linguae propiùs accedit, Ebraica haud ita facile admittat. Adhaec, si verbum ידכה *atterit*, referatur ad grassatorem, et, ut feci, transitivè accipiatur, luculentiùs constabit ratio comparationis grassatoris cum leone.

et cadit in robustos ejus, in potestatem robustorum ejus: accipe ut illud Ovidii *Lib.* 2. *Art. Amat.* *v.* 2.

Decidit in casses praeda petita meos.

עצומים sunt juvenes *robore* praediti, et *numero* valentes, quos improbus sibi assumit in societatem grassationis, quemadmodum de Hippothoo legitur apud Xenophontem Ephesium *Lib.* 3. *cap.* 1. Ἐκεῖθεν γὰρ Ἱππόθοος ἐνενόει, συλλεξάμενος νεανίσκους ἀκμάζοντας, συστήσασθαι πάλιν τὸ ληστήριον. *Illinc enim Hippothous in animo habebat, collectis virentibus juvenibus, rursum praedonum-agmen conficere.*

copia-desperantium, vel *tristium*, vel *pusillanimum*, Rabbini Jarchius et Kimchius, quibus adstipulor, vocem hanc חלכאים annumerant iis, quae scribuntur ut una, sed leguntur ut duae חל כאים, *copia desperantium*, i. e. copiosi desperantes, sicuti *Et captivitas* חל *copiae Obad. v.* 20. h. e. captivi copiosi. In hac sententia, ut divisim accipiam contra recentiorum sententiam, me confirmat littera Lamed, quae caret Shevà, quod in medio dictionis est contra generalem usum. Dicam quod sentio de coalitu istarum vocum in unam: Inter elegantias Orientalis sermonis est ista, ut adhibeantur variae nominum formae, ex eodem themate ductae, vel similem sonum edentes, ad varias enunciandas ideas, inter sese tamen analogas. Pro hac regula, vidimus *vers.* 8. חלכה *chelecà*, *nigredo:* inferius *vers.* 14. videbimus חלכה, *chelèca*, *niger*, i. e. ca-

lamitosus: in *hoc vers.* conjungit Poeta חל, *chel*, *copia*, et כאים, *caim*, *fracti*, in unam חלכאים, *chelcaim*, ut ita etiam haec videatur ducta ex eodem themate חלך *chalac*, *valde-nigor-fuit*. Sed hoc per modum conjecturae, et quasi divinationis. Verbum חול *robore polluit*, *valuit*, unde nostrum חל pro חיל, refertur etiam ad *numerum*, *copiam*. De verbo כאה *tristis*, *pusillanimis fuit*, vide Michaelis in *Supplem. ad Lexic. Hebr. pag.* 772. 1195. *seq.*

V. 11. *Dicit in corde suo*, *Oblitus est Deus*, superiùs post impias gloriationes in Deum dicit, *Non est Deus*, *v.* 4. hìc post crudelia facinora in homines, quia Deus vindictam diutiùs differt, ait sarcasticè et irrisoriè, *Oblitus est Deus*, contra quàm Ilioneus Trojanorum orator ad Didonem *Aeneid.* 1. *v.* 547.

At sperate Deos memores fandi atque nefandi.

ubi bene ait *memores*, quia, etiamsi non statim puniant crimina, sunt tamen memores, et ocyus serius vindictam sumunt, ut verissimè ait Horatius *Lib.* 3. *Od.* 2. *v.* 31. *seq.*

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede poena claudo.

et *Lib.* 4. *Od.* 5. *v.* 24.

Culpam poena premit comes.

Obvelavit facies suas, ex more Regum Orientis, qui ante se velum obtendunt, ne servi omnes obtutum figant in vultum ipsorum; atque hinc *non vidit in purum putum*, h. e. omnino, et in perpetuum. Verba hujus versus undecimi et quarti sic accipio, ut impius ea temere effutiat non omnia simul et conjunctim, sed separatis et distinctis vicibus, nimirum ut modò dicat, *non est Deus:* modò *oblitus est Deus:* modò *obvelavit facies suas:* modò *non vidit in purum putum*. Contra haec improbi dicta

sic insurgit Poeta gentilis Pindarus *Olymp. Od.* 1. *v.* 102. *seqq.*

'Ει δὲ Θεὸν
'Ανήρ τις ἔλπεταί τι λασέ-
μεν ἔρδων, ἁμαρτάνει.

Quod si Deum
Vir aliquis sperat late-
re quidpiam faciens, fallitur.

Pindaro addendus Lucianus *Epigram.* 9. *Tom. III. Opp. pag.* 676.

'Ανθρώπȣς μὲν ἴσως λήσεις, ἄτοπόν τι ποιήσας,
Οὐ λήσεις δὲ Θεȣ̀ς, ȣ̓δὲ λογιζόμενος.

Homines quidem fortasse latebis, turpe quid operatus,
Non latebis autem Deos, ne cogitans quidem.

et Seneca in *Hippolito v.* 157. *seq.*

credis, hoc posse effici,
Inter videntes omnia ut lateas avos?

videlicet Phoebum omnia lustrantem, et Jovem omnia implentem.

V. 12. *Deus attolle manum tuam*, more decertantium, ut de Ulysse et Iro ait Homerus, τὼ δ'ἄμφω χεῖρας ἀνέσχον, *illi ambo manus elevarunt. Odyss.* 18. *v.* 88. Quò altiùs manus attollitur, eò gravior ictus infligitur: adhibetur hic nomen אל, quo notatur *Deus*, quà *fortis*, et *robustus*.

ne obliviscaris humilium, caede violentorum hominum ostende, te non oblivisci illorum, qui depressi et miseri status sunt.

V. 13. *Propter quid summopere-spernit improbus Deum?* ad irritandum Deum, quò citiùs ultionem sumat adversus impios, aperit, vel potius repetit orignem impietatis eorum per modum interrogationis: *dicit in corde suo,* quia id apud se cogitat, et pro certo habet, quòd *Non requiris*, opera nempe hominum.

V. 14. *Vidisti*, accipe hoc prolatum cum vi asseverationis, quasi dicat, Utique vidisti, seu vides: nunc adversus dictum impii, *obvelavit* Deus *facies suas, non vidit in purum putum, vers.* 11. regerit Vates per provocationem ad ea, quae quotidie fieri observantur, nempe:

Quia tu vexationem et aegritudinem, quibus humiles afficiuntur, *intueris*, inspicere soles, *ad ponendum*, ut ponas eas, *in manu tua*, more illius, qui rem sumit in manum, ut eam bene observet, ac notet, juxta phrasin Tullii, *Itaque hoc animo legem sumpsi in manus etc. Orat.* 2. *pro Leg. Agr. Cap.* 6. ideo *super te* (tuo officio) *relinquit*, tibi puniendas committit easdem vexationes et aegritudines, *niger*, miserrimus quisque. Tuum igitur est, ne spe, quam in te habent firmissimam, frustrentur; et idcirco surge etc.

חלכה, *cheléca*, *valde-niger*, est nomen masculinum, ut לילה, *nox*, cum He paragogico, quod intensivam significationem habet; et movetur per Segòl pro Shevà propter Atnàch. Habet autem hìc significatum metaphoricum, quatenus color *ater* est symbolum *moeroris, afflictionis*, et *miseriae*, prout etiam Latinis *niger* est *moestus, tristis, in luctu jacens*, quo sensu Statius ait *Lib.* 5. *Silv.* 1. *v.* 18. *seq.*
Sed quum plaga recens, et adhuc in vulnere primo
Nigra domus questu.
Redi superius ad *vers.* 8. *et* 10. ubi de duabùs vocibus analogis.

pupillus, tu es adjuvans, supple *eum*, et loquutionem Ebraicam sic accommoda ad normam Latinae Linguae, *pupillum tu es adjuvans:* est autem repetitio ejusdem sententiae cum praecedenti.

V. 15. *Frange brachium improbi*, post excitationem ad elevandam manum ultricem in improbum,

adjicit modum ultionis, qui est, ut conterat brachium, i. e. robur et potentiam ejus; et in fine eloquitur effectum hujus ultionis, *quaeres improbitatem ejus non inveniens*. Ebraeis ea dicuntur *quaeri nec inveniri*, quae de repente excisa et deleta ita disparent, ut nec vola nec vestigium reperiri queat: quo modo alibi dicit, *Vidi improbum vegetum: et diffundentem se instar lauri viridis. Et transivi et ecce non est: et quaesivi eum, et non inventus est. Ps.* 37. *v.* 35. *seq.*

et malus, quaeres etc. eadem verborum syntaxis, quae *vers. sup.* Sensum hujus versus, pro genio nostrarum linguarum, suppletis supplendis, ita concinno: Frange brachium improbi et mali; eoque facto, si quaeras improbitatem illius et malitiam hujus, haud invenies. Nimirum fracta improborum et malorum quorumcumque potentia, id fiet, ut non solùm cessent violenta eorum facinora, sed etiam alii exemplo istorum sibi caveant ab eisdem patrandis: sic meritò negatur, Deum etiam posse invenire.

V. 16. *Dominus* est *Rex saeculi et perpetuitatis*, nunc ab exemplo probat in Domino vim frangendi brachium improbi, inquiens: sicut olim Dominus, ut Israeliticum regnum constitueret in Cenaanitide, Cenaanaeos disperdidit, partim caedens, partim fugans, idque est, *perierunt gentes e terra ejus*, ita et nunc eadem vi pollet, ut disperdat regni vastatores, quum non ad tempus, sed in saeculum et in perpetuum sit Rex potentissimus. Dicendo, *Dominus* est *Rex*, alludit ad civilem Theocratiam Judaeorum, id quod demonstratur etiam verbis, *e terra ejus*, et luculentiùs ex *Levitico Cap.* 25. *v.* 23. ubi legitur hoc interdictum Domini: *Et terra non vendetur ad excisionem*, (sic ut excindatur e familia, in qua

est, citra redemptionem) *quia mihi* (mea) *est terra: nam peregrini et inquilini vos* estis *apud me*.

V. 17. *Desiderium mansuetorum audivisti Domine*, quia toties mansuetos fecisti compotes votorum, nunc etiam pro fiducia, quam habent in te positam, *confirmes cor* (animum) *eorum* opportuna auditione clamoris ipsorum; eumque in finem *emundes aurem tuam*, quò aptior sit ad percipiendas eorum petitiones. De aurium emundatione pro faciliori auscultatione diximus ad *Ps.* 5. *v.* 3.

V. 18. *Ad judicare etc.* per judicia, quae tu, Domine, pro pupillis et quibusvis calamitosis in tuto ponendis, facias in oppressores, id etiam praestabis, quòd *non addet amplius exagitare homo ex terra*, desinet exagitare pupillos et miseros, qui pavore compulsi, de loco in locum fugere coguntur, ut in cavernis delitescant. Confer *Jes.* 2. *v.* 19. 21. et ibi notata.

PSALMUS XI.

ARGUMENTUM

David in discrimine vitae ob persequutionem Sauli constitutus, nihil tamen certius habet, quàm suam incolumitatem. Postea monet, Dominum, qui omnia videt, ideo sinere, bonos vexari a malis, ut de illis experimenta palam sumat. Postremò sortem edicit utrorumque.

V. 1. PRAEFECTO, Davidis. In Domino confisus sum, quomodo dicitis animae meae: Vagamini, mons vobis avis.

2. Nam ecce improbi tetenderunt arcum, paraverunt sagittam suam super nervo: ad jaculandum in caligine, in rectos corde.

3. Quando fundamenta destruuntur: Justus quid agit?

4. Dominus in palatio sanctitatis suae, Dominus in Coelis thronus ejus, oculi ejus vident: palpebrae ejus explorant filios Adami.

5. Dominus justum explorat et improbum et amantem violentiae: odit anima ejus.

6. Pluere faciet super improbos, laqueos ignem et sulphur, et ventus aestuum pars calicis eorum.

7. Etenim Justus Dominus justitias amat: rectus videbunt facies suas.

COMMENTARIUS

V. 1. *Praefecto*, post hanc vocem desideratur initium Cantilenae, cujus ad numeros Psalmus iste caneretur. Liceat hìc quoque meam proferre conjecturam. Constat, Levitas quamplurimos quotidie in Templo fuisse laudibus Domini canendis, musicisque instrumentis tractandis destinatos, quorum censum fusiùs deductum leges 1. *Par.* 6. *pr.* post quem dicitur, *Et isti* sunt *quos statuit David super manibus* (ministeriis) *cantici Domus Domini v.* 31. Singulae istorum classes, quas distinguebat varietas Musices ex antiquioribus Cantilenis petitae, et musicorum instrumentorum, dirigebantur, ceu patet ex dictis ad *Ps.* 4. *pr.* et ad *Ps.* 5. *pr.* a peculiari suo Praefecto: omnes verò singularum classium Praefecti suberant *Principi Levitarum*, qui memoratur 1. *Par.* 15. *v.* 22. qui et ipse dicebatur המנצח *Praefectus* per excellentiam; idemque verosimiliter erat *Curator* sacrorum hymnorum pro publico usu Ecclesiae. Principi isti suspicor tradidisse Davidem hunc Psalmum, ut is alteri Praefecto traderet classis illius, cujus musicen magis accommodam reputaret metro ipsius: nisi malumus dicere, ex hoc, alisque Psalmis excidisse initium veteris Cantilenae, cujus ad numeros caneretur. En locum Paralipomenôn paulo antè citatum: *Et Cenanjas Princeps Levitarum in elatione* vocis: *erudiendo in elatione, quia peritus erat*. vide istic Jarchium, Kimchium, et Clericum, nec non eumdem Kimchium ad *Ps.* 4. *pr.*

In Domino confisus sum, quomodo dicitis animae meae, videl. mihi: alloquitur David amicos, qui vitae ipsius timentes ab inquisitoribus, hortantur, ut

sese ab eorum indagine quàm celerrimè subripiat in aliquem montem.

Vagamini, lectio textus נודו *vagamini* habet rationem Davidis et sociorum ejus: lectio verò marginis, quae habet נודי *vagare*, concordat cum לנפשי *animae meae*.

mons vobis, quia ante hanc vocem הרכם deest praepositio, ideo quidam exponunt *ad montem vestrum*, quasi tum David cum sociis fuerit in campestribus locis. Sed isto consilio non rectè consulunt securitati Davidis ob adjectum pronomen possessivum *vestrum*, quod indicaret, eum fuisse solitum in discrimine vitae illuc confugere: qua posita consuetudine, procul dubio exploratores non omisissent perquirere in monte illo. Alii dant *de monte vestro*, quasi tum fuerit in monte, et ex eo aliò migrare hortentur: haec expositio tolerabilior est. Alii demum *in monte vestro*, ne jugiter in eadem spelunca aut latibulo maneret, sed huc illuc oberraret: ista quoque eodem incommodo laborat, quo prior. Planior igitur res erit, si absque ulla praepositione, quam necesse sit subaudire, reddamus, *mons* (accipe loca montana quaevis) sit *vobis* confugium: illuc igitur vagamini, ut *avis* vagatur, quando exterretur; volat enim huc illuc per densitates nemorum et montium diversorum. Defectus particulae *similitudinis* passim occurrit in Scriptura.

V. 2. *Nam ecce improbi tetenderunt arcum*, nunc amici Davidis monstrant imminens periculum, quò citiùs sibi consulat fugâ.

paraverunt sagittam suam super nervo (vide *Ps.* 7. *v.* 13.) *ad jaculandum in caligine*, *in rectos corde*, in voce אפל, quae vulgò redditur per *caliginem*, et *tenebras*, mihi haeret aqua. Superiùs fautores hortantur Davidem, ut ad montana con-

fugiat pro se eripiendo a periculo: tum igitur, quum is versaretur in periculo, non latitabat in tenebris loci reconditi, neque conspectum hominum fugiebat, id enim adversaretur fiduciae, quam *vers. sup.* testatam facit, sed in publicum per diem prodibat, ceu arguere licet etiam ex verbis *ad jaculandum in rectos corde*, quibus fautores significant adversariorum quidem studium esse, ut collineent sagittam ad percutiendos rectos corde, sed unà id innuunt, eos rem agere in concursu multitudinis, et in aprico; nec enim aliter jaculatoribus licuisset distinguere hos ab illis. Itaque accipio vocem אפל de *occultatione*, qua nefariorum manus in frequentia populi jaculatorem aliquem humi reclinatum circumdare solet, ne ab eis, quos petere intendit, ullatenus conspiciatur, quasi lateat sub terra, ut *triticum et spelta* in Aegypto, quae *non percussa sunt* grandine, *quia* adhuc אפילת *abdita erant* sub terra. *Exod.* 9. *v.* 32. Istam conjecturam mihi suppeditavit Homerus, qui de Pandaro sagittam in Menelaum immissuro ait *Iliad.* 4. *v.* 112. *seqq.*

Καὶ τὸ μὲν εὖ κατέθηκε τανυσσάμενος, ποτὶ γαίῃ
Ἀγκλίνας· πρόσθεν δὲ σάκεα σχέθον ἐσθλοὶ ἑταῖροι,
Μὴ πρὶν ἀναΐξειαν ἀρήϊοι υἷες Ἀχαιῶν,
Πρὶν βλῆσθαι Μενέλαον.

Et hunc (arcum) *scite deposuit, quum tetendisset, in terra*
Inclinans; ante autem scuta tenebant strenui socii,
Ne prius irruerent Mavortii filii Achivorum,
Quam percussus esset Menelaus.

Forsitan haec metaphoricè dicta sunt ad significandam abstrusionem periculi, quod imminebat Davidi ab adversariis.

V. 3. *Quando fundamenta destruuntur*, per-

gunt amici Davidis non sine querimonia et indignatione quadam. *Fundamenta* hìc metaphoricè sunt vel leges et jura, vel potius homines justi et pii, religionis et virtutum statores, in quibus aliqua praesidii spes fundata piè et sanctè creditur. Simili metaphora utitur Pindarus *Olymp. Od.* 2. *v.* 145. *seq.* ubi vocat Hectorem

Τροίας
Ἄμαχον ἀστραβῆ κίο-
να.

Trojae
Inexpugnabilem firmam colum-
nam.

Justus, videlicet Deus, qui per excellentiam sic dicitur, *quid agit?* in tanta rerum perturbatione, ac temporum difficultate.

V. 4. *Dominus in palatio sanctitatis suae,* nunc excipit David sermonem amicorum, et occurrit vacillanti eorum fidei, quam confirmat per assertionem existentiae Domini in palatio sanctitatis suae, nec non per asseverationem Providentiae, id quod postea explicat per epexegesin, inquiens, *Dominus in Coelis thronus ejus*, h. e. Dominus sedet in Coelis super thronum suum quà Rex, et pro tribunali suo quà Judex, unde *oculi ejus vident* omnia, *et palpebrae ejus explorant filios Adami*, quae est repetitio ejusdem rei, simulque declaratio. His verbis, ut dixi, David occurrit vacillationi amicorum in fide, quia homines vel propriis calamitatibus pressi, vel calamitatibus aliorum commoti, solent abnegare Numinis existentiam in Coelo: sic Euripides in *Belleroph. v.* 8. inter Fragmenta,

Φησίν τις εἶναι δῆτ' ἐν οὐρανῷ Θεούς;
Dicit aliquis esse in Coelo Deos?

V. 5. *Dominus justum explorat*, de eo expe-

rientiam sumit per varias afflictiones; namque *Afflictio Patientiam efficit, Patientia verò Experientiam. ad Rom.* 5. *v.* 3. *seq.*

et improbum et amantem violentiae, de istis quoque experientiam sumit, dum sinit vexare bonos, quò publicè innotescat eorum nequitia.

odit anima ejus, intellige *improbum et amantem violentiae*, qui postremo loco enunciantur. Post *improbum*, quod est generale attributum, addit *et amantem violentiae*, declarationis ergo, quum de violentia hìc sermo sit: is autem dicitur *amans violentiae*, qui, ut ait Poeta *Odyss.* 2. *v.* 36. solet

"Ἔρδειν ἔργα βίαια κακορραφίῃσι νόοιο.

Patrare facinora violenta malis-consiliis mentis.

V. 6. *Pluere faciet super improbos, laqueos etc.* male, ut opinor, quidam ideo interpretantur פחים per *fulmina*, quia caeterae voces hunc sensum poscere videntur; nam praeterquamquod רשעים *improbi*, propriè *irrequieto motu agitati*, poscunt *laqueos*, quibus ipsi reprimantur, ne ulterius violenter agere pergant, illud etiam animadverto, fulmina designari duabus sequentibus vocibus *ignem et sulphur*. Harum prior אש *ignem*, quia non habet praefixum *Vau, et*, sicut caeterae, quae sequuntur, certo indicio est, eas omnes esse casus appositionis, seu dictiones declarativas *vinculorum*.

ignem et sulphur, eo quod Ebraei non habent unum vocabulum, quo *fulmen* efferant, circumloquuntur per *ignem et sulphur*, hanc sequentes rationem, quòd fulmen urit, ut ignis, et redolet sulphur. Hoc argumentum eruditè tractavit Mazochius in *Spicil. Bibl.* ad illud, *Et Dominus pluere fecit super Sedomum et Amoram sulphur et ignem. Genes.* 19. *v.* 24. unde sumpsisse potuit David hanc ideam: et ante Mazochium tractaverat J. Clericus in *Dissert. ad dic.*

loc. quae extat post ejus Commentarium in Pentateuchum.

et ventus aestuum, dictio זלעפות sistit varios *aestus*, eosque *vehementes*, ex. gr. *irae Ps.* 119. *v.* 53. *famis Thr.* 5. *v.* 10. *venti calidi et venenati h. loc.* ubi numerus pluralis indicat varias species hujus venti, sicuti ventum סמום *samùm*, interdiu spirantem, et חרור *charùr*, noctu spirantem. Uterque memoratur ab Arabsiade in *Vit. Tim. Tom. II. pag.* 500. *lin.* 13. *Et potionarunt eos poculum* a-ssamùm *venti venenati diurni*, *sorpseruntque poculum* al-charùr *venti venenati nocturni*. Vide sis Schultensium ad *Harir. Cons.* 2. *pag.* 65. et ad *Job.* 27. *v.* 21. Iidem venti memorantur etiam in *Al-Korano:* prior *Sur.* 52. *v.* 27. *Propterea beneficus fuit Deus, et cavimus poenam a-ssamùm:* alter *Sur.* 35. *v.* 21. *Neque umbra, neque al-charùr:* ubi hallucinatus est Marraccius, qui vertit, *neque jubar solis:* istic enim per *umbram*, autore Scultentensio ad *Job. cit. loc.* intelligitur Dei benedictio et gratia, ut per *al-charùr*, *ventum calidum nocturnum*, aeterna maledictio et poena: quo sensu accipi potest vel debet etiam *a-ssamùm*, *ventus calidus diurnus* in superiori loco: unde omnimodam lucem foeneratur hic noster *et ventus aestuum.* De vento *a-ssamùm* in Arabia adeundus est Niebuhrius in *Descript. Arab. pag.* 7. *seq.* Ad hos ventos respicit Psaltes inquiens, *Non timebis a pavore noctis: a sagitta,* quae *volat interdiu. A peste* quae *in caligine ambulat : ab exitio,* quod *vastat meridie. Ps.* 91. *v.* 5. *seq.*

pars calicis eorum, erit sors eorum: loquutio sumpta est e conviviis, in quibus paterfamilias unicuique convivarum distribuere solebat convenientem panis, carnis, et vini portionem: qua de re infra

16

pluribus dicemus ad *Ps*. 16. *v*. 5. ubi et de forma nominis מנת cum Kamètz in regimine.

Pro asserenda confirmandaque interpretatione vocis פחים per *laqueos*, facit hortatio Mercurii ad Chorum Oceanitidum, ut istae se calamitatibus, quibus jam jam involvendus erat Prometheus, eripiant, apud Heschylum in *Prometh*. *v*. 1075. *seqq*.

εἰδυῖαι γὰρ,
Κοὐκ ἐξαίφνης, οὐδὲ λαθραίως,
Εἰς ἀπέραντον δίκτυον ἄτης
Ἐμπλεχθήσεσθ' ὑπ' ἀνοίας.

scientes enim,
Et non ex improviso, neque clam,
In inextricabilem laqueum calamitatis
Involvemini ab incogitantia.

Istic pariter voce δίκτυον, *laqueus*, indicatur catastrophe calamitatum, quas postea eloquitur. Ne pigeat audire historicam narrationem perhorrendae illius calamitatis, quae contigit anno Christi 358. prout legitur apud Ammianum Marcellinum *Lib*. 17. *Cap*. 7. *Iisdem diebus terraemotus horrendi per Macedoniam, Asiamque, et Pontum, assiduis pulsibus oppida multa concusserunt et montes. Inter monumenta tamen multiformium aerumnarum eminuere Nicomediae clades, Bithyniae urbium matris, cujus ruinarum eventum verè breviterque absolvam. Primo lucis exortu die nono Kal. Septembrium, concreti nubium globi nigrantium, laetam paulo antè Coeli speciem confuderunt, et amandato Solis splendore, nec contigua nec apposita cernebantur: ita oculorum obtutu praestricto, humo involutus crassae caliginis squallor insedit. Dein velut Numine summo fatales contorquente manubias*, (in libris Etruscorum *manubiae* dicuntur fulminum jactus) *ventosque ab ipsis excitante cardinibus, magnitudo fu-*

rentium incubuit procellarum, et elisi litoris fragor: haecque sequuti typhones atque presteres, (זלעפות) cum horrifico tremore terrarum, civitatem et suburbana funditus everterunt. Et quoniam acclivitate collium aedes pleraeque vehebantur, aliae super alias concidebant, reclangentibus cunctis sonitu ruinarum immenso. Interim clangoribus variis excelsa culmina resultabant quaeritantium conjugium liberosque, et si quid necessitudinis artè constringit. Post horam denique secundam, multò ante tertiam, aër jam sudus et liquidus latentes retexit funereas strages. Nonnulli enim superruentium ruderum vi nimia constipati, sub ipsis interiere ponderibus. Quidam collo tenus aggeribus obruti, quum superesse possent, si qui juvissent, auxiliorum inopiâ necabantur. Alii lignorum extantium acuminibus fixi pendebant. Uno ictu caesi complures, paulo antè homines, tunc promiscuae strages cadaverum cernebantur. Quosdam domorum inclinata fastigia intrinsecus ferebant intactos, angore et inedia consumendos. Inter quos Aristaenetus affectatam recèns dioecesim curans vicaria potestate, quam Constantius ad honorem uxoris Eusebiae Pietatis cognominaverat, animam hoc casu cruciatam exhalavit. Alii subita ruinae magnitudine oppressi, iisdem adhuc molibus conteguntur. Collisis quidam capitibus, vel humeris praesectis aut cruribus, inter vitae mortisque confinia, aliorum adjumenta paria perferentium implorantes cum obtestatione magna deserebantur. Et superesse potuit aedium sacrarum et privatarum, hominumque pars major, ni palantes abruptè flammarum ardores per quinquaginta dies et noctes, quidquid consumi poterat, exussissent.

V. 7. *Etenim Justus*, ὁ Δίκαιος, Italicè *il Giu-*

sto, per excellentiam, et quasi denominativè, nam *Dominus*, stat declarativè, ut casus appositionis.

justitias amat, dum hominum cogitationes, sermocinationes, et actiones, quà judex expendit, in id unicè intendit, ut faciat justitiam in omnibus et singulis, nullum relinquens inju licatum; et idcirco ait pluraliter *justitias*. In hoc versu primùm rationem reddit immissionis calamitatum in impios, dein tangit beatificam visionem pro piorum remuneratione, inquiens,

rectus, quicumque recti fuerint, *videbunt* פנימו, non convenit inter Criticos super interpretatione istius vocis ob suffixum plurale מו, quod quidam accipiunt pro singulari *facies ejus*, nempe Domini, alii aliter. Ego interpretor *facies suas*, reciproco sensu, nimirum *Justus*, videbit faciem *recti*, et vicissim *rectus* videbit faciem *Justi*; ac si dicat, se mutuò respicient, atque hinc verbum *videbunt* in numero plurali. Istam interpretationem suppeditavit mihi Virgilius in genethliaco Carmine Salonini Pollionis filii *Ecl.* 4. *v.* 15. *seq.*

Ille Deûm vitam accipiet, Divisque videbit
Permistos Heroas, et ipse videbitur illis.

Quae Prophetae cecinerunt de spirituali regno Messiae in terris, ac de beatifica in Coelis visione, ea gentilium Poetis ansam dederunt fingendi novum aureum saeculum, *toto surget gens aurea mundo. cit. loc. v.* 9. In integritate prioris illius aurei saeculi Deos cum hominibus versatos esse vulgò credebant, teste Catullo *Carm.* 63. *v.* 384. *seqq.*

Praesentes namque antè domos invisere castas
Heroum, et sese mortali ostendere coetu
Coelicolae, nondum spreta pietate, solebant.

Dictio illa *antè* valet *olim*, primis scil. mundi tem-

poribus. Accuratius verò rem narrat Alcinous Phaeacum rex *Odyss.* 7. v. 201. *seqq.*

Αἰεὶ γὰρ τοπάρος γε Θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς
Ἡμῖν, εὖθ᾽ ἔρδωμεν ἀγακλειτὰς ἑκατόμβας·
Δαίνυνται δὲ παρ᾽ ἄμμι καθήμενοι ἔνθα περ ἡμεῖς.
Εἰ δ᾽ ἄρα τις καὶ μοῦνος ἰὼν ξύμβληται ὁδίτης,
Οὔτι κατακρύπτουσιν, ἐπεί σφισιν ἐγγύθεν εἰμὲν,
Ὥσπερ Κύκλωπές τε καὶ ἄγρια φῦλα Γιγάντων.

Semper enim etiam antea Dii apparent manifesti
Nobis, quando facimus inclytis hecatombis:
Conviventurque apud nos sedentes ibi, ubi et nos.
Si autem aliquis et solus iens occurrerit viator,
Haud occultant se, quoniam ipsos prope sumus,
Quemadmodum Cyclopesque et agrestes gentes Gigantum.

Hoc idem rursus futurum vaticinatur Virgilius, quum redierit saeculum illud Salonini diebus. Talis, inquam, opinio, a sacris Judaeorum litteris in theologiam aliarum gentium derivata, clarissimam lucem affundit huic loco, in quo David ait, quòd beatissimo illo saeculo Dominus et Heroes, h. e. *Magnifici*, de quibus *Ps.* 16. *v.* 3. sese mutuò respicient.

PSALMUS XII.

ARGUMENTUM

Queritur David, et cum eo Ecclesia, de piorum hominum paucitate, et de multitudine perfidorum, quos excindi precatur, et Deus exaudit. Ea calamitas incidit sub tempora persequutionis Sauli, et rebellionis Absalomi.

V. 1. PRAEFECTO super Hassheminith, Psalmus Davidis.

2. Salva Domine quoniam cessavit pius: quoniam defecerunt fideles, a filiis hominis.

3. Falsitatem loquuntur vir cum socio suo labio blanditiarum: in corde et corde loquuntur.

4. Excindat Dominus omnia labia blanditiarum: linguam loquentem magna.

5. Qui dixerunt, Linguae nostrae robur-esse-faciemus, labia nostra nobiscum: quis dominus nobis?

6. Propter vastationem pauperum propter suspirium egenorum nunc surgam ait Dominus: ponam in salute exsufflat in eum.

7. Eloquia Domini eloquia pura argentum conflatum in iteratione propter terram: purgatum, septies.

8. Tu Domine servabis eos: custodies eum a generatione hac in saeculum.

9. Circumcirca improbi continuo-ambulant: quando exaltatur vilitas filiis hominis.

COMMENTARIUS

V. 1. *Praefecto super Hassheminith*, idem titulus, qui Psalmi VI.

V. 2. *Salva Domine, quoniam cessavit pius*, consule periclitanti Ecclesiae; homines enim religiosi et devoti, qui eam constituunt, ad nihilum ferme sunt redacti.

Rari quippe boni, numerus vix est totidem, quot
Thebarum portae, vel divitis ostia Nili.

verba Juvenalis *Sat.* 13. *v.* 26. *seq.* quibus adde Senecam *Epist.* 42. *pr.*

quoniam defecerunt fideles, qui scilicet in dictis et promissis fidem praestant, quam dederunt.

V. 3. *Falsitatem loquuntur vir cum socio suo labio blanditiarum*, exemplificat praecedentia: alter alterum in commercio vitae fallere student, blando sermone utentes ad tegendam fraudem.

in corde et corde loquuntur, duplici corde, aliud loquentes, aliud sentientes: Achilles de Agamemnone *Iliad.* 9. *v.* 312. *seq.*

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλησιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.

Inimicus enim mihi ille aeque, ac Inferni portae,
Qui aliud quidem occultat in praecordiis, aliud autem dicit.

Confer *Ps.* 28. *v.* 3. et *Ps.* 62. *v.* 5. Quoad phrasin בלב ולב, *in corde et corde*, nota est regula, quòd substantivum in eodem casu, interposita copula *Vau* repetitum, importat *diversitatem*, seu *varietatem*, sicuti *Non erit tibi in loculo tuo lapis et lapis* (pondus librae): *magnus et parvus. Deut.* 25. *v.* 13. *Lapis et lapis epha et epha: abominatio Domini, cumulatim ambo illa. Prov.* 20. *v.* 10.

V. 4. *Excindat Dominus omnia labia blanditiarum*, intereant et deleantur omnes, qui ad alios circumveniendos falsa loquuntur, blando sermone utentes.

linguam loquentem magna, repetitio ejusdem sententiae: haec phrasis circumloquitur dictionem μεγάλαυχον, *superbum*, *valde se jactantem*, in loco Pindari *Pyth. Od.* 8. *v.* 19. *seq.*

Βία δὲ καὶ μεγάλαυχον ἔσφα-
λεν ἐν χρόνῳ.
Violentia autem et superbum pessun-
dat in tempore.

confer Graecum verbum ἔσφαλεν *pessundat* cum Ebraico יכרת *exscindat*, deprecativè adhibitum, vel et per modum vaticinii, *exscindet:* vide etiam exempla, quae illic subjiciuntur. Magniloquentiam habes in *vers. seq.*

V. 5. *Qui dixerunt, Linguae nostrae robur-esse-faciemus*, validis argumentis demonstrabimus, nos nostri juris esse, nemini subjectos.

labia nostra nobiscum, praesto nobis sunt pro eisdem demonstrationibus: repetitio ejusdem sententiae auget arrogantiam et insolentiam.

quis dominus nobis? cujus interdictis et jussis teneamur; vel qui nobis obsistat.

V. 6. *Nunc surgam, ait Dominus*, quomodo David audiverit Dominum haec dicentem, vide ad *Ps.* 7. *v.* 7.

ponam in salute illum, *in quem* exsufflator *exsufflat*, videlicet quem impius dissipat ut rem vento dispergibilem: vide notata ad *Ps.* 10. *v.* 5.

V. 7. *Eloquia Domini* sunt *eloquia pura*, post factam a Deo promissionem de eripiendis pauperibus ab exsufflatione impiorum, eloquitur Vates veracitatem verbi divini, *purum* vocans ut *argentum*

conflatum in iteratione, h. e. iteratis vicibus, *propter terram*, quae est ei permixta, quando eruitur ex fodinis. Prona est significatio vocis עליל *iteratio* ex suo themate עלל *iteravit*, *iterum iterumque aliquid fecit*, suadente id etiam parallelismo, *purgatum septies*. Forma dualis שבעתים non *duplum* singularis exprimit, nempe *bis septies*, sed ejus repetitas vices, *septies*. Vide Danzium in *Interpres* §. 36. *not. a.*

V. 8. *Tu Domine servabis eos*, pauperes, egenos: hujus fidei certitudo pendet a duobus praecedentibus versibus.

custodies eum, unumquemque illorum, omnes, et singulos, *a generatione hac*, ab hominibus horumce morum, et bujus rationis vitae, *in saeculum*, hinc et deinceps in perpetuum, quoties eaedem inciderint difficultates temporum, ut summa rerum sit penes scelestos, quemadmodum pergit dicere *vers. seq.*

V. 9. *Circumcirca improbi continuò-ambulant*, probis insultantes et nocentes, *quando exaltatur vilitas filiis hominis*, quando viles homunciones evehuntur ad dignitates, et rebus civium praesunt cum imperio. Buchananus ita rhythmicè transfert hunc versum:

Nam latè impietas grassatur libera, passim
Omnia plena malis,
Quum penes injustos jus est, et jussa malorum
Sunt metuenda bonis.

PSALMUS XIII.

ARGUMENTUM

Formula deprecationis pro liberatione a periculis adversariorum, et ab eorum insultationibus, si quis forte inferior fiat.

V. 1. Praefecto, Psalmus Davidis.

2. Usquequo Domine oblivisceris mei purum-putum? usquequo abscondes facies tuas a me?

3. Usquequo ponam consilia in anima mea, moerorem in corde meo interdiu? usquequo exaltabitur inimicus meus super me?

4. Respice responde mihi Domine Deus meus: illumina oculos meos, ne forte obdormiam mortem.

5. Ne forte dicat inimicus meus Praevalui ei: hostes mei exultent, quum dimotus fuero.

6. Et ego in benignitate tua confidi Exultabit cor meum, in salute tua cantabo Domino: quòd retribuerit super me.

COMMENTARIUS

V. 2. נצח *purum-putum*, *omnino*, sic ut ne per momentum quidem recorderis mei.

usquequo abscondes facies tuas a me, tanquam iratus.

V. 3. *Usquequo ponam consilia in anima mea*, usquequo apud animum meum inibo consultationes de periculis effugiendis, et vita conservanda?

moerorem (repete *ponam*) *in corde meo*, ob vanitatem consiliorum, quae cepi?

interdiu, ac si dicat, non solùm *noctu*, quo tempore moerores liberius debacchantur, sed etiam *interdiu*, quando homines, suis negotiis intenti, solent aliquantisper anxietatis oblivisci.

usquequo exaltabitur inimicus meus super me, accipio de *exaltatione* in locum, quatenus David securitati suae consulens, in alta montium aut rupium se recipiebat, sed hostis in altiora conscendens, inde eum migrare cogebat: atque hinc consiliorum et moeroris positio in animo Davidis.

V. 4. *Respice*, precatur id contra absconsionem faciei ob iram, de qua *vers.* 2. Quos Deus respicit, hos juvat; et ipse divinus aspectus est auxilium. Anchises ad Jovem *Aeneid.* 2. *v.* 690. *seq.*

Aspice nos; hoc tantum: et, si pietate meremur,
Da deinde auxilium pater.

responde mihi roganti, ut intelligam, te non omnino esse oblitum mei. Thetis ad Jovem superciliosè sedentem, nec respondentem rogationi *Iliad.* 1. *v.* 514. *seq.*

Νημερτὲς μὲν δή μοι ὑπόσχεο καὶ κατάνευσον,
Ἢ ἀπόειπ'.

Verè jam mihi promitte et annue,
Vel abnue.

Illumina oculos meos, haec declarantur sequentibus, *ne forte obdormiam mortem*. Homerus de eo, qui occumbit in pugna, dicere solet, τὸν δὲ σκότος ὄσσ' ἐκάλυψε, *hunc caligo* quoad *oculos texit. Iliad.* 4. *v.* 461. et alibi frequenter: nimirum rogat, ne sibi obscurentur et claudantur oculi somno mor-

tis violentae, ut Orodi apud Virgilium *Lib.* 10. *v.* 745. *seq.*

Olli dura quies oculos et ferreus urget
Somnus, in aeternam clauduntur lumina mortem.

et Iphidamanti apud Homerum *Iliad.* 11. *v.* 241.

.... πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.

.... *lapsus dormivit aereum somnum.*

Qui in istis locis dicitur *ferreus*, vel *aereus somnus*, hic in Bibliis dicitur *aeternus*, sicut in Jeremia, *ut dormiant somnum saeculi, et non expergiscantur. Cap.* 51. *v.* 39.

V. 5. *Ne forte dicat inimicus meus Praevalui ei*, per modum sarcasmi: vide sis notata de hac re ad *Ps.* 9. *v.* 1.

hostes mei exultent, quum dimotus fuero, e loco, quem sperabam fore mihi certissimum asylum: redi ad *vers.* 3.

De inimicorum insultatione vide ad *Ps.* 6. *v.* 8. et *ad Ps.* 9. *v.* 17.

V. 6. *Et ego in benignitate tua confidi*, notanda est emphasis particulae *Vau, Et:* ait, Quamvis pene obruerer periculis, numquam tamen desperavi; immo constantior persistebam in spe, et inter sperandum inquiebam, *Exultabit cor meum:* ac dein indicat caussam exultationis, *in salute tua*, quam scil. mihi certo certius afferes; et ob hanc receptam *cantabo Domino*, subintellige hymnum eucharisticum, seu carmen epinicium.

Quod retribuerit super me, quod preces meas, fidem, fiduciam, et patientiam benefactis compensaverit. Ratihabitioni precum a Davide conceptarum opponitur expostulatio Menelai cum Jove post duellum cum Paride, in qua pro gentilium fide ita queritur *Iliad.* 3. *v.* 365. *seqq.*

Ζεῦ πάτερ, οὔτις σεῖο Θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος.

Ἦ τ' ἐφάμην τίσεσθαι Ἀλέξανδρον κακότητος·
Νῦν δέ μοι ἐν χείρεσσ' ἐάγη ξίφος· ἐκ δέ μοι ἔγχος
Ἠΐχθη παλάμηφιν ἐτώσιον, οὐδ' ἔβαλόν μιν.
Jupiter pater, nullus te Deorum perniciosior alius.
Certè DIXERAM (vel *SPERAVERAM*) me *ultu-rum Alexandrum* de *injuria*:
Nunc autem mihi in manibus fractus est ensis; mihique hasta
Dilapsa est e manibus incassùm, neque vulneravi ipsum.

PSALMUS XIV.

ARGUMENTUM

Dolet Propheta generalem impietatem hominum in Deum, et saevam eorum violentiam in debiliores : postremò vehementiùs afflatus carmen claudit desiderio universalis et aeternae redemptionis .

V. 1. Praefecto. Davidis. Dixit stultus in corde suo Non est Deus: corruperunt abominabilem-fecerunt actionem, non est faciens bonum .

2. Dominus e Coelis prospectavit super filios hominum ut videret an esset attendens: quaerens Deum.

3. Universitas recessit pariter putuerunt, non est faciens bonum: non est etiam unus.

4. An non sciverunt omnes operatores iniquitatis devoratores populi mei comederunt panem : Dominum? non legerunt?

5. Ibi paverunt pavorem : quia Deus in gyro justi .

6. Consilium inopis pudefacitis : quia Dominus refugium ejus.

7. Quis dabit e Tzione salutem Israelis? in reducere Dominum captivitatem populi sui : exultabit Jaakobus, laetabitur Israel.

COMMENTARIUS

V. 1. *Dixit stultus in corde suo*, נבל propriè *emarcidus*, ut folia, flores etc. quando prae *flacciditate* et *marcore decidunt*; et facta relatione ad animum, *stultus*, qui ad omnem virtutis et sapientiae vigorem *emercuit*, *nebulo*, et sic *impius*, *atheus*.

Non est אלהים *Deus*, supremus Judex, et rerum omnium Moderator.

corruperunt abominabilem-fecerunt actionem, corruptè et abominabiliter egerunt ob illam persuasionem.

V. 2. *Dominus e Coelis prospectavit*, השקיף propriè *incurvavit se capite cum collo longiùs exerto* e fenestra, et sic *captavit rerum visionem*. Dictum hominum more.

super filios אדם, reddo *hominum*, pro *Adami*, quia postea distinctionis ergo memorat *populum meum v.* 4. et *gyrum justi v.* 5. sequitur enim Vates antiquam hominum distinctionem in *filios Dei*, qui constituebant orthodoxam Ecclesiam, et hi erant Sethitae, et in *filios hominum*, qui, rejecta patrum institutione, sectabantur dictamina corruptae naturae, et hi erant Kainitae. *Genes.* 6. *v.* 2.

ut videret, an esset attendens, ad essequendam Numinis cognitionem per studium legis et traditionum, nec non per meditationem in operibus sex dierum, unde excitetur ad illud laudandum; idque est, *quaerens Deum*. Jupiter apud Ovidium 1. *Metam. v.* 211. *seqq.*

Contigerat nostras infamia temporis aures.
Quam cupiens falsam, summo delabor Olympo,
Et Deus humanâ lustro sub imagine terras.

Longa mora est, quantum noxae sit ubique repertum,
Enumerare: minor fuit ipsa infamia vero.

V. 3. *Universitas* hominum *recessit,* verbum סור obtinet hic metaphoricam significationem, ut in Hosea *cap.* 4. *v.* 18. סר סבאם, *recessit vinum eorum,* h. e. a nativo sapore et odore abiit in vappam, uti postea per modum declarationis subdit, *fornicando fornicati sunt, dilexerunt* dicere subjectis, *Afferte ignominiam* (munera) *clypei* (principes) *ejus.* Ejusmodi vinum, quod vel jam recessit, vel aetatem haud fert, a Demosthene *contra Lacritum pag.* 953. *C. edit.* 1604. dicitur ἐξεστηκὼς, *quod decessit;* a Cicerone *Lib.* 3. *de Offic. cap.* 23. dicitur *fugiens.* Hanc acceptionem verbi סור confirmat alterum verbum, quod sequitur, נאלחו *putuerunt, foetuerunt;* namque metaphoram a *vino* aut *potu* desumptam excipit altera a *cibo* deducta, nisi volumus dicere, prius verbum declarationem recipere ab altero, quod propriè notat *acescere, acore corrumpi,* et usurpatur de lacte. Utraque metaphora sistit perditos hominum mores ob apostasiam a Numine, vel ob ejus ignorationem. Adi Glassium in *Philolog. sacr. col.* 516. Respicit autem Vates ad naturam et ingenium hominis ab esu vetitae arboris, ex qua, tanquam ex malo veneno, initium sumpsit corporis maceratio, et mentis obtenebratio.

non est etiam unus, ne unus quidem est, qui bene agat.

V. 4. *An non sciverunt omnes operatores iniquitatis devoratores populi mei comederunt panem,* vult dicere, qui dum vorant populum meum, panem manducare sibi videntur; seu, quod idem est, qui devorant populum meum ut panem. Per *populum meum* intellige *filios Dei,* ut monui ad *vers.* 2.

Feritatem huic similem, in qua odium expleri dicitur voratione personae invisae, Jovis exprobat Junoni apud Homerum *Iliad.* 4. *v.* 31. *seqq.*

Δαιμονίη, τί νύ σε Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες
Τόσσα κακὰ ῥέζουσιν, ὅτ' ἀσπερχὲς μενεαίνεις
Ἰλίου ἐξαλαπάξαι ἐϋκτίμενον πτολίεθρον;
Εἰ δέ σύ γ', εἰσελθοῦσα πύλας καὶ τείχεα μακρὰ,
Ὠμὸν βεβρώθοις Πρίαμον Πριάμοιό τε παῖδας,
Ἄλλους τε Τρῶας, τότε κεν χόλον ἐξακέσαιο.

Daemoniaca, quid tibi Priamus Priamique filii
Tanta mala patrant, quòd cum magno studio cupis
Ilii evertere bene aedificatam urbem?
Si tu, ingressa portas et muros longos,
Crudum vorares Priamum, Priamique filios,
Aliosque Trojanos, tunc demum bilem sanares.

Cum his omnino concinit locus Dantis Aligherii in *Infer. Cant.* 32. *v.* 133. *seqq.* ubi Poeta rogat Comitem Ugolinum della Gherardesca devorantem Archiepiscopum Rogerium degli Ubaldini:

O tu, che mostri per sì bestial segno
Odio sovra colui, che tu ti mangi,
Dimmi 'l perchè, diss' io per tal convegno etc.

Confer et *vers.* 127. Odium verò malorum contra bonos inde est, quòd horum pietas illorum conscientiam continuò remordet, et eos inimicat, ut ait Salomon: *Desertores legis laudant improbi: et* quoad *observatores legis contendunt in istos. Prov.* 28. *v.* 4.

Dominum, iste accusativus regitur verbo *sciverunt*, dicit enim, An non operatores iniquitatis sciverunt Dominum? at unde cognoscere potuerunt eum qui lege carent? ex eo quod postea suddit, *non legerunt?* ecquid? quod sequitur *Ibi etc.*

V. 5. *Ibi paverunt pavorem*, sensum planiorem habemus inferiùs *Ps.* 53. *v.* 6. ubi est integrum ada-

gium, quod hic pro parte tantùm allegatur, *Ibi paverunt pavorem* ubi *non erat pavor*, nempe ab hominibus, quod concinit cum effato Salomonis *cit. loc. v.* 1. *Fugiunt et non est persequens improbi: justi autem ut leo securi sunt*. Ratio pavoris est, *quia Deus* moratur *in gyro justi*, h. e. in tentorio, in habitaculo, in familia justi, vel pluraliter *in gyris justorum:* quae phrasis sumpta est ex Scenitis, qui tentoria in orbem ponunt, ut intra istum orbem securitatis gratia cogantur greges: nam דור propriè est *circuitus tentoriorum*, quum ejus radix דור notet *in orbem conversus fuit*, *gyrum egit*. Facit autem Deum commorantem in habitaculis justorum, ut eos defendat ab aggressoribus per immissionem τȣ̃ פחד *pavoris* in istos: qui pavor determinat sensum loci *Geneseos Cap.* 31. *v.* 42. *Nisi Deus patris mei, Deus Abrahami, et* פחד *pavor Itzchaki fuisset* לי *mihi*, seu *pro me etc.* nimirum pavor, quem Deus pro tutela familiae Itzchaki immittit in ejus aemulos perterrendi gratia. Hinc Poetae veteres personificaverunt τὸν Δεῖμον *Terrorem*, feceruntque Martis filium *Iliad.* 4. *v.* 440. *Iliad.* 11. *v.* 37. *Iliad.* 15. *v.* 119.

In *d. Ps.* 53. *v.* 6. alia effertur causa pavoris, *quia Deus dispersit ossa obsidentis te*, vel collectivè *obsidentium te*, seu *castrametantium circa*, vel *contra te:* quae tamen eadem est cum hac. Istic hyperbolico loquendi modo ait: Ex justorum tentoriis, in quibus Deus pro eorum tutela versatur, adeo vehementem pavorem immittit in hostes eorum, ut dissolvat ossium compages, et huc illuc veluti dispergat. Etenim ex ingenti metu fit tremor, qui maximè afficit ossa, ut in isto Virgilii 2. *Aeneid. v.* 120. *seq.*

Obstupuere animi, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor.

Hinc non abludit *Panicus terror* gentilium, sine causa obortus, cujus specimen praebet Curtius *Lib.* 4. *Cap.* 12. §. 14. *Alexandri exercitum pavor, cujus caussa non suberat, invasit: quippe lymphati trepidare coeperunt, omnium pectora occulto metu percurrente.* Quam historiam paulo aliter enarrat Polyaenus *Lib.* 4. *Strat. cap.* 26. Ἀλέξανδρος ἐπὶ ποταμὸν τὸν Τίγριν φθάσας Δαρεῖον ἠπείγετο· πανικὸν ἀπὸ τῆς οὐραγίας διῆξε τὴν στρατείαν πᾶσαν· ὁ βασιλεὺς ἐκέλευσε τῷ σαλπιγκτῇ ὑποσημῆναι σημεῖον ἀφοβίας· τοῖς δὲ πρωστάταις τῶν πεζῶν θέσθαι τὰ ὅπλα πρὸ τῶν ποδῶν, καὶ τοῦτο φράζειν τοῖς μετ᾽ αὐτούς· καὶ δὴ πάντες ἐφεξῆς τοῦτο ποιήσαντες, ἔμαθον τὴν αἰτίαν τοῦ φόβου. Τὸ μὲν πανικὸν ἐλέλυτο· οἱ στρατιῶται δὲ ἀράμενοι τὰ ὅπλα, προΐεσαν. *Alexander ad fluvium Tigrim praevertere Darium festinabat: panicum ab extrema acie pervasit universum exercitum. Rex mandavit tubicini, ut securitatis signum promulgaret, et antesignanis militibus, ut ante pedes arma projicerent, atque idem sequentibus se dicerent. Sic omnes ex ordine hoc facientes, caussam terroris cognoverunt. Quum panicum cessasset, milites sublatis armis processerunt.* Caussam denominationis aperit idem Auctor *Lib.* 1. *cap.* 2. ἦν γὰρ Διόνυσος ἐν κοίλῃ νάπῃ, ἤγγειλαν οἱ σκοποὶ μυρίαν χεῖρα πολεμίων ἐπέκεινα στρατοπεδεύειν. Ἔδεισεν ὁ Διόνυσος· οὐ μὲν ὅγε Πάν· ἀλλὰ ἐσήμαινε νύκτωρ Διονυσιακῇ στρατιᾷ ἀλαλάξαι μέγιστον· οἱ μὲν ἠλάλαξαν· ἀντήχησαν δὲ αἱ πέτραι, καὶ τὸ κοῖλον τῆς νάπης πολλῷ μείζονος δυνάμεως τοῖς πολεμίοις ἐνεποίησεν. οἱ μὲν δὴ φόβῳ πληγέντες ἔφευγον. Τοῦ δὲ Πανὸς τὸ στρατήγημα τιμῶντες, τὴν Ἠχὼ τῷ Πανὶ φίλην ᾄδομεν, καὶ τοὺς κενοὺς καὶ νυκτερινοὺς τῶν στρατευμάτων φόβους Πανὶ κληΐζομεν. *Quum Baccho in concavo saltu nunciassent speculatores, infinitas hostium copias in ulteriori parte castra metari, metus Bacchum incessit, non item verò Pana,* Bacchici

exercitus ducem: *sed noctu Bacchico exercitui signum dedit, ut maximum et inconditum clamorem tollerent. His verò clamantibus, petrae sonum exceptum referebant, et cavitas saltûs longè majorum copiarum fremitum hostibus reddebat. Quare metu perterriti, se in fugam conjecerunt. Quum igitur Pan hoc stratagema usurparit, Echo Pani gratam et amicam fingimus: atque vanos nocturnosque terrores exercituum Panicos appellamus*, seu, *Pani tribuimus*. De vi hujus terroris Pindarus dicit *Nemeor. Od.* 9. *v.* 63. *seqq.*

ἐν γὰρ
Δαιμονίαισι φόβοις
Φεύγοντι καὶ παῖδες Θεῶν.

Nam in
Divinitus-immissis terroribus
Fugiunt etiam filii Deorum.

V. 6. *Consilium inopis pudefacitis*, h. e. ut pudendum traducitis, sarcasticè deridentes.

V. 7. *Quis dabit e Tzione salutem Israelis?* ait *e Tzione*, quia inde *exibit Lex*, *Jes.* 2. *v.* 3. ex qua salus. David in conclusione Psalmi ardenter desiderat salutem, quam a diebus antiquis expectabat Israel seu Jaakobus, et cum eo caeteri Patriarchae et Prophetae omnes, *salutem tuam expectavi Domine. Genes.* 49. *v.* 18. quae verba sic circumloquitur Interpres Caldaeus Jonatan Ben Uzielis: *Dixit Jaakobus, quando vidit Gedeonem filium Joasi, et Simsonem filium Manoachi, qui futuri erant liberatores: Non liberationem Gedeonis ego expecto, neque liberationem Simsonis ego perspicio, quia liberatio eorum temporalis, sed liberationem tuam expecto et perspicio, Domine, quia liberatio tua liberatio saeculorum.* Similiter et Hierosolymitanus: *Dixit pater noster Jaakobus: Non redemptionem Gedeonis filii Joasi expe-*

etat anima mea, quae est temporalis, neque redemptionem Simsonis, quae est redemptio creata, sed redemptionem, quam dixisti in verbo tuo venturam esse populo tuo, filiis Israelis, hanc redemptionem tuam expectat anima mea.

in reducere Dominum captivitatem populi sui, responsio ad praecedentem interrogationem, quam David ipse audit e Coelo: Dominus dabit eam, quando in plenitudine temporum universum genus hominum (quod hic venit nomine *populi sui*) in libertatem vindicabit e captivitate vetusti Serpentis.

exultabit Jaakobus, laetabitur Israel, tum peringenti gaudio afficietur Jaakobus ob conversionem gentilium, quos habebit ut filios adoptivos. Effert *gaudium* duplici verbo, *exultabit, laetabitur*, ad significandam ejus magnitudinem.

PSALMUS XV.

ARGUMENTUM

Psalmo praecedenti, quo Vates generalem humani generis corruptelam queritur, hic alter subjungitur, in quo describitur genuinus civis Ecclesiae, dein haeres coelestis gloriae futurus in aeternum.

V. 1. Psalmus. Davidis. Domine quis commorabitur in tentorio tuo? quis habitabit in monte Sanctitatis tuae?

2. Ambulans perfectus operans justitiam: et loquens veritatem in corde suo.

3. Non pedavit super linguam suam, non fecit socio suo malum: et opprobrium non extulit super proximum suum.

4. Contemptus in oculis ejus rejectus, timentes autem Domini honorificabit: juravit in malefacere, et non mutabit.

5. Argentum suum non dedit in usuram, et munus contra innocentem non cepit, faciens haec: non dimovebitur in saeculum.

COMMENTARIUS

V. 1. *Domine quis commorabitur in tentorio tuo?* verbum גור, de quo diximus ad *Ps.* 5. *v.* 5. propriè notat *diversari*, *commorari* apud aliquem ut *hospitem*, *amicum*, et *clientem*; ea nempe officia ab ali-

quo recipere, quae Antenor praestitisse se dicit Menelao et Ulyssi *Iliad.* 3. *v.* 207.

Τοὺς δ' ἐγὼ ἐξείνισσα, καὶ ἐν μεγάροισι φίλησα.

Hos ego hospitio-excepi, et in aedibus tractavi.

quorum officiorum exhibitio et receptio in oratione Ajacis ad Acbillem exprimitur una voce ὑπωρόφιος *qui sub eodem tecto est, Iliad.* 9. *v.* 636.

Αἴδεσσαι δὲ μέλαθρον, ὑπωρόφιοι δέ τοι εἰμέν.

Reverere domum tuam, *sub eodem enim tecto tibi sumus.*

Confer et Pindarum *Pyth. Od.* 1. *v.* 188.

quis habitabit in monte Sanctitatis tuae, repetitio ejusdem rei.

V. 2. *Ambulans perfectus operans justitiam,* tale illud Horatii *Lib.* 1. *Od.* 22. *pr.*

Integer vitae, scelerisque purus.

scilicet is, qui incedit in integritate vitae, quae justa sunt faciendo. Confer *Ps.* 1. *v.* 1. David nomine Spiritus Sancti respondet sibi, aliive interroganti.

et loquens veritatem prout est *in corde suo,* nec aliud habet in ore, aliud in corde. Confer *Ps.* 12. *v.* 3.

V. 3. *Non* רגל *pedavit* (h. e. *ivit,* a רגל *pes*) *super linguam suam,* praepositio על signat *medium* et *instrumentum* metaphoricae *itionis,* quae hic tribuitur linguae, pro pedibus, quia derisores et maledici, dum sedent in portis, lingua, non pedibus discurrunt per facta hominum. Confer notata ad *Ps.* 1. *v.* 1. Per verbum *pedare* video a Grammaticis reddi Graecum πεδάζειν, quatenus est *gradi, incedere.* Adi H. Stephanum in *Thes. Lin. Gr. Tom.* 3. *col.* 517. *B.* et Philippum Pereum in *Lex. Plaut.* ad vocem *pedatus.*

non fecit socio suo malum, רעה propriè est *socius* in re *pastoritia,* dum scilicet plures *pastores* inter

pascendum pecudes confundunt, conjunctisque curis regunt, ut Damoetas et Daphnis apud Theocritum *Idyll.* 6. *pr.*

Δαμοίτας καὶ Δάφνις ὁ βωκόλος εἰς ἕνα χῶρον
Τὰν ἀγέλαν πόκ', Ἄρατε, συνάγαγον.
Damoetas et Daphnis bubulcus in unum locum
Gregem olim, o Arate, compulerunt.

Corydon et Thyrsis apud Virgilium *Ecl.* 7. *pr.*

Forte sub arguta consederat ilice Daphnis,
Compuleruntque gregem Corydon et Thyrsis in unum.

Confer historiam nativitatis Jesu *Luc.* 2. *v.* 8. *seqq.* Est enim a radice רעה *consociavit gregem ad pastum, pastum egit, pavit:* deinde signat *societatem* hominum quavis ratione coeuntium.

et opprobrium non extulit-portandum *super proximum suum*, non extulit quasi e terra, imposuitque portandum ut onus aut jugum super humeris aut cervice proximi sui. Hoc loquendi modo, verba faciens de portando calumniarum onere, usus est Pindarus *Pyth. Od.* 2. *v.* 171. *seqq.*

Φέρειν δ' ἐλαφρῶς
Ἐπαυχένιον λαβόντα
Ζυγὸν γ' ἀρήγει.
Ferre verò leviter
Super cervicem assumptum
Jugum prodest.

V. 4. *Contemptus in oculis ejus rejectus*, is commorabitur in tentorio Domini, qui hominem publico despicatui obnoxium aversatur, nec oculis eum aspicere dignatur, nec sustinet.

timentes autem Domini honorificabit, haec antithesis ad praecedens membrum confirmat allatam illius expositionem.

juravit in malefacere, jusjurandum concepit, quod in malum et damnum sibi evaserit, et tamen

non mutabit illud, sed fideliter et scrupulosè praestabit. ל in להרע, notante Venema, non *scopum* jurantis, sed *eventum* indicat jurisjurandi. Quanta fuerit jurisjurandi religio, utcumque concepti, etiam apud gentiles, docet piscator Asphalio penes Theocritum *Idyll.* 21. *v.* 62. qui quum somniasset, se grandem aureum piscem cepisse, et in eodem somnio pariter jurasse, se numquam amplius capiendis piscibus operam daturum, fame prius perire secum statuit, quàm jusjurandum violare; dicebat enim socio:

ὅρκον γὰρ ἐγὼ, τὸν ἐπώμοσα, τάρβω.
nam juramentum ego timeo, quod juravi

V: 5. *Argentum suum non dedit* בנשך *in usuram*, propriè *in morsum*, usuris enim admordentur, corroduntur, et consumuntur facultates debitoris. Haec intelligenda sunt, prout edicitur in Lege: *Si argentum mutuo-dabis populo meo*, PAUPERI qui est *tecum, non eris ei ut foenerans: non ponetis super eum usuram* (morsum). *Exod.* 22. *v.* 25. *Et quum attenuatus* (depauperatus) *fuerit frater tuus, et nutaverit manus ejus apud te: firmabis eum*, (sustentabis, juvabis eum), *peregrinum et inquilinum, et vivet tecum. Ne accipies ab eo usuram* (morsum) *et augmentum*, (augmentationem sortis principalis) *et timebis a Deo tuo: et vivet frater tuus tecum. Argentum tuum non dabis ei in usuram* (morsum): *et in multiplicationem* (augmentationem) *non dabis escam tuam. Lev.* 25. *v.* 35. *seqq.* Verba illa, *et nutaverit manus ejus*, Clericus exponit de eo, qui labore suo agros colere non potuerit, et victum sibi parare: optimo quidem sensu; sed adhuc luculentiùs vis eorum patebit, si cum integra phrasi conferatur unica vox Graeca ἀπάλαμνος, *homo sine manu*, dein *sine ope et auxilio*, juxta

sensum, quo adhibetur *Iliad.* 5. *v.* 597. ubi contextus ostendit, agi de homine, qui impedimentum aliquod tollendum in sua manu et potestate non habet, quia id impedimentum majus est viribus suis: agitur enim in loco Levitici de impotentia, qua pauper laborat, removendi a se incommodum paupertatis et indigentiae, quasi manus ejus vacillaverit. Loquitur ergo Vates de officio subveniendi pauperibus citra usuras, quae inter eos populos tantùm, qui commercia exercent, locum habent, ut alibi statuitur: *Non dabis-in-usuram fratri tuo, usuram argenti usuram cibi: usuram omnis rei quae datur-in-usuram. Extraneo dabis-in-usuram etc. Deut.* 23. *v.* 19. *seq.* veluti Phoenicibus, Tyriis, Sidoniis etc. qui maximè omnium tum temporis operam dabant mercimoniis. Vide Herodotum *Lib.* 1. *pr.* Dionysium in *Periegesi v.* 905. *seqq.* Pindarum *Pyth. Od.* 2. *v.* 125. et quae ibi notantur a Benedicto. Hac de re penes Judaeos letè agit Seldenus *Lib.* 6. *de J. N. et G. Cap.* 9. *seq.*

et munus contra innocentem non cepit, eodem modo, quo Samuel, qui fuerat Judex Israelitarum: is, constituto jam Rege in Israele, quum a suo munere discederet, sic alloquutus est populum: *Testificamini in me coram Domino et coram Uncto ejus, Bovem cujus cepi, et asinum cujus cepi, et quem oppressi, quem contrivi, et de manu cujus cepi lytrum-ad-expiandum, ut absconderem oculos meos* (conniverem) *in eo? et restituam vobis.* 1. *Sam.* 12. *v.* 3.

faciens haec commorabitur in tentorio Domini, et habitabit in monte Sanctitatis ejus *vers.* 1. unde *non dimovebitur in saeculum.*

PSALMUS XVI.

ARGUMENTUM

David per fiduciam in Domino, per conversationem cum hominibus probis, et per aversionem ab idololatris eorumque ritibus, pro certo habet, se consequuturum beatificam visionem.

V. 1. MICTAM. Davidis: Custodi me Deus, quoniam confisus sum in te.

2. Dixisti Domino Dominus meus tu: bonum meum, nihil supra te.

3. Sanctis qui in terra sunt: et Magnificis universitatis, Delectatio mea in eis.

4. Multi erunt dolores eorum alium dotaverunt, non libabo libationes eorum de sanguine: et non attollam nomina eorum, super labia mea.

5. Dominus pars divisionis meae et calicis mei: tu ampliabis sortem meam.

6. Funes ceciderunt mihi in amoena: etiam possessio, reniduit super me.

7. Benedicam Dominum, qui consilium suggessit mihi: etiam noctes corripuerunt me renes meos.

8. Posui, Dominus ante me jugiter: quia a dextera mea, nequaquam dimovebor.

9. Idcirco laetatum est cor meum et exultavit gloria mea: etiam caro mea habitabit in fiducia.

10. Siquidem non deseres animam meam in Inferno: non dabis sanctum tuum, videre Foveam.

11. Scire facies me semitam vitarum satietatem laetitiarum, facies tuas: jucunditates in Dextera tua purum-putum.

COMMENTARIUS

V. 1. *Mictàm*, מכתם *complexus virtutum occultarum*, a radice כתם *catàm*, *abdidit*, *celavit*, *occultavit*, *recondidit*, vulgò *Amuletum*, quam notionem multis asseruit Wriemotus *Lib.* 1. *Observ. Miscell. cap.* 9. et confirmant verba, *Custodi me* אל *Deus*, quà *Fortis*, et *Potens*. De usu verbi כתם adi Jeremiam *cap.* 2. *v.* 22. Al-Koranum *Sur.* 2. *v.* 229. Arabsiadem in *Vit. Timur. Tom. I. pag.* 226. *lin.* 2. et *pag.* 524. *lin.* 11.

quoniam confisus sum in te, ut cliens in patrono, unde ratio petendi custodiam a Deo. De verbo חסה vide ad *Ps.* 2. *v.* 12.

V. 2. *Dixisti Domino*, supple, *o anima mea*, quod idem est, ac *Dixi:* sic alibi, *audivisti anima mea*, *Jer.* 4. *v.* 19. pro *audivi:* item *dixit anima mea*, *Thr.* 3. *v.* 24. pro *dixi:* similis ellipsis occurrit et 2. *Sam.* 13. *v.* 39. Similiter Ulysses ipse se alloquitur *Odyss.* 20. *v.* 18.

Τέτλαθι δὲ κραδίῃ, καὶ κύντερον ἄλλο ϖότ' ἔτλης.

Tolera, cor, nam pejus aliud aliquando tolerasti.

Dominus meus tu, herus et patronus meus: formula, qua se in Domini clientelam tradidit *vers. sup.*

bonum meum, טובה, absolutè positum, est summum bonum, quo non aliud majus, ut postea di-

cit, *nihil supra te*. De voce בל, notante *nihil* in hoc loco, vide Schroederum *Gr. Hebr. pag.* 308. Huc afferri meretur locus Pindari *Olymp. Od.* 1. *v.* 5. *seqq.*

Εἰ δ' ἄεθλα γαρύεν
Ἔλδεαι φίλον ἦτορ,
Μηκέθ' Ἀλίῳ σκόπει
Ἄλλο θαλπνότερον
Ἐν ἀμέρᾳ φαεινὸν ἄστρον
Ἐρήμας δι' αἰθέρος·
Μήδ' Ὀλυμπίας ἀγῶνα
Φέρτερον αὐδάσομεν.
Si verò certamina canere
Cupis, o *carum cor*,
Non amplius Sole considera
Aliud foventius
Interdiu lucidum astrum
Desertum (vacuum) *per aetherem:*
Neque Olympia certamen
Praestantius loquemur.

ubi vides Poetam dirigentem orationem ad suum animum, et ponentem subjectum sui carminis supra omnia alia. Verba haec בל עליך reddi possunt etiam, *non* est *super te*, videlicet, non est Deus alius te superior: sed illud praestat.

V. 4. *Multi erunt dolores eorum etc.* e contrario, qui aliis, quàm Domino, fidunt, isti pro bonis, quibus ego cumulatus gaudeo, doloribus afficientur. In verbo masculino ירבו *Multi-erunt* cum nomine foeminineo עצבות *dolores* notandus est soloecismus generis non insuetus Orientalibus. At si cui minus placet ratio soloecismi, is commodè reddat citra diversitatem sensus, *Intumescent iris suis*, nam verbum רבה in Arabica Dialecto valet etiam *intumuit*, ut equus ex cursu, *anhelavit altiore spiritu;*

et radix עצב cum Ghàin et Tzade notat *iratus est*, unde nomen עצב *ira*, quo sensu adhibetur Ebraeis *Genes.* 6. *v.* 6. *Jes.* 63. *v.* 10. Cum hoc sensu concinit Horatius *Lib.* 1. *Od.* 13. *v.* 3. *seq.* inquiens,

vae! meum
Fervens difficili bile tumet jecur.

et Homerus *Iliad.* 9. *v.* 549. *seq.*

Ἀλλ' ὅτε δὴ Μελέαγρον ἔδυ χόλος, ὅς τε καὶ ἄλλων
Οἰδαίνει ἐν στήθεσσι νόον πύκα περ φρονεόντων.

At quando jam Meleagrum subiit ira, quae et aliorum
Inflat in pectoribus mentem rectè licèt sapientium etc.

et inferiùs *cit. loc.* *v.* 642. *seq.*

Ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ, ὁππότ' ἐκείνου
Μνήσομαι.

Sed mihi tumet cor irâ, quoties illius
Recordor.

qui alium dotaverunt, qui, dote constituta, ut in negotio conjugii, alium, praeter verum, elegerunt sibi Deum; vel, ut cum Virgilio loquar, alterius dexterae sese dotales permiserunt *Aeneid.* 4. *v.* 104. Quoties gens in clientelam alicujus Dei, quem publico consilio elegissent, se dabat, quia id fiebat per quamdam conjugii speciem, ei dotis nomine terram suam assignabat, quae hinc dicitur *maritata* in Jesaia *cap.* 62. *v.* 4. *seq.* ubi Vates consolatur Tzionem et Jerusalaimam his verbis: *Non dicetur tibi ultra* derelicta, *et terrae tuae non dicetur amplius* desolata; *sed tibi vocabitur* oblectatio mea in ea, *et terrae tuae* maritata: *quia oblectatus est Dominus in te, et terra tua maritabitur. Nam ut habet juvenis virginem* sic *habebunt te filii tui: et gaudio sponsi super sponsam, gaudebit super te Deus tuus.* Confirmatur id potestate et usu vocis בעל *bàal*, qua significatur *dominus* et *maritus*, et insu-

per adhibetur ut *generale nomen Deorum gentilium*, a quibus regiones et urbes, in clientelam datae, denominationes suas accipiunt. Adi Van-Dale de *Orig. et Progr. Idolol. cap.* 2. *pag.* 18. *seq.* Ista religio ab Orientalibus transiit ad Graecos et ad Romanos, teste praeter alios Ovidio *Lib.* 3. *Fastor. v.* 81. *seqq.*

Pallada Cecropidae, Minoia Creta Dianam,
Vulcanum tellus Hypsipylea colit.
Junonem Sparte Pelopeiadesque Mycenae,
Pinigerum Fauni Maenalis ora caput.
Mars Latio venerandus erat.

ubi vide Ciofanum. Huc spectant etiam *certae agrorum portiones*, Diis publicè, aut etiam privatim consecratae, quae Graecis ἄλσος, *lucus*, et τέμενος *ager separatus* dicuntur. De priori voce parvus Scholiastes Homeri ad *Iliad.* 2. *v.* 506. ubi Poeta *Onchestrum*, Beotiae urbem, vocat ἱερὸν Ποσιδήιον ἀγλαὸν ἄλσος, *sacrum Neptunium pulchrum lucum*, ita scribit: Πᾶς τόπος σύνδενδρος, ὕδωρ ἔχων, καὶ Θεοῖς ἀφιερωμένος, ἄλσος καλεῖται. *Omnis locus arboribus consitus, aquam habens, et Diis consecratus, lucus appellatur*. Sed operae pretium est descriptionem luci peraccuratam afferre ex ipso Homero *Odyss.* 17. *v.* 204. *seqq.*

Ἀλλ' ὅτε δὴ στείχοντες ὁδὸν κάτα παιπαλόεσσαν
Ἄστεος ἐγγὺς ἔσαν, καὶ ἐπὶ κρήνην ἀφίκοντο
Τυκτὴν, καλλίρ〈ο〉ον, ὅθεν ὑδρεύοντο πολῖται,
Τὴν ποίησ' Ἴθακο;, καὶ Νήριτος, ἠδὲ Πολύκτωρ,
Ἀμφὶ δ' ἄρ' αἰγείρων ὑδατοτρεφέων ἦν ἄλσος
Πάντοσε κυκλοτερὲς, κατὰ δὲ ψυχρὸν ῥέεν ὕδωρ
Ὑψόθεν ἐκ πέτρης, βωμὸς δ' ἐφύπερθε τέτυκτο
Νυμφάων, ὅθι πάντες ἐπιρέζεσκον ὁδῖται·
Ἔνθά σφεας ἐκίχαν' υἱὸς Δολίοιο Μελανθεὺς,
Αἶγας ἄγων, αἳ πᾶσι μετέπρεπον αἰπολίοισι,

Δεῖπνον μνηστήρεσσι.

Sed quando jam euntes (Ulysses et Eumaeus) *viam per asperam*
Urbem prope erant, et ad fontem pervenerunt
Structum, pulchrè-fluentem, unde aquabantur cives,
Quem fecerat Ithacus, et Neritus, et Polyctor,
Circum autem alnorum aquaticarum erat lucus
Undique rotundus, frigida autem defluebat aqua
Altè ex petra, ara autem desuper facta erat
Nympharum, ubi omnes sacrificabant viatores:
Illic ipsos invenit filius Dolii Melantheus,
Capras agens, quae omnibus antecellebant gregibus,
Prandium procis.

Ex verbis *capras agens* discimus, innutritas fuisse in his lucis victimas Diis immolandas: nam et paulo post Eumaeus in supplicatione ad Nymphas, quarum in honorem ibi extructa erat ara, ait *cit. loc. v.* 240. *seqq.*

Νύμφαι κρηναῖαι, κοῦραι Διὸς, εἴ ποτ' Ὀδυσσεὺς
Ὕμμ' ἐπὶ μηρί' ἔκηε καλύψας πίονι δημῷ
Ἀρνῶν ἠδ' ἐρίφων, τόδε μοι κρηήνατ' ἐέλδωρ,
Ὡς ἔλθοι μὲν κεῖνος ἀνὴρ, ἀγάγοι δέ ἑ Δαίμων.

Nymphae fontanae, filiae Jovis, si unquam Ulysses
Vobis femora combussit cooperiens pingui adipe
Agnorum et haedorum, hoc mihi perficite votum,
Ut veniat ille vir, ducatque ipsum Deus etc.

Sed hos lucos suppeditasse hostias pro Diis tutelaribus, planè evincunt verba, *ubi omnes sacrificabant viatores cit. loc. v.* 211. neque enim credere fas est, eas aliunde attulisse, aut arcessivisse viatores. Luculentissimè verò confirmat id locus Horatii *Lib.* 3. *Od.* 23. *v.* 9. *seqq.*

Nam quae nivali pascitur Algido
Devota quercus inter et ilices,
Aut crescit Albanis in herbis,

Victima Pontificum securim
Cervice tinget.

Ex eo, quod istic *victima* dicitur *devota,* dum adhuc *pascitur,* aut *crescit,* indubium nascitur argumentum, montem *Algidum* unà cum *Albanis herbis* ad id fuisse rite consecratum, ut inde victimae pro re sacra faciunda abducerentur. Neque vereor, ne toto coelo aberrem, si hoc idem statuam de *lucis,* quorum passim fit mentio in Scriptura, in quibus erant idolorum arae, qualis ille fuit, de quo Dominus praecipit ad Gidonem, *Et destrues altare Baalis quod est patri tuo, et lucum qui est juxta illud succides. Jud.* 6. *v.* 25. Pro etymo hujusce vocis ἄλσος *lucus* statuitur a Grammaticis verbum ἀλδαίνομαι *augeor, cresco;* cujus derivationis habita ratione, Horatius *cit. loc.* dicit *pascitur,* et *crescit.* Altera voce τέμενος Graeci veteres significaverunt *agrum,* a reliqua terra *abscissum,* et *sejunctum,* (tanquam a verbo τέμνω *seco,* quod est ex simpliciori τέμω) atque ita Deo alicui factum sacrum: etenim priscis temporibus, quum nondum templorum struendorum aut ratio constaret, aut mos invaluisset, Deos quoque honorabant in isto τεμένει, h. e. *disterminata,* et ad cultum divinum consecrata, terrae *portione,* ubi ara de vivo cespite solebat erigi, suffimentis adoleri etc. Vide Damm et Lennep ad *dd. voces,* et Feithium *Lib.* 1. *Antiq. Homer. cap.* 3.

non libabo libationes eorum de sanguine, palam profitetur aversionem a religiosis caeremoniis, quas adhibere solent idololatrae: etenim qui nititur et gloriatur cultu et tutela veri Numinis, is inter laudes ipsius memorare tenetur vanitatem Deorum mendacium, et testificari eorum contemptum, *Ps.* 115. *v.* 3. *seqq.* unde dolor et indignatio iis, qui

istos colunt 2. *Machab*. 7. *v*. 3. Mos erat idololatris ad exitum mensae, antequam biberent, vini aliquid effundere in mensam e patera, idque in honorem cùm Deorum suorum, tum mensae ipsius: mensa enim veteribus pro ara fuit, et sacrum quoddam; ideoque ut Diis libabatur, ita et mensae. Dido apud Virgilium *Aeneid*. 1. *v*. 740. *seq*.

. . . . in mensa laticum libavit honorem,
Primaque libato summo tenus attigit ore.

et *Lib*. 8. *v*. 278. *seq*.

Ocius omnes
In mensam laeti libant, Divosque precantur.

Vide Cerdanum ad utrumque locum. Homerus facit Heroas suos in *terram*, non in *mensam*, libantes *Iliad*. 7. *v*. 480. *seq*.

Οἶνον δ᾽ἐκ δεπάων χαμάδις χέον, ὐδέ τις ἔτλη
Πρὶν πιέειν, πρὶν λεῖψαι ὑπερμενέϊ Κρονίωνι.

Vinum ex poculis in terram fundebant, nec ullus sustinuit
Ante bibere, quàm libasset praepotenti Saturnio.

Apud ethnicos libationes aliae erant *religiosae*, quae in *sacris*, aliae *profanae*, quae in *profanis epulis* adhiberi solebant: adi Macrobium *Lib*. 3. *Saturnal. Cap*. 11. At in sacris Voluminibus non occurrunt nisi libationes super victimas tantùm *Num*. 28. *v*. 7. 14. *Cap*. 29. *per tot. Hos*. 9. *v*. 4. et jure quidem; nam quae in mensam, aut in terram fiebant, sicut ex dictis patet, redolent idololatriam. Memorantur tamen in Ebraeorum conviviis benedictiones, seu gratiarum actiones, quae a patrefamilias recitabantur, poculo in altum sublato, *Calicem salutum attollam: et in nomine Domini clamabo*. *Ps*. 116. *v*. 13. qua de re vide Paulum Fagium ad *Deut*. 8. *v*. 10. Hae benedictiones caussam dedisse videntur ritibus idololatricis, de quibus paulo ante:

et quum alibi David se faciat hospitem et convivam Domini, dicens, *Dispones ad facies meas mensam coram adversariis meis: impinguabis* (vel *unges*) *in oleo caput meum, calix meus redundantia. Ps.* 23. *v.* 5. inde inferre licet praesentiam Numinis ad mensam, et quandam mensae religionem. Pro mea sententia notanda sunt verba, *Dispones ad facies meas mensam coram adversariis meis*, ad quae Clericus commentatur: Videntibus inimicis meis, copiosè mihi suppeditabis, unde me et exercitum meum alam; qua re iis non exiguus dolor creabitur. Quod verò ait מדם *de sanguine*, id ego sic accipio: Non libabo libationes eorum (dotantium, qui libabant, et dotatorum, quibus libabatur) perinde ac si essent de sanguine, quae Ebraeis erant perquam abominabiles: vel *prae sanguine*, ac si dicat per summam detestationem, magis abominor libationes eorum in mensam, vel in terram, quàm libationes sanguineas. Quantum ad fusiones sanguinis apud gentiles, bae fiebant in exequiis inferorum, testantibus Virgilio 3. *Aeneid.* 67. *et Lib.* 5. *v.* 78. et Statio 6. *Theb. v.* 211. *seq.* nec habent hìc locum, ubi de libationibus in mensam vel in terram inter laeta convivia.

et non attollam nomina eorum super labia mea, non proferam instrumento labiorum meorum, et sic clara voce, nomina idolorum illorum, juxta interdictum, *nomen Deorum aliorum non memorabitis, non audietur super os tuum. Exod.* 23. *v.* 13. Dicit autem hoc propter preces, quae libationem anteibant, et in quibus necessariò enuncianda erant idolorum nomina: loco multorum Auctorum mihi sit unus Virgilius, penes quem Dido, quae Orientalium mores et religiosa dogmata secum e Tyro attulerat, in famigerata illa coena post primam

mensam et ante libationem, sic precatur 1. *Aeneid.* *v.* 735. *seqq.*

Jupiter (hospitibus nam te dare jura loquuntur)
Hunc laetum Tyriisque diem Trojaque profectis
Esse velis, nostrosque hujus meminisse minores.
Adsit laetitiae Bacchus dator, et bona Juno:
Et vos o coetum Tyrii celebrate faventes.

Dein prosequitur Poeta:

Dixit, et in mensa laticum libavit honorem,
Primaque libato summo tenus attigit ore.

De idololatricis verò conviviis etiam sub regno Davidis nos dubitare non sinunt Baalimorum cultores, qui in Israelitica dictione numquam defuerunt.

V. 5. *Dominus pars divisionis meae et calicis mei*, continuatur sermo ductus a re convivali. Vox מְנָת habet in statu constructo Kamètz pro Patàch, quia est ex forma aucta מְנָתָה, ut ישועתה *omnimoda salus Ps.* 3. *v.* 3. quae forma in contractione abjicit postremam syllabam תָ, et distinctionis ergo a simplici forma מְנָה retinet primum Kamètz etiam in statu constructo. Vide similem formam in voce נחלת *vers. seq.* et adi Schroederum *Gr. Hebr. pag.* 142. *n.* ε. Haec autem dictio, vi sui thematis מנה *certa quantitate certoque modo quid definivit* alicui, significat *partem certa quantitate definitam*, quae significatio aptè convenit argumento. Solebat enim paterfamilias, vel δαιτρὸς, *divisor*, seu *coquus*, panem, carnem, vinum, et bellaria aequis portionibus distribuere inter convivas, unde toties apud Homerum in negotio conviviorum δαὶς ἐΐση, *daps aequalis*. Illud *divisionis meae*, quia sequitur *et calicis mei*, h. e. vini mihi distributi, accipiendum est specialiter de *carne* inter convivas *divisa*, uti

suadet Homeri locus huic nostro planè similis *Odyss.* 8. *v.* 470.

Οἱ δ' ἤδη μοίρας τ' ἔνεμον, κερόωντο τε οἶνον.

Hi verò jam portiones distribuebant, miscebantque vinum.

ubi vox μοίρας *portiones*, denotat partes carnis; nam inferiùs Ulysses, abscissa carnis portione e suis tergo, quod multum adhuc supererat, dicit praeconi *cit. loc. v.* 477.

.... τῆ δὴ τοῦτο πόρε κρέας, ὄφρα φάγῃσι,
Δημοδόκῳ.

.... *accipe hanc praebe carnem, ut comedat, Demodoco.*

Patet igitur, hìc loci innui definitam carnis et vini quantitatem, pro qua David ait sibi esse Dominum.

tu ampliabis sortem meam, viri principes, et quicumque meritis suis, fortibusque factis prae caeteris excellebant, nec non qui cariores erant domino convivii, isti partes optimas, et etiam majores, quàm reliqui, accipiebant, ut Diomedes, ad quem Hector *Iliad.* 8. *v.* 161. *seq.*

Τυδείδη, περὶ μέν σε τίον Δαναοὶ ταχύπωλοι
Ἕδρῃ τε, κρέασίν τε, ἰδὲ πλείοις δεπάεσσι.

Tydide, prae caeteris quidem te honorabant Danai pernices-equites
Sedilique, carnibusque, et plenis poculis.

et Idomeneus, quem sic alloquitur Agamemnon *Iliad.* 4. *v.* 261. *seqq.*

Εἴπερ γάρ τ' ἄλλοι γε καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ
Δαιτρὸν πίνωσιν, σὸν δὲ πλεῖον δέπας αἰεὶ
Ἕστηχ' ὥσπερ ἐμοί, πιέειν ὅτε θυμὸς ἀνώγοι.

Nam etsi caeteri comantes Achivi
Demensum bibunt, tuum tamen plenum poculum semper.

Stat, ut mihi, ut libas, quando animus jubet.
De illis, qui cariores erant domino convivii, legitur in sacra Historia, quòd Josephus in convivio cum fratribus suis, *Cepit fercula a faciebus suis ad eos et multiplicavit ferculum Binjamini prae ferculis omnium eorum quinque partibus. Genes.* 43. *v.* 33. Adde 1. *Sam.* 1. *v.* 5. תוסיף est futurum Hiphil a radice סך *latus, amplus fuit.* Per *sortem* intellige partem, quae cuique sorte obtingit pro ordine collocationis ad mensam, de quo Stuckius *Lib.* 2. *Antiq. conviv. Cap.* 35. Plura de toto argumento dabunt Stuckius modò laudatus *Lib.* 3. *Cap* 3. Potterus *Lib.* 4. *Archaeol. Gr. Cap.* 20. Feithius *Lib.* 3. *Antiq. Homer. Cap.* 5.

V. 6. *Funes ceciderunt mihi in amoena*, prosequitur in eodem argumento benevolentiae per allusionem ad assignationem terrae, quae fit vel in publicis agris dividundis, vel etiam in peculiari adtributione, ut infra videbimus. Ait, Funes mensorii, quibus scil. dimetiri solet terra inter plebem distribuenda, vel cuipiam specialiter assignanda, mihi ceciderunt in loca amoena, qualia ex. gr. sunt καλὰ Τέμπεα, *pulchra Tempe*, apud Theocritum *Idyll.* 1. *v.* 67. quae Plinius ita describit *Lib.* 4. *Cap.* 8. *Segm.* 15. *Et ante cunctos claritate Peneus, ortus inter Gomphos; interque Ossam et Olympum nemorosa valle defluens quingentis stadiis, dimidio ejus spatii navigabilis. In eo cursu Tempe vocantur quinque mill. passuum longitudine, et ferme sesquijugeri latitudine, ultra visum hominis attollentibus se dextra laevaque leniter convexis jugis. Intus sua luce viridante allabitur Peneus viridis calculo, amoenus circa ripas gramine, canorus avium concentu.* Istic ad vocem *Tempe* Harduinus notat » Τέμπος Aeolibus idem est, quod τέμενος » Quoad ver-

bum נפל *cecidit*, istud, quum agitur de terra dividenda per *sortem*, conjungitur cum *funibus* mensoriis, qui inter mensurandum *cadere* dicuntur in terram, ut *h. loc.* et *Jehos.* 17. *v.* 5. et cum *terra* ipsa, quae sorte distribuitur, ut *Jechiz.* 47. *v.* 14.

etiam possessio reniduit super me, est mihi loco splendidi ornamenti, quo conspicuus incedo: vide paulo inferius loquutionem Sarpedonis ad Glaucum *Iliad.* 12. *v.* 310. *seqq.* Dictio נחלת est ex forma aucta נחלתה pro נחלה, et postea contracta per ablationem ultimae syllabae, prout notavimus ad vocem מנת *vers. sup.* Ea, pro sui thematis נחל proprietate, quae Auctore Wilmeto est *cribravit, secrevit* farinam a furfuribus, et hinc translatione facta ad portiones excerptas, *largitus fuit* donum, *affecit* eo, significat quamdam publici agri partem, Graecis τέμενος dictam, quae viris fortibus et Regibus pro honore assignabatur, ut generaliter tradit Aristides *Tom. I. Orat. pag.* 22. *pr. edit.* 1604. *βασιλεῦσι καὶ ἡγεμόσι τεμένη καὶ χώρους ἐξαιροῦσιν. Regibus et Ducibus agri-portiones et fundos seligunt.* Afferam et specialia exempla: Proetus, cognita Bellerophontis virtute, *Iliad.* 6. *v.* 193. *seqq.*

Δῶκε δέ οἱ τιμῆς βασιληΐδος ἥμισυ πάσης.
Καὶ μέν οἱ Λύκιοι τέμενος τάμον ἔξοχον ἄλλων,
Καλὸν φυταλιῆς καὶ ἀρούρης, ὄφρα νέμοιτο.
Dedit ei honoris regii dimidium totius.
Quin et Lycii portionem agri sciderunt praestantem caeteris,
Bonam arboribus et arvis, ut coleret.

Istic τέμενος conjungitur cum suo themate τέμνω. Sarpedon Glaucum incitat ad pugnam commemorando honores, quibus ambo afficiebantur a Lyciis *Iliad.* 12. *v.* 310. *seqq.*

Γλαῦκε τίη δὴ νῶϊ τετιμήμεσθα μάλιστα

Ἕδρῃ τε, κρέασίν τε, ἰδὲ πλείοις δεπάεσσιν
Ἐν Λυκίῃ, πάντες δὲ Θεὸς ὡς εἰσορόωσι,
Καὶ τέμενος νεμόμεσθα μέγα Ξάνθοιο παρ᾽ ὄχθας,
Καλὸν φυταλιῆς, καὶ ἀρϐρης πυροφέροιο;
Glauce, curnam nos honorati sumus maximè
Sedeque, carnibusque, et plenis poculis
In Lycia, et omnes ut Deos nos aspiciunt,
Et agri portionem colimus magnam Xanthi ad ripas,
Pulchram arboribus, et terra frugifera?

Istic pariter ager, quem ait utrumque colere, dicitur τέμενος, videlicet e publico assignatus. Achilles Aeneam rogat, num ad se caedendum venerit spe τεμένυς *agri* a Trojanis promissi *Iliad.* 20. *v.* 184. *seqq.*

Ἦ νύ τί τοι Τρῶες τέμενος τάμον ἔξοχον ἄλλων,
Καλὸν φυταλιῆς καὶ ἀρϐρης, ὄφρα νέμηαι,
Αἴκεν ἐμὲ κτείνης;
An verò tibi Trojani agrum sciderunt praestantem caeteris,
Pulchrum arboribus et terra, ut colas,
Si me interfeceris?

Etiam hìc junguntur τέμενος et τάμον. Ascanius praemium bellicae virtutis pollicetur Niso *Aeneid.* 9. *v.* 274.

. . . . . *campi quod rex habet ipse Latinus.*

V. 7. *Benedicam Dominum*, bonitatem ejus erga me favoribus et beneficiis declaratam praedicabo, eique gratias agam.

qui (vel *quia*) *consilium-suggessit mihi*, Pallas ad Jovem *Iliad.* 8. *v.* 36. *seq.*

Βυλὴν δ᾽ Ἀργείοις ὑποθησόμεθ᾽, ἥτις ὀνήσει,
Ὡς μὴ πάντες ὄλωνται, ὀδυσσαμένοιο τεοῖο.
Consilium verò Argivis suggeremus, quod proderit,
Ut ne omnes pereant, irato te.

etiam noctes corripuerunt (vel *erudierunt*, vel *docuerunt*) *me* quoad *renes meos*, istic *noctes* mihi est nominativus agens, et *renes* accusativus, quem regit praepositio *quoad*, vel *circa*, quae subauditur; etenim si *renes* sunt sedes libidinis, cupiditatum, aliarumque humanarum passionum, profectò iis magis convenit *corripi*, quàm *corripere*. Per *noctes* verò poeticè intelligo χρηματισμὸν, *Oraculum* divinum, quod noctu per somnum accipiebatur, cujusmodi fuit somnium Magorum et Josephi *Matth.* 2. *v.* 12. 13. 19. ubi vide Wetstenium; et somnium Agamemnonis, quod Homerus narrat *Iliad.* 2. *a vers.* 5. *ad plur. seqq.* De Oraculorum negotio Macrobius *in Somn. Scip. Lib.* 1. *cap.* 3. scribit: *Et est Oraculum quidem, quum in somnis parens, vel alia sancta gravisque persona, seu Sacerdos, vel etiam Deus, apertè eventurum quid, aut non eventurum, faciendum vitandumve denunciat.* Pro adminiculo meae explanationis id etiam addo, quòd David facit hìc noctem sui correptricem, ut Jobus eam facit sui conceptus nunciatricem, inquiens, *Pereat dies* quo *natus sum in eo: et nox* quae *dixit*, *conceptus est homo. cap.* 3. *v.* 3. ubi vide sodes Schultensium. De *Nocte* personificata, imo a gentilibus habita pro Dea, adi Gyraldum *Syntag.* 1. *col.* 59. *seq.*

Sententia totius versus est, quòd Dominus monuerit Davidem, ut sibi caveret ab erroribus idololatrarum, ipsumque pro sua portione eligeret, interdiu quidem per inspirationes, noctu autem per oracula non sine increpatione. Dicit autem pluraliter *noctes*, ad significandam iterationem oraculorum et correptionum.

V. 8. *Posui*, scilicet in animo: quum tot ac tantas victorias de hostibus manifestis et occultis retulerim, id mihi in animo fixum inmotumque

sedit, quòd *Dominus ante me* stat *jugiter* ad defendendum contra illorum tela, Homerus de Minerva tutante Menelaum *Iliad.* 4. *v.* 129.

Ἦ τοι πρόσθεν στᾶσα βέλος ἐχεπευκὲς ἄμυνεν.

Quae quidem antè stans, sagittam amaram defendit.

Idem usus verbi שית *posuit* occurrit *Jes.* 38. *v.* 13.

quia est a dextera mea, nequaquam dimovebor, latus dexterum bellatoris est locus, quem tenet Numen, dum adstat ad rem pro eo gerendam contra adversarium: vide ad *Ps.* 110. *v.* 5. Id etiam posui in animo meo, quòd in pugna stat Dominus penes dexteram meam, ne vacillem, neque dimovear de statione mea, praevalente adversario, eique cedam inferior. Homerus de Venere adstante Paridi *Iliad.* 4. *v.* 10. *seq.*

. . . . τῷ δ' αὖτε φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη
Αἰεὶ παρμέμβλωκε, καὶ αὐτοῦ κῆρας ἀμύνει.

. . . . *huic verò* (Paridi) *risum-amans Venus*
Semper adest, et ab ipso fata defendit.

V. 9. *Idcirco laetatum est cor meum,* ob sortem, quae mihi divinitus contigit: cor est sedes laetitiae et moeroris. Confer *Iliad.* 1. *v.* 395. *Odyss.* 20. *v.* 18.

et exultavit gloria mea, כבוד *gloria* est θυμὸς, *animus, vita,* pars hominis potior et dignior.

etiam caro mea habitabit in fiducia, insuper et corpus meum, post mortem, quiescet in sepulchro cum fiducia: quae sit ista spes, dicitur in *vers. seq.* Verbum שכן usurpatur de *habitatione* cùm in domo, qui ejus est ordinarius usus, tum in sepulchro, ut apud Jesaiam *cap.* 22. *v.* 16. ubi vide Schultensium in *Animadv.* et apud Arabsiadem in *Vit. Tim. Tom. II. pag.* 508. *lin.* 2. שכנוא *habitant sepulchrum,* mutato de more Shin in Sin.

V. 10. *Siquidem non deseres animam meam in Inferno*, in eo loco, ubi detinentur manes justorum, sed inde, ubi Messias lytrum persolverit, eam extrahes; atque hinc habitatio cum fiducia in sepulchro *vers. sup.*

non dabis sanctum tuum videre Foveam, legitur singulariter חסידך *sanctum tuum*, de Davide, et unoquoque sanctorum, sed scribitur pluraliter חסידיך *sanctos tuos*, de omnibus sanctis. שחת *Fovea*, propriè *locus corruptionis* et *perditionis*, hic est באר שחת *Puteus Foveae*, altera ex Inferni regionibus, quae memoratur *Ps.* 55. *v.* 24. nimirum, ut transfert Interpres Caldaeus, גהנם עמיקא *Gehenna profunda*, et ut est apud Johannem φρέαρ τῆς ἀβύσσȣ, *Puteus abyssi Apocal.* 9. *v.* 1. unde exire non datur in aeternum. Quum haec David caneret de se aliisque justis viris, Spiritu Sancto vehementius afflatus, ea sic extulit, ut in Messiam longè luculentius quadrent, prout ex veteris Synagogae sententia eloquuntur Apostoli: *Praescius* (David) *loquutus est de Resurrectione Christi, quòd non derelicta sit anima ejus in Inferno, neque caro ejus viderit corruptionem. Act.* 2. *v.* 31. et inferiùs, *At* is, *quem Deus suscitavit, non vidit corruptionem. Cap.* 13. *v.* 37. Et sanè David caeterique viri sancti omnes viderunt (experti sunt) *corruptionem* corporis, quae est propria significatio vocis שחת.

V. 11. *Scire facies me semitam vitarum satietatem laetitiarum*, quum lytro persoluto extractus fuero ex Inferno, monstrabis mihi viam, quae ducit ad eam vitam, quam qui degent, omni laetitiarum genere saturabuntur.

facies tuas, indicat veluti fontem, unde scaturiet saturitas laetitiarum, visionem nempe Dei.

jucunditates in Dextera tua purum putum, in

ejusdem sententiae repetitione, per modum explanationis ait, facies me compotem gaudiorum tuorum per Eum, qui sedet ad dexteram tuam, qui est Messias, idque in aeternum. Vide *Ps. seq.* v. *ult.* et confer *Ps.* 110. *v.* 1.

PSALMUS XVII.

ARGUMENTUM

David sua innocentia fretus Deum rogat, ut de se judicium ferat in negotio cum adversariis suis: postremò temporariae istorum felicitati aeternam opponit, qua se fruiturum sperat.

V. 1. Oratio, Davidis. Audi Domine justitiam, ausculta clamorem meum, auribus percipe orationem meam: in non labiis doli.

2. Ab ad facies tuas judicium meum exeat: oculi tui, vident rectitudines.

3. Explorasti cor meum visitasti nocte, conflasti me nihil invenisti: capistravi, non transgrediatur os meum.

4. Quoad opera hominis in verbo labiorum tuorum: ego observavi, semitas effractoris.

5. Sustentando gressus meos in orbitis tuis: nequaquam dimoti sunt pedes mei.

6. Ego invocavi te quia exaudies me Deus: Inclina aurem tuam, et audi eloquium meum.

7. Distingue pietates tuas servans confidentes: ab insurgentibus, in dextera tua.

8. Custodi me ut homunculum filiae oculi: in umbra alarum tuarum, abscondas me.

9. A faciebus improborum qui vastant

me: inimicorum meorum in anima, percutiunt super me.

10. Adipe suo obturant: ore suo, loquuntur in superbia.

11. Gressu nostro nunc circumdant me: oculos suos ponunt, ad deflectere in terram.

12. Similitudo ejus, ut leo expetit discerpere: et ut leunculus, sedens in latibulis.

13. Surge Domine, anteveni facies ejus procumbere-fac eum: eripe animam meam, ab improbo gladio tuo.

14. Ab hominibus manu tua Domine ab hominibus de mundo, pars eorum in vitis, et abscondito tuo implebis ventrem eorum, saturabuntur filii: et relinquent residuum suum parvulis suis.

15. Ego in Justitia videbo facies tuas: satiabor in expergisci Imaginem tuam.

COMMENTARIUS

V. 1. *Audi Domine* צדק *justitiam*, meam, aut *veracitatem*, propter verba *in non labiis doli*, h. e. labiis non dolosis neque mendacibus. Sophocles in *Ajac. v.* 1180. *seq.*

αἴσχιστον κλύειν
Ἀνδρὸς ματαίου φλαῦρ' ἔπη μυθουμένου.

turpissimum est *audire*
Hominem mendacem inania verba effutientem.

Notanda fundamenta auscultationis: *justitia*, seu *veracitas*, qua fretus adit Judicem: *clamor*, ob injustam et violentam insectationem: *oratio*, ut medium conciliandi sibi Numinis benevolentiam.

V. 2. *Ab ad facies tuas*, (de hac phrasi vide quae ad *Ps.* 51. *v.* 13. notantur) *judicium meum exeat*, rogo, ut a te, non ab hominibus, prodeat judicium de me, h. e. de cogitationibus, verbis, et operibus meis, quia *oculi tui vident rectitudines*, i. e. rectissimè, longè aliter, ac oculi hominum; vel *rectitudines* meas.

V. 3. *Explorasti cor meum*, id quod homo facere nequit: cor est sedes cogitationum, a quibus, ut par est, initium sumit examinis: *visitasti nocte*, quando liberiùs homo spatiatur per cogitationes: *conflasti me*, liquasti me, ut metallum igne: *nihil invenisti*, nec deprehendisti scorias, i. e. pravas cogitationes: *capistravi* ut *non transgrediatur os meum*, a cogitationibus transiens ad verba dicit, capistro veluti substrinxi os meum, ne quis mihi exprobret, ποῖον σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; *quale tibi verbum effugit e septo dentium? Iliad.* 4. *v.* 350.

V. 4. *Quoad opera hominis in verbo labiorum tuorum*, tertia pars examinis: quantum ad opera, quae imputantur homini, ego, mandatis tuis insistens, *observavi semitas effractoris*, cavi mihi, ne incederem per vias illius, qui vincula Legis effringit, et officio deest.

V. 5. *Sustentando gressus meos in orbitis tuis*, ut qui arte quadam sibi cavet a lapsu. Similis loquutio extat apud Silium Italicum *Lib.* 3. *Punic. v.* 631 *seqq.* de Hannibale Alpes transeunte:

Ductor Agenoreus, tumulis delatus iniquis,
Lapsantem dubio devexa per invia nisu
Firmabat gressum.

nequaquam dimoti sunt pedes mei, non vacillarunt.

V. 6. *Ego invocavi te, quia exaudies me Deus*, quia exaudire me soles, id quod experientia edoctus

sum; et in invocando dixi, *Inclina aurem tuam, et audi eloquium meum*, nempe id quod eloquitur *ver. seq.*

V. 7. *Distingue*, et *Mirifica*, collatis duabus radicibus פלה et פלא, *pietates tuas*, distincto et mirabili modo ostende mihi misericordias tuas, *servans confidentes: ab insurgentibus, in dextera tua*, o qui servas ab insurgentibus confidentes in dextera tua. Sic ordinanda sunt verba cum Aben Ezra, quidquid alii sentiant in contrarium. De verbo פלה vide ad *Ps.* 4. *v.* 4.

V. 8. *Custodi me ut homunculum filiae oculi*, h. e. ut pupillam oculi, quae sic dicitur ab imaguncula hominis, quae a nobis videtur invicem respicientibus. Adi Lexicon Simonis ad vocem אישון.

in umbra כנפיך *alarum tuarum abscondas me*, metaphora tutaminis et protectionis, ducto emblemate ab aquilarum cura, pullos amplissimis alis complectentium et tegentium: vel *in umbra orarum tuarum* (extremitatum vestis tuae) *obtegas me*, occurrit enim apud Homerum defensio a periculo mortis per expansionem pepli super periclitantem *Iliad.* 5. *v.* 314. *seqq.* ubi Venus in pugna Aeneae cum Diomede

Ἀμφὶ δ' ἑὸν φίλον υἱὸν ἐχεύατο πήχεε λευκώ·
Πρόσθε δέ οἱ πέπλοιο φαεινοῦ πτύγμ' ἐκάλυψεν,
Ἕρκος ἔμεν βελέων, μή τις Δαναῶν ταχυπώλων
Χαλκὸν ἐνὶ στήθεσσι βαλὼν, ἀπὸ θυμὸν ἕλοιτο.
Ἡ μὲν ἑὸν φίλον υἱὸν ὑπεξέφερεν πολέμοιο.

Circum suum dilectum filium fusis complexa est lacertis candidis:
Eumque pepli nitidi plicatura obtexit,
Septum ut esset telorum, ne quis Danaorum pernicium-equitum,
Aere in pectora conjecto, animam eriperet.

Illa quidem suum dilectum filium subducebat praelio.

V. 9. *A faciebus improborum qui vastant me,* abscondas, inquam, me a faciebus improborum, ne videant, neque noceant; namque me *incursant,* quae est primigenia potestas verbi שדד, et *vastant,* nempe ἀεικίζουσι *deformant,* quae est secundaria: prior convenit in Davidem, utraque simul in Messiam. Confer Jesaiam *cap.* 53. *v.* 2. *seqq.*

inimicorum meorum in anima, qui improbi sunt mihi inimici in anima: נפש *anima* hic est *anhelitus irae ac caedis,* ut *Ps.* 27. *v.* 12. *Ps.* 41. *v.* 3. perinde ac si dicat, spirantes iram, et anhelantes caedem, quemadmodum Cicero repraesentat Catilinam *scelus anhelantem Orat.* 2. *in eumd. cap.* 1. et ab Auctore ad Herennium dicitur *anhelans ex intimo pectore crudelitatem. Lib.* 4. *cap.* 55.

qui percutiunt super me, prima potestas verbi נקף est *percussit;* secundaria *pertudit* ovum suum avis rostro: hinc generaliter denotantur vulnera quaevis, quae David sibi timebat ab inimicis suis; luculentissimè verò, applicatione facta ad Messiam, confossiones capitis, lateris, manuum, et pedum *Ps.* 22. *v.* 17. *Joh.* 19. *v.* 37. Praepositio *super* notat percussiones in toto corpore, seu in omni corporis parte, et signanter flagellationem. *Math.* 27. *v.* 26.

V. 10. *Adipe suo,* hinc modos inimicorum suorum describit: arrogantiâ et insolentiâ, quae oritur ex pinguedine, h. e. ex copia divitiarum optimarumque rerum omnium, ut habet etiam Caldaeus, *obturant* os (quae dictio *os* supplenda est ex altera versus parte) pauperiorum atque debiliorum: qui mos est arrogantium divitum, ut coram se tacere faciant pauperes, dum interim ipsi *ore suo loquuntur in superbia,* i. e. elatè, fastuosè. Homerus quo-

que vocat *πιείρας pingues*, urbes opulentas, *Iliad.* 18. *v.* 342.

V. 11. *Gressu nostro*, statim ac ego et socii mei gradimur, h. e. foras prodimus, inimici mei *nunc*, ipso gressionis momento, *circumdant me*, hostili animo. Lectio Textus סבבוני *cirmumdant me*, respicit unum Davidem, mysticè Christum: lectio marginis סבבונו *circumdant nos*, respicit Davidem et comites, mysticè Christum et discipulos. David, de se verba faciens, eloquitur artes et dolos Sacerdotum, Scribarum, et Pharisaeorum, ad capiendum Christum, cujus gerebat figuram. *Matth.* 26. *v.* 3. *Marc.* 14. *v.* 1.

oculos suos ponunt, ad deflectere in terram, interim, dum circumstant me, oculorum obtutum deflexum tenent in terram, ne observare me videantur.

V. 12. *Similitudo ejus*, scil. uniuscujusque ex inimicis meis, vel praecipui inter eos, nimirum Sauli, mysticè Judae proditoris: vult dicere, latet sub velamine simulationis, ut leo in lustro, quando inhiat praedae.

et ut leunculus, sedens in latibulis, repetitio ejusdem rei.

V. 13. *Surge Domine*, patefactis adversariorum dolis, Deum excitat ad ferendum sibi auxilium.

anteveni facies ejus, anteriorem siste te ei, concertandi ac reprimendi caussa: potestatem verbi קדם exprimit Homerus inquiens, *ἀντίος ἦλθε*, *obvius venit*. *Iliad.* 11. *v.* 219.

procumbere-fac, vel *incurva eum*, ad prostrandum in terram: simili modo Agamemnon Jovem precatur adversus Hectorem et milites ejus *Iliad.* 2. *v.* 417. *seq.*

πολέες δ' ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι

Πρηνέες ἐν κονίῃσιν ὀδὰξ λαζοίατο γαῖαν.

multique circa ipsum socii

Proni in pulveribus mordicus prehendant terram.

Hic locus, in quo David rogat Deum, ut se ante adversarium suum sistens, eum incurvet, et prosternet, ob oculos ponit modum, quo duo rixantes utuntur, dum, correptis capronis, se invicem pugnis caedunt. Ista concertatio plus una vice occurrit in Scriptura *Exod.* 2. *v.* 13. *et Cap.* 21. *v.* 22. *Deut.* 25. *v.* 11. 2. *Sam.* 14. *v.* 6. *Jes.* 58. *v.* 4. quibus in locis verbum נצה in Niphàl significat *rixari per mutuam antiarum prehensionem;* et hinc nomen formae participialis נצח, propriè נוצית, est *promicans frontis coma, antiae, capronae*, apud Haririum *Conses.* 1. *pag.* 4. *opponis te contumacia tua illi, qui prehensas tenet* נוציתך *capronas tuas*, h. e. Deo.

eripe animam meam, ab improbo gladio tuo, ab homine improbo, qui est gladius tuus, quo uteris in puniendis iis, contra quos irasceris, vel in affligendis iis, quos probas. Ut hanc expositionem sequar, suadet me locus Jesaiae *Cap.* 10. *v.* 5. ubi Dominus ait: *Vae Assyrio virgae nasi mei* (irae meae): *et baculus* qui *est in manibus eorum* (militum ejus) est baculus *indignationis meae.*

V. 14. *Ab hominibus* (repete e superiori versu *eripe animam meam*) *manu tua*, qui sunt veluti manus tua in flagellandis iis, quibus succenses, quosve probas.

ab hominibus de mundo, i. e. mondanis, *pars eorum*, quorum pars seu portio unicè consistit *in vitis*, accipe simpliciter de tempore vitae, nam commoda vitae notantur sequentibus.

et abscondito tuo, quia sequitur *implebis ventrem eorum*, ego accipio צפין *tsophìn*, vel צפון *tsaphùn*,

de *commeatu reposito in culeo*, qui (culeus) in *Lexico Goliano col.* 1366. dicitur צפן *tsòfnon*, unde Schultensius *Comment. ad Job.* 17. *v.* 4. tribuit Ebraicae radici צפן *tsaphàn*, praeter generalem potestatem *abscondendi* in quolibet loco, etiam specialem *abscondendi in loculo*, sive *involucro crasso* et *coriaceo*. Sane magis poeticum mihi videtur, magisque congruum argumento, ut Deus id, quo implet mundanorum ventrem, figuratè proferre dicatur ex culeo, in quo pastores reponere solent commeatum et utensilia, quàm ex *thesauris suis*, quorum nomine veniunt *bona reservata piis hominibus*, sicut dicitur, *Quàm multum bonum tuum quod* צפנת *recondidisti* (reposuisti in thesauris tuis) *pro timentibus te etc.* Ps. 31. *v.* 20. Nec dedecet tribuere Numini ejusmodi vasa, nam alibi tribuitur *uter. Ps.* 56. *v.* 9. Locum ita concinno: quorum pars, ipsis eligentibus, est in vita, et in copia, qua ex abscondito (culeo) tuo imples ventrem eorum, sic ut, praeter ipsos, saturentur filii, et relinquant residuum suum parvulis suis, i. e. nepotibus: isti homines dici possunt cum Hesiodo κακ' ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον, *mala probra*, *ventres solùm*. *Theog. v.* 26. Lectio contextûs צפין est participium *pail*, lectio marginis צפון est participium *paùl*, utrumpe passivum.

V. 15. *Ego*, ego autem contra ea, *in Justitia*, h. e. per Messiam, qui dicitur *Justitia nostra*, *Jer.* 23. *v.* 6. et *cap.* 33. *v.* 16. *videbo facies tuas*, in altera vita, cujus mundani homines erunt expertes, in tenebras exteriores ejiciendi.

satiabor, bonis, quae mens humana non capit, *in expergisci Imaginem tuam*, quando resurget a mortuis Christus, ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ, *qui est Imago Dei.* 2. *ad Cor.* 4. *v.* 4. Ad istam *Imaginem* spe-

ctat et hic alter locus *Epist. ad Hebr. Cap.* 1. *v.* 3. Ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *Qui quum sit Effulgentia Gloriae, et Character Hypostaseos illius etc.* Ἀπαύγασμα propriè est *splendor* ab alio quodam descendens, et ad ejus modum efformatus; et respondet dictioni Rabbinorum et Talmudistarum קלסתור, quae et *similitudinem faciei*, et *splendorem*, sive *pulchritudinem* denotat. Christus ergo vi hujus vocis eadem, qua Deus Pater, gloria et splendore fulgere, h. e. ipsi aequalis esse, dicitur. Vide in *Lex. Pasoris col.* 185. *edit. Lips.* 1735. Altera dictio δόξης, *gloriae*, declaratur per ea, quae sequuntur, *Character*, imago impressa, *Hypostaseos*, Personae, *illius*, Dei. Confer hic *Num.* 12. *v.* 8.

PSALMUS XVIII.

ARGUMENTUM

David, constitutis rebus regni, Carmen hoc epinicium composuit, quo stato die gratias Deo ageret pro relatis victoriis omnibus, praesertim pro liberatione e manu Sauli.

V. 1. Praefecto Servi Domini, Davidis qui loquutus est Domino verba Cantici hujus: in die *quo* eripuit Dominus eum de vola omnium inimicorum ejus, et de manu Sauli.

2. Et dixit, Diligam te Domine Robur meum.

3. Dominus Petra mea et Arx mea, et Liberator meus Fortis meus Rupes mea confugiam in eam: Clypeus meus et Cornu Salutis meae, Sublimitas mea.

4. Laudatum invocabo Dominum: et ab inimicis meis servabor.

5. Concluserunt me funes Mortis: et fluvii Belijaàlis perterruerunt me.

6. Funes Orci circumdederunt me: obviaverunt mihi laquei Mortis.

7. In angustia mihi Invocabo Dominum, et ad Deum meum clamabo, audiet de palatio suo vocem meam: et vociferatio mea ad facies ejus introibit in aures ejus.

8. Et mota est et tremuit terra, et fundamenta montium contremuerunt: et moverunt se, quia exarsit ei.

9. Ascendit fumus in naso ejus et ignis ex ore ejus devorabit: carbones accensi sunt ex eo.

10. Et inclinavit Coelos et descendit: et caligo sub pedibus ejus.

11. Et equitavit super Cerubo et volavit: et volavit, super alis venti.

12. Posuit tenebrositatem velum suum, circuitus suos tegmen suum: obscuritatem aquarum obnubilationes Coelorum.

13. Ex fulgore, coram eo nubes ejus transierunt: grando, et carbones ignis.

14. Et tonuit in Coelis Dominus, et Altissimus dedit vocem suam: grandinem et carbones ignis.

15. Et misit sagittas suas et dispersit eos: et fulgura jaculatus est, et liquefecit eos.

16. Et visi sunt alvei aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis ab increpatione tua Domine: ab efflatione spiritus nasi tui.

17. Mittet ex alto capiet me: extrahet me ex aquis multis.

18. Eripiet me, ab inimico meo potenti: et ab osoribus meis, quia fortes fuerunt prae me.

19. Praevenerunt me in die infortunii: et fuit Dominus in sustentaculum mihi.

20. Et eduxit me in latitudinem: extraxit me, quia deamavit in me.

21. Retribuit mihi Dominus secundum justitiam meam: secundum puritatem manuum mearum, reddet mihi.

22. Quia custodivi vias Domini: nec improbus fui a Deo meo.

23. Etenim omnia judicia ejus ad conspectum meum: et statuta ejus, non recedere feci a me.

24. Et fui perfectus cum eo: et custodivi me a perversitate mihi.

25. Et reddidit Dominus mihi secundum justitiam meam: secundum puritatem manuum mearum, ad conspectum oculorum ejus.

26. Cum pio pium te exhibes: cum viro perfecto, perfectum te praestas.

27. Cum purefacto purum te exhibes: cum perverso, contortum te praestas.

28. Nam tu populum humilem servas: et oculos elatos humilias.

29. Siquidem tu accendis lucernam meam: Dominus Deus meus illuminat tenebrositatem meam.

30. Nam in te contero agmen: et in Deo meo exsilio murum.

31. Deus-Fortis perfecta via ejus eloquium Domini conflatum: clypeus ipse universitati confidentium in eo.

32. Etenim quis Deus praeter Dominum? et quis rupes praeter Deum nostrum?

33. Deus-Fortis cingens me fortitudine: et dedit perfectam viam meam.

34. Disponens pedes meos tanquam cervarum: et super excelsis mihi stare faciet me.

35. Docens manus meas ad bellum: et descendere faciunt arcum aereum brachia mea.

36. Et dedisti mihi clypeum salutis tuae et dextera tua fulciebas me: et humiliatione tua augebas me:

37. Dilatabas gressum meum subtus me: et non vacillarunt tali mei.

38. Persequar inimicos meos et assequar eos: et non revertar, usque ad consumere eos.

39. Sauciabo eos et non poterunt stare: cadent sub pedes meos.

40. Et cinxisti me zona fortitudinis ad bellum: prostravisti stantes contra me subtus me.

41. Et inimicos meos, dedisti mihi cervicem: et odientes me, scidi eos.

42. Vociferabuntur et non erit salvans: ad Dominum, et non exaudiet eos.

43. Et comminuam eos ut pulverem ad facies venti: ut lutum platearum attenuabo eos.

44. Erues me a contentionibus populi pones me in caput gentium: populus *quem* non cognovi servient mihi.

45. Ad auditum auris auscultantes se praebebunt mihi: filii alienigenae mentientur mihi.

46. Filii alienigenae marcescent: et prodibunt, e claustris suis.

47. Vivus Dominus et benedicta Rupes mea: et exaltetur, Deus salutis meae.

48. Deus, dans ultiones mihi: et duxit populos subtus me.

49. Evadere faciens me, prae inimicis meis etiam prae stantibus contra me exaltabis me: a viro violentiae erues me.

50. Propterea laudabo te in gentibus Domine: et Nomini tuo psallam.

51. Magnificans salutes Regis sui et faciens benignitatem Uncto suo, Davidi et semini ejus, usque in saeculum.

COMMENTARIUS

V. 1. *Praefecto Servi Domini etc.* quando dictio למנצח *Praefecto* in Psalmorum titulis caret accentu *Rebja*, tum verba, quae sequuntur, utplurimum sunt vel principium alterius cantilenae, ut vidimus in Psalmis 5. 8. 9. 12. vel nomen musici instrumenti, ut in Psalmis 4. 54. 55. 67. 76. quando verò habet accentum *Rebja*, quae sequuntur, sunt vel nomen Auctoris, vel denominatio Carminis, vel initium Psalmi ipsius. Si haec regula sibi ubique constaret, verba לעבד יהוה, *Leèbed Adonài*, cum in hoc Psalmo, tum in Psalmo 36, quia dictio למנצח utrobique caret accentu *Rebja*, habenda forent pro initio alterius cantilenae; et inspecto accentu *Rebja* super voce יהוה *Domini*, quae est postrema tituli, ante nomen auctoris לדוד *Davidis*, jungenda forent cum למנצח hoc modo, *Praefecto* musices *Leèbed Adonài*, nempe Praefecto canentium juxta tonum Carminis, cujus initium est *Leèbed Adonài*. Sed quum in Psalmis 44. 46. 47. 49. 65. 66. 68. 85. 109. 139. occurrat למנצח *Praefecto* absque *Rebja* ante nomen Auctoris, vel denominationem hymni, rem in medio relinquo.

V. 2. *Robur meum*, qui membris meis vim et

firmitatem indidisti: sic in Homero *Iliad.* 5. *v.* 2. Δῶκε μένος καὶ θάρσος, *Dedit robur et audaciam*, Pallas Diomedi: et *Iliad.* 15. *v.* 262. ἔμπνευσε μένος μέγα, *inspiravit robur magnum*, Apollo Hectori. Adi Plutarchum de *Virtute morali sub fin.*

V. 3. *Dominus Petra mea*, סלע *petra*, dein *fissura* in monte, *spelunca* subterranea, in qua quis lateat, ne ab inquisitoribus deprehendatur. *Jehos.* 10. *v.* 16. *Iliad.* 21. *v.* 25. *seq.*

et Arx *mea*, מצודה, a radice inusitata מצד, est *vertex montis*: *castellum montanum: specula, turris, arx*.

et Liberator meus, מפלט propriè *evadere faciens* pericula, ut Apollo evadere fecit Aeneam e manu Diomedis *Iliad.* 5. *v.* 445. *seq.*

Αἰνείαν δ᾽ ἀπάτερθεν ὁμίλου θῆκεν Ἀπόλλων
Περγάμῳ εἰν ἱερῇ.
Et Aeneam seorsum a turba posuit Apollo
In Pergamo sacra.

et Venus in duello Paridis cum Menelao fregit lorum, quo ligata erat galea prioris *Iliad.* 3. *v.* 375. ne praefocaretur, dum trahebatur ab altero.

Fortis meus, אל in hoc loco mihi est *Dei* nomen appellativum, aut epithetum, ut caetera, quo notatur συμπαραστάτης, *comes a latere adstans alicui auxilii gratiâ*, praesertim ex genere divorum, ut auctor est Menander apud Plutarchum de *Animi tranquill. pag.* 474. *B.*

Ἅπαντι Δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται
Εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου
Ἀγαθός.
Unicuique viro, in lucem quam primùm editur,
Genius, vitae magister, adsistit
Bonus.

Vide Clementem Alexandrinum *Lib.* 5. *Strom.*

Tom. II. pag. 727. *edit.* 1715. et Grotium in *Exerpt. pag.* 753.

Rupes mea confugiam in eam, h. e. *in quam confugiam:* צור *rupes*, propriè *acuta* et praerupta, qualem describit Virgilius 8. *Aen. v.* 233. *seqq.*

Stabat acuta silex, praecisis undique saxis,
Speluncae dorso insurgens, altissima visu,
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.

Metaphoricè *tutissimum piorum perfugium*, ubi contra omnium hostium vim atque impetum securi delitescere, et velut in rupe quadam inaccessa atque inexpugnabili tuti morari queant. Stockius.

Clypeus meus, vide quae de *clypeo* notantur inferiùs *vers.* 36.

et Cornu salutis meae, fortitudo, unde salus mihi; est enim cornu symbolum fortitudis et principatus: ita Zacharias apud Lucam, *erexit cornu salutis nobis etc. Cap.* 1. *v.* 69. ubi vide Grotium et Wetstenium.

Sublimitas mea, משגב *locus sublimis* quilibet, in quem qui se recipit tutus est ab invasionibus. Congeries plurium nominum, quae accepta beneficia signant, et elogia complectuntur, est ordinaria invocationum et hymnorum materies. Hinc invaluit πολυωνυμία, *moltitudo nominum*, seu *titolorum*, apud Poetas gentilium, ex qua eorum Dii maximo se affici honore putabant, eo quòd multiplex potestas et imperium imprimis ita agnosceretur. Diana adhuc pupa penes Callimachum rogat patrem Jovem in *Hymn. v.* 6. *seq.*

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον, ἄππα, φυλάσσειν,
Καὶ πολυωνυμίην· ἵνα μή μοι Φοῖβος ἐρίζῃ.
Da mihi virginitatem aeternam, tata, servare,
Et nominum multitudinem: ne hac *mecum Phoebus certet.*

ubi vide Commentatores, et prae caeteris Ezechielem Spanhemium. Ante Callimachum Agamemnon sic invocat Jovem *Iliad.* 2. *v.* 412.

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε, κελαινεφὲς, αἰθέρι ναίων.

Iupiter gloriosissime, maxime, atras-nubes-cogens, in aethere habitans.

Injurius igitur Poetis est Lucianus in *Timon pr.* dum ipsos ob hanc epithetorum congeriem vocat ἐμβροντήτους *attonitos.*

V. 4. *Laudatum invocabo Dominum*, quum ejusmodi nominibus usus Dominum laudavero, tum fide, et spe plenus, nec non experientia confirmatus, invocabo eum, ut mihi sit auxilio.

et ab inimicis meis servabor, virtute scil. istorum nominum.

V. 5. *Concluserunt me funes Mortis*, quid sint *funes Mortis*, declaratur in altero hemistichio, *et fluvii Belijaàlis perterruerunt me,* quasi *de improviso supervenientes et occurrentes*, quae est potestas verbi בעת cum Ghàin penes Arabes. Sensus loci est: ita hostium metu affectus fui, ut visus sim videre ante me fluvios Inferni, et multiplici eorum ambitu circumdari, et quasi alligari; videlicet putabam, me jam jam esse moriturum, et sic ad flumina Inferni descensurum.

Synonymia vocum *funes* et *fluvii* in hoc loco demonstratur ex *Lib.* 2. *Sam. cap.* 22. ubi habetur hic idem Psalmus, et ubi *vers.* 5. pro חבלי *funes* legitur משברי *fluctus*. Et re quidem vera, quum Ebraeorum Poetae memorent feras monstrosas stabulantes in foribus Inferni, id quod legitur *Ps.* 22. *v.* 21. *seq.* ubi vide notata, par est credere, eos ibi admittere etiam flumina, ut Poetae gentilium, imo hos abripuisse ab illis ejusmodi dogmata. Con-

fer Davidem Michaelis ad *Roberti Lowthi Poes. Hebr. in Append. ad Praelect. IX.*

Mors hic est Princeps regionis mortuorum, eumdemque consignat altera dictio בליעל *Belijàal*, scilicet *is qui est sine asylo, perfugio carens*, composita ex particula בלי *sine*, et substantivo יעל *refugii locus, asylum*, quod est ex Arabica radice יעל, seu ועל, *eminuit, prominuit:* in quinta specie *ascendit in montem*, vel *in summo constitit monte*, ibique tutus fuit. Istum autem *Belijaàlem* esse statuo *Draconem*, *Serpentem antiquum, qui est Diabolus et Satanas*, uti dicitur a Johanne *Apocal.* 21. *v.* 2. videlicet Principem Angelorum, quos omnes, proptereaquod *non servaverunt*, ut est in *Epist. Jud. v. 6. suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis aeternis sub caliginem* Deus *reservavit* citra spem evadendi. Quam sententiam satis superque probatam arbitror ex eo, quòd rebelles in Deum vulgò dicuntur inde a priscis temporibus *filii Belijaàlis*. *Deut.* 13. *v.* 13. et alibi passim.

Redeo ad *funes:* hos cave accipias propriori significatu de *vinculis* modò memoratis ab Apostolo Juda; nam istis constringuntur non qui pro communi omnium hominum sorte descendunt ad inferos, sed qui detruduntur in Tartarum dirioribus suppliciis cruciandi, dicente Petro *Epist.* 2. *cap.* 2. *v.* 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed catenis caliginis in Tartarum detrusos tradidit, in judicium servatos etc.* verùm accipe usurpatos per analogiam, juxta ea quae tradentur *vers. seq.*

V. 6. *Funes Orci circumdederunt me etc.* repetuntur eadem, quae in *vers. sup.* Binos hos versus, in quibus David, pro quadruplici repetitione ejus-

dem rei, sese repraesentat quater circumdatum, et quasi *colligatum* fluviis Inferni, tanquam quadruplici funium nexu, prae oculis habuisse dicere Virgilium, quum describeret situm vitâ functorum *Georg: 4. v. 478. seqq.*

Quos circum limus niger, et deformis arundo
Cocyti, tardâque palus inamabilis undâ
ALLIGAT, et NOVIES Styx interfusa COERCET.

qui versus repetuntur etiam 6. *Aeneid. v. 438. seq.* Ex verbis *alligat* et *coercet,* quae Poeta aptat Stygi, facile quisque intelligit, rectè habuerim in hoc loco, nec ne, vocabulum *funes* pro synonymo alterius *fluvii*. Inter unum et alterum Vatem, quoad rei enunciationem, id interest, quòd eam Ebraeus expressit quadruplici verborum circuitu, Latinus uno adverbio *novies:* quo in discrimine diversus circuitionum numerus nihil obstat identitati sententiae.

V. 7. *In angustia mihi*, quum in memoratis angustiis versarer, dixi in animo meo, fiducia plenus, *Invocabo Dominum .... audiet de palatio suo etc.* de voce היכל latè disserui ad *Ps.* 5. *v.* 8.

et vociferatio mea, effusa *ad facies ejus*, i. e. coram eo, *introibit in aures ejus,* repetitio ejusdem sententiae. Signa exauditae hujus invocationis habentur in *vv. seqq.*

V. 8. *Et mota est et tremuit terra,* ratis precibus statim succedebant signa valde manifesta Numinis adventantis: sic apud Lucam in *Actis cap.* 16. *v.* 25. *seq.* legitur: *Circa mediam autem noctem Paulus et Silas orantes hymnis laudabant Deum: et exaudiebant eos vincti. Subitò verò terremotus factus est magnus, ita ut concuterentur fundamenta carceris: apertaeque sunt illico fores omnes, et omnium vincula laxata sunt.* Apud Virgilium 3. *Aeneid. v.* 85. *seqq.* Aeneas precatur:

Da propriam, Thymbraee, domum: da moenia fessis,
Et genus, et mansuram urbem. Serva altera Trojae
Pergama, relliquias Danaum atque immitis Achilli.
Quem sequimur? quove ire jubes? ubi ponere sedes?
Da, pater, augurium, atque animis inlabere nostris.
quibus dictis, pergit narrare:
Vix ea fatus eram: tremere omnia visa repente,
Liminaque, laurusque Dei, totusque moveri
Mons circum, et mugire adytis cortina reclusis.
Submissi petimus terram, et vox fertur ad aures:
Dardanidae duri, quae vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere laeto
Accipiet reduces. Antiquam exquirite matrem.
Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, et qui nascentur ab illis.
Et *Lib.* 6. *v.* 255. *seqq.* post vocatam Hecaten, et peracta sacrificia matri Eumenidum et sorori (Nocti et Terrae) Proserpinae et Plutoni, haec fiunt:
Ecce autem, primi sub lumina Solis et ortus,
Sub pedibus mugire solum, et juga coepta moveri
Silvarum, visaeque canes ululare per umbram,
Adventante Dea.
Callimachus sic orditur *Hymnum in Apollinem*.
Οἷον ὁ τῶ 'πόλλωνος ἐσείσατο δάφνινος ὅρπηξ.
Οἷα δ' ὅλον τὸ μέλαθρον· ἑκὰς, ἑκὰς ὅςις ἀλιτρός.
Καὶ δή πυ τὰ θύρετρα καλῷ ποδὶ Φοῖβος ἀράσσει.
Οὐχ ὁράᾳς; ἐπένευσεν ὁ Δήλιος ἡδύ τι φοῖνιξ
Ἐξαπίνης, ὁ δὲ κύκνος ἐν ἠέρι καλὸν ἀείδει.
Αὐτοὶ νῦν κατοχῆες ἀνακλίνεσθε πυλάων,
Αὐταὶ δὲ κληῖδες· ὁ γὰρ Θεὸς ὐκέτι μακράν.
Quantopere iste Apollinis commotus est laureus ramus!
Quantopere hoc antrum! procul, procul quisquis facinorosus est.

Et certè ostia pulchro pede Phoebus tundit.
Non vides? annuit Deliaca suave quid palma
Derepente, et cycnus in aëre pulchrè canit.
Ipsa vos nunc repagula forium recumbite,
Ipsi etiam vos vectes: Deus enim non amplius longè abest.

Iamblicus *Sect. II. de Myster. cap. 4. pag. 44. edit. Oxon.* 1678. scribit: Πρὸς δὲ τȣ́τοις, τὸ μέγεθος τῶν ἐπιφανειῶν, παρὰ μὲν τοῖς Θεοῖς τοσȣ̃τον ἐπιδείκνυται, ὡς καὶ τὸν ȣ̓ρανὸν ὅλον ἐνίοτε ἀποκρύπτειν καὶ τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην, τήν τε γῆν μηκέτι δύναϑαι ἑςάναι, αὐτῶν κατιόντων. Ἀρχαγγέλων δὲ ἐκφαινομένων, μοῖραι μέν τινες συγκινȣ̃νται τȣ̃ κόσμȣ. κ. τ. λ. *Praeter haec, magnitudo epiphaniarum* (apparitionum) *penes Deos tanta ostendit, ut et Coelum totum aliquando abscondat et Solem et Lunam, et terra ipsa non amplius possit consistere* firma et immota, *ipsis descendentibus. Archangelis etiam apparentibus, partes quaedam mundi simul commoventur etc.* Homerus de Neptuno accurrente in auxilium Graecis *Iliad.* 13. *v.* 17. *seqq.*

Ἀυτίκα δ' ἐξ ὄρεος κατεβήσατο παιπαλόεντος,
Κραιπνὰ ποσὶ προβιβάς· τρέμε δ' ȣ̓́ρεα μακρὰ καὶ ὕλη
Ποσσὶν ὑπ' ἀϑανάτοισι Ποσειδάωνος ἰόντος
Protinus autem de monte descendit arduo,
Rapidè pedibus progressus: tremebant autem montes alti et silva
Pedibus sub immortalibus Neptuni incedentis.

et fundamenta montium contremuerunt, i. e. loci, ubi siti sunt', et unde surgunt montes, uti Damm ad vocem ϑέμεϑλον explicat verba Pindari *Pyth. Od.* 4. *v.* 320. ἀμφὶ Παγγαίȣ ϑέμεϑλα, *circa Pangaei fundamenta;* et confirmatur altero loco ejudem Poetae *Pyth. Od.* 1. *v.* 52. *seqq.*

Οἷον Αἴτνας ἐν μελαμφύλ-

λοις δέδεται κορυφαῖς
Καὶ πέδῳ.
Quomodo Aetnae nigrifron-
dibus illigatus sit (Typhon) *verticibus*
Et solo.

scil. inter Aetnam et solum Siciliae, quod ei monti subjacet instar fundamenti.

et moverunt se, repetitio ejusdem rei ad exaggerandam magnitudinem concussionis, cui, praeter causam Numinis adventantis, accessit etiam ejus ira, *quia exarsit ei* nasus. Sic Apollo descendit ad puniendos Achivos in vindictam Sacerdotis Chrysae, χωόμενος κῆρ, *iratus animo. Iliad.* 1. *v.* 44. Dum haec noto, subit quod legitur in *Al-Korano Sur.* 50. *v.* 7. *et terram extendimus, et conjecimus in eam* רואסי *montes stabiles, firmos, solidos*, vel, ut puto, *qui* mole sua terram *firment*; nam et *anchora*, ad quam *firma consistit* navis, dicitur מרסאה in *Vita Tim. Tom. I. pag.* 218. *lin.* 17. Haec notatio, si firmo talo stat, evincit, onus montium, terrae impositum, nullius ei firmitudinis esse, quominus commoveatur in adventu Numinis.

V. 9. *Ascendit fumus*, qui est *in naso ejus*, quatenus fumus est irae signum *Deut.* 29. *v.* 20. *Ps.* 74. *v.* 1. *Ps.* 80. *v.* 5. dicitur esse semper in naso Domini, qua de re egimus ad *Ps.* 2. *v.* 5. et quando concitatur, tum egreditur e naribus, et ascendit attolliturque in aerem. Id autem poeticè sumptum est ab animalibus generosioribus, ut urso, et equo: de urso Martialis *Lib.* 6. *Epigr.* 64. in detractorem,

Sed miserere tui, rabido nec perditus ore
Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.

de equo Domitiani Statius *Lib.* 1. *Silvar. Tit.* 1. *v.* 20. *seq.*

nec tardo raptus prope flumina cursu

Fumat, et ingenti propellit Strymona flatu.

et ignis qui *ex ore ejus* prodit, *devorabit*, praeclarè *ignem* dixit ardentes anhelitus, et aestuantem iram, quae quidem metaphora, ab equo pariter sumpta, frequens est tam in sacra, quàm in profana litteratura: Virgilius 3. *Geor. v.* 83. *seqq.*

.... tum, si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus, et tremit artus,
Collectumque premens volvit sub naribus ignem.

Claudianus de *Nupt. Honor. et Mar. v.* 289. *seqq.*

Nobilis haud aliter sonipes, quem primus amoris
Sollicitavit odor, tumidus quatiensque decoras
Turbata cervice jubas Pharsalia rura
Pervolat, et notos hinnitu flagitat amnes,
Naribus accensis.

et de *IV. Consul. Honor. v.* 545. *seq.*

Utque tuis primùm sonipes calcaribus arsit,
Ignescunt patulae nares.

Silius Italicus *lib.* 6 *v.* 230. *seqq.*

omnis anhelat
Attonitus serpentis equus, frenoque teneri
Impatiens, crebros exspirat naribus ignes.

Potestas verbi *devorabit* eò tendit, ut significet, quòd ira Numinis citò consumet universos hostes Davidis, ut ignis incendit silvam peramplam: quae similitudo legitur *Iliad.* 2. *v.* 455. *seq.*

Ἠΰτε πῦρ ἀΐδηλον ἐπιφλέγει ἄσπετον ὕλην
Οὔρεος ἐν κορυφῆς.

Velut ignis edax (ex aspectu abripiens) *comburit immensam silvam*
Montis in verticibus.

carbones succensi sunt ex eo, ex eo igne: materies, quam ille ignis inflammavit, conversa est in carbones ardentes; ideoque perinde est, ac si fuerit igne devorata.

V. 10. *Et inclinavit Coelos*, ut per eorum declivitatem descenderet terram versus, donec perveniret ad locum exercendi judicium. Apollo in judicio contra Achivos *Iliad*. 1. *v*. 48.

Ἕζετ' ἔπειτ' ἀπάνευθε νεῶν, μετὰ δ' ἰὸν ἕηκε.
Sedit deinde procul a novibus, et sagittam emisit.

et descendit, Apollo *cit. loc. v*. 44.

Βῆ δὲ κατ' Οὐλύμποιο καρήνων.
Descenditque ex Olympi verticibus.

et caligo sub pedibus ejus, hoc est illud *Iliad*. 2. *v*. 150. *seq*.

ποδῶν δ' ὑπένερθε κονίη
Ἵστατ' ἀειρομένη.
sub pedibus autem pulvis
Exurgebat elatus.

et *Iliad*. 11. *v*. 151. *seqq*.

ὑπὸ δέ σφισιν ὦρτο κονίη
Ἐκ πεδίȣ, τὴν ὦρσαν ἐρίγδȣποι πόδες ἵππων
Χαλκῷ δηϊόωντες.
sub ipsis autem concitatus est pulvis
E campo, quem excitarunt grave-strepentes pedes equorum
Aere caedentes terram.

et *Iliad*. 23. *v*. 365. *seq*.

ὑπὸ δὲ στέρνοισι κονίη
Ἵστατ' ἀειρομένη ὥστε νέφος ἠὲ θύελλα.
sub pectoribus verò pulvis
Exurgebat elatus ut nubes vel procella.

Adde Virgilium *Lib*. 8. *v*. 593. *seqq*. et *Lib*. 9. *v*. 33. *seqq*. Identitas autem rei probatur ex Nachumo, *Dominus in tempestate et in turbine via ejus, et nubes* est *pulvis pedum ejus*. *Cap*. 1. *v*. 3.

V. 11. *Et equitavit super Cerubo*, qui est equus Domini, vel super curru a Cerubis tracto, cujus vectionis tanta fuit velocitas, ut volare crederetur,

et volavit: deinde sic exaggerat etiam *volatum*, ut nulla celeritas dici queat major, *et volavit super alis venti*. Nunc vides causam caliginis, h. e. pulveris elati sub pedibus ejus, nempe celeritatem in eundo. Virgilius de Mercurio ferente Jovis mandata ad Aeneam *Lib.* 4. *Aeneid. v.* 245. *Illa* (virga) *fretus agit ventos*, ante se, quasi equos: et Homerus de eodem idem munus obeunte ad Calypso *Odyss.* 5. 44. *seqq.*

Αὐτίκ' ἔπειθ' ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα,
'Αμβρόσια, χρύσεια, τά μιν φέρον ἠμὲν ἐφ' ὑγρὴν,
'Ηδ' ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν, ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο.
Statim deinde pedibus subligavit pulchra talaria,
Immortalia, aurea, quae ipsum ferabant sive per mare,
Sive per immensam terram, pariter cum flatibus venti.

Erant autem *Cerubi* monstrosae quaedam figurae, ex homine, leone, bove, et aquila conflatae, hunc in finem, ut in unum subjectum convenirent et coalescerent omnes dotes et vires istorum animalium. Ita ferme Schultensius ad *Prov.* 30. *v.* 20. vel, ut habet Bochartus *Lib.* 2. *Hieroz. cap.* 34. *col.* 359. *pr.* emblemata, quibus Angelica natura utcumque exprimebatur. Rationem conjunctionis tantarum virium in uno subjecto arguere posse videor ex priori illorum commemoratione *Genes.* 3. *v.* 24. ubi statuuntur custodes viae, quae ducit ad arborem vitae, contra hominum audaciam, quibus nihil arduum. Sic in fabulis inde detortis aurea Hesperidum mala dicuntur τηρέμενα συνεχῶς ὑπό τινος δράκοντος φοβερωτάτε, *custodita continuò a quodam dracone terribilissimo*, apud Diodorum Siculum *Lib.* 4. *cap.* 26. Ob eamdem fermè rationem arbitror, Cerubos fuisse additos Propitiatorio *Exod.*

25. *v.* 19. ut, praeter ornatum, repraesentarent quoddam veluti Satellitium Divinae Majestatis, quemadmodum repraesentant in ejus throno *Ps.* 99. *v.* 1. ubi Dominus dicitur *Sedens Ceruborum*, seu *inter Cerubos:* quò refero et eorum caelaturas in parietibus Templi. 1. *Reg.* 6. *v.* 29. *seqq.* Videant Eruditi, an ex Cerubis originem habuerint equi illi portentosi, velut Pegasus, quos Poetae suis dant heroibus. Plerosque recenset Spondanus ad *Iliad.* 5. *pag.* 85.

V. 12. *Posuit tenebrositatem velum suum*, delapsus in regionem nubium, et ibi consistens eo apparatu, quo Rex jus dicit, *posuit tenebrositatem*, h. e. *crassam caliginem* (quae est potestas vocis חשך) ante se fudit pro סתר *velo, aulaeo,* quo facies Regis obvelari solet, ne palam et vulgò aspiciatur.

circuitus suos tegmen suum, repete *posuit:* dictio סביבות consignat ea, quae magno viro, sedenti in loco suae dignitatis, *circumquaque adhaerent*, aut *vicina sunt:* סכה autem est quidquid eum supernè *tegit*, *operitque*, quod nos dicimus *baldacchino*. Haec pariter compegit crassa caligine.

obscuritatem aquarum obnubilationes Coelorum, luculentiùs declarat vocem *tenebrositatem*, inquiens, esse obscuritatem nubium aquearum, quae utpote nigriores Coelum obscurant, ut Virgilius ait 1. *Aeneid. v.* 92. *seq.*

Eripiunt subitò nubes Coelumque diemque
Teucrorum ex oculis.

et alibi, *in nubem cogitur aer*. *Lib.* 5. *v.* 20.

V. 13. *Ex fulgore* vultus ejus, de quo ad *Ps.* 4. *v.* 7. diximus, *coram eo*, ab anteriore ejus parte, *nubes ejus*, quibus obvelabatur facies ejus, *transierunt*, factae *grando et carbones ignis:* quando crebrescunt fulgura et fulmina, tum nubes extenuan-

tur, atque dissipantur; idque est *transierunt*. His verbis consignatur aulaei remotio a facie Dei, manente interim reliquo apparatu, qui antea erat, ab utroque latere, a tergo, et supernè. Vide locum Homeri, qui refertur *vers. seq.*

V. 14. *Et tonuit* (ורעים propriè *commotionem fecit*) *in Coelis*, in aere, *Dominus*, superiùs *vers.* 8. memoravit signa, quae sui dat in terra Numen adveniens, nunc memorat signa meteororum, per resolutionem nubium in grandinem et in carbones ignis.

et Altissimus dedit vocem suam, omnis rumor vehementior dicitur in Bibliis *vox Domini*, ut *Ps.* 29. *per tot.* et in hoc loco, ubi significatur *tonitrus*. Est autem tonitrus, praeter indicium adventantis Numinis, etiam unus ex modis, quibus Numen utitur ad perterrendos homines: qua de re Homerus *Iliad.* 8. *v.* 75. *seqq.*

Αὐτὸς δ' ἐξ Ἴδης μεγάλ' ἔκτυπε, δαιόμενον δὲ
Ἧκε σέλας μετὰ λαὸν Ἀχαιῶν· οἱ δὲ ἰδόντες
Θάμβησαν, καὶ πάντας ὑπὸ χλωρὸν δέος εἷλεν.

Ipse autem (Iupiter) *ex Ida magnum tonabat, et ardens*
Misit fulgur in exercitum Achivorum: illi conspicati
Obstupuerunt, et omnes pallidus timor cepit.

Vide inferiùs *vers.* 41.

grandinem et carbones ignis, hìc tonitribus adduntur grando et carbones igniti ad augendum terrorem. Exemplum pluviae lapideae, quae hìc dicitur *grando*, extat in Jehosua *cap.* 10. *v.* 11. et ex profanis in Livio *Lib.* 1. *cap.* 31. De epitheto *Altissimus* vide notata ad *Ps.* 7. *v.* 18.

V. 15. *Et misit*, e loco, ubi pro tribunali veluti sedit, *sagittas suas*, intellige grandinem et carbones ignitos.

et dispersit eos, nempe hostes Davidis, qui memorantur in titulo Psalmi *vers.* 1.

et fulgura jaculatus est, ברקים *fulgura* hìc loci intelligenda sunt *fulmina*, quia sic exigit sensus et prius hemistichium, eoque sensu usurpavit etiam Virgilius Latinum vocabulum 1. *Georg. v.* 487. *seq.*
Non aliàs Coelo ceciderunt plura sereno
Fulgura.
רב est a radice רבב in significatione *jaculandi*; habet enim Kamètz propter accentum Rebja.

et liquefecit eos, tanquam materiem igne fulgurum seu fulminum fusilem. Nunc pro luculentiori declaratione totius loci operae pretium est audire Homerum *Iliad.* 1. *v.* 44. *seqq.* ubi describit descensum Apollinis ad sumendam ultionem pro suo Sacerdote Chryse adversus Achivos:

Βῆ δὲ κατ' Οὐλύμποιο καρήνων χωόμενος κῆρ,
Τόξ' ὤμοισιν ἔχων ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην·
Ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο,
Αὐτοῦ κινηθέντος· ὁ δ' ἤϊε νυκτὶ ἐοικώς.
Ἕζετ' ἔπειτ' ἀπάνευθε νεῶν, μετὰ δ' ἰὸν ἕηκε·
Δεινὴ δὲ κλαγγὴ γένετ' ἀργυρέοιο βιοῖο.
Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο, καὶ κύνας ἀργούς.
Αὐτὰρ ἔπειτ' αὐτοῖσι βέλος ἐχεπευκὲς ἀφιεὶς,
Βάλλ'· αἰεὶ δὲ πυραὶ νεκύων καίοντο θαμειαί.

Descenditque ex Olympi verticibus iratus corde,
Arcum humeris habens, et undique tectam pharetram.
Clangoremque dederunt sagittae in humeris irati,
Quum se moveret, ipseque ibat nocti similis, tectus caligine.
Sedit deinde procul navibus, et sagittam emisit;
Terribilisque clangor fiebat argentei arcus.
Mulos quidem primùm invasit, et canes veloces:
Postea verò ipsis sagittam amaram immittens,

Feriebat; semperque rogi cadaverum ardebant frequentes.

Ne te pigeat singula ad singula referre.

V. 16. *Et visi sunt* (apparuerunt) *alvei aquarum* maris, אפיקים a radice אפק, *firmus, validus fuit*, propriè sunt *firmitates*, ubi desinit mobilitas aquarum maris, fluminum etc. Hunc locum luculenter expressit Virgilius 1. *Aeneid. v.* 110. *seq.*

unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit.

et revelata sunt fundamenta orbis, idque per ἄβυσσα χάσματα, *profundos hiatus*, verba Euripidis in *Phoeniss. v.* 1599. Ab Hesiodo in *Theog. v.* 728. γῆς ῥίζαι, *terrae radices,* statuuntur super *Tartarum*, qui terrae subjectus esse vulgò existimabatur; et sic terra videtur tota dehisse. Vide loca utriusque Poetae.

ab increpatione tua Domine, quum increpares hostes meos cum fremitu, ut sequitur:

ab efflatione spiritus nasi tui, spiritus in ira vehementiùs erumpit per nares. Adi Casaubonum *Lection. Theocr. cap.* 1.

V. 17. *Mittet ex alto capiet me*, quum versaretur David inter tot pericula, nequaquam de se desperabat, sed fiducia plenus ita secum dicebat, Extendet Dominus manum suam e Coelo, et me incolumem assumet.

extrahet me ex aquis multis, in stilo figurato *aquae* consignant *calamitates*, diluvii more undique inundantes. Hoc idem cum explanatione habetur *Ps.* 144. *v.* 7. *Mitte manus tuas, ex alto redime me et eripe me ex aquis multis: e manu filiorum alienigenae*. Adde *Ps.* 32. *v.* 6. et ibi notata.

V. 18. *Eripiet me, ab inimico meo potenti,* a Saulo; nunc propriis verbis exponit metaphoram aquarum.

et ab osoribus meis, ab eodem Saulo ejusque sodalibus, *quia fortes fuerunt prae me*, tum maximè suis opitulatur Deus, quum sustinendis hostibus sunt impares.

V. 19. *Praevenerunt me*, incursarunt in me, vel stiterunt se coram me, osores mei, *in die infortunii mei*, toto tempore persequutionis Saulicae. איד est *onus*, vel *malum praegravans*, a radice אוד, vel איד *incurvavit*, *pressit* aliquem onus impositum; dein *calamitas*, *infortunium*.

et fuit Dominus in sustentaculum mihi, me fulcivit, ne sub infortunii mole fatiscerem.

V. 20. *Et eduxit me* de angustiis, quas intra premebar, *in latitudinem*, in locum spatiosum, oppositè ad angustias: deinde ad notandam absolutam *eductionem* repetit *extraxit me*.

quia deamavit in me, hoc est illud Poetaë *Odyss.* 14. *v.* 141.

. . . . . περὶ γάρ μ' ἐφίλει καὶ κήδετο θυμῷ.

. . . . . *valde enim me diligebat, et curabat animo.*

V. 22. *nec improbus fui a Deo meo*, nec impiè me gessi deficiendo a Deo meo.

V. 24. *Et fui perfectus cum eo*, integrè me gessi cum eo.

et custodivi me, *a perversitate mihi*, et cavi, ne imputaretur mihi עון *perversitas*, *iniquitas*, nempe desertio rectae institutionis, et sectatio humanarum cupiditatum. De voce עון *perversitas* vide notata ad *Ps.* 51. *v.* 7. de ejus imputatione notata ad *Ps.* 32. *v.* 2.

V. 25. *secundum justitiam meam*, secundum justitiam causae meae in lite cum Saulo, aliisque.

secundum puritatem manuum mearum, ex qua est justitia mea: vide ad *Ps.* 7. *v.* 4.

ad conspectum oculorum ejus, quae puritas manifesta est coram oculis ejus.

V. 26. *Cum pio pium* (misericordem) *te exhibes*, verba Davidis ad Dominum, quem homines talem deprehendunt, quales ipsi sunt cum eo et cum aliis hominibus.

cum viro perfecto perfectum te praestas, confer *Matth.* 5. *v.* 48.

V. 27. *Cum purefacto* a sordibus, si quibus commaculatus fuerat, *purum* (sincerum) *te exhibes*, id quod Vates postulat *Ps.* 51. *v.* 6.

cum perverso, cum obliquè incedente, vel divertente a semitis tuis, תתפתל *contortum te praestas*, vel potius, ex usu Arabico, *convertis*, *dimoves te ab instituto* benefaciendi. Agis veluti lege talionis.

V. 28. *Nam tu populum humilem servas*, contra vim potentium: probat ab exemplo superiùs dicta. Quia David de se tantùm loquitur, ut patet etiam ex *vers. seq.* ego accipio dictionem עם *populum*, uti δῆμον *populum* in *Iliad.* 12. *v.* 213. ubi significat *unum ex multitudinis numero*.

et oculos elatos, homines superbos, qui elatis oculis incedunt, *humilias*, deprimis: huc spectant Horatii verba *Lib.* 1. *Od.* 34. *v.* 12. *seqq.*

valet ima summis
Mutare, et insigne attenuat Deus,
Obscura promens: hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hic posuisse gaudet.

et Virgilii de Romanis *Aen.* 6. *v.* 853.

Parcere subjectis, et debellare superbos.

V. 29. *Siquidem tu accendis lucernam meam*, alluditur ad lucernam, quae accenditur in tentoriis et cubiculis magnorum virorum, doctrinis vel opibus, vel utrisque illustrium, dum urbanè conver-

santur cum suis, vel hos de rebus religiosis et civilibus informant. Vide notata super voce היכל ad *Ps.* 5. *v.* 8. Metaphoricè verò *lucerna* est splendidissima familiarum fortuna, et clarissima earum nobilitas, ut in Jobo *cap.* 18. *v.* 6. et *cap.* 29. *v.* 3. ubi vide sis Schultensium, et in Arabsiada *Tom. I. pag.* 26. *Quilibet ex hisce Vaziris erat Tribui suae, ad lucernam consiliorum suorum, ellychnium longum*, h. e. homo illustrans gentem suam.

Dominus Deus meus illuminat tenebrositatem meam, illustrat obscuritatem domus meae, cùm per elevationem ad regiam dignitatem, tum per ea facinora, quae recenset *vers. seq.*

V. 30. *Nam in te*, ope tua, *contero agmen*, sic Ajax Telamonius apud Poetam *Iliad.* 6. *v.* 6. Τρώων ῥῆξε φάλαγγα, *Trojanorum rupit phalangem*. Nunc dicit nobilitatem bellica virtute comparatam, primùm profligatis hostibus, dein expugnatis munitionibus, *et in Deo meo exsilio murum*, ut Hector *Iliad.* 12. *v.* 438. πρῶτος ἐσήλατο τεῖχος Ἀχαιῶν, *primus insiliit in murum*, vel *irrupit intra murum Achivorum*. In Iliade saepe legimus, Deos dedisse *gloriam* heroibus suis per haec facinora.

V. 31. *Deus-Fortis perfecta via ejus*, Ebraismus, pro *Via Dei perfecta:* vult dicere, agendi ratio, quam Deus tenet cum hominibus, perfecta est, videlicet sincera et recta, non fallax, non obliqua; etenim תמים *perfectus* opponitur τῷ עקש *distorto* in isto loco Salomonis, *Abominatio Domini* עקשי *distorti corde: et complacentia ejus* תמימי *perfecti via*. *Prov.* 11. *v.* 20. Hanc explanationem nostrae loquutionis confirmant sequentia verba, *eloquium Domini conflatum*, i. e. sincerum, ut metallum igne purgatum: atque his verbis innuuntur oracula reddita consulentibus super negotio bello-

rum, utrum suscipienda, prosperumque finem sint habitura, nec ne, et an Dux revertetur incolumis, nec ne. Hanc interpretationem suadet argumentum totius Psalmi, et sequentia verba, *clypeus ipse* (Dominus) *universitati confidentium in eo*, nam clypeus praecipuum locum tenet inter armaturas pro tutela corporis in pugnis. Plus una vice occurrit in historia Davidis consultatio Numinis super negotio belli 1. *Sam.* 23. *v.* 2. *Et interrogavit David Dominum dicendo, Num vadam et percutiam Philisthaeos istos? et dixit Dominus ad Davidem, Vade et percuties Philisthaeos etc.* et *cap.* 30. *v.* 8. *Et interrogavit David Dominum dicendo, Persequar post agmen hoc, num assequar ipsum? et dixit ei, Persequere, quia assequendo assequeris et eruendo erues.* et 2. *Sam.* 5. *v.* 19. *Et interrogavit David Dominum dicendo, Num ascendam ad Philisthaeos? num dabis eos in manu mea? et respondit Dominus ad Davidem, Ascende, quia dando dabo Philisthaeos in manu tua.* Ex profanis Scriptoribus legendus est Herodotus in *Clio*, seu *Lib.* 1. *cap.* 46. *seq.* Ex perspicuitate harum responsionum facile intelligimus, cur David *perfectam* appellat viam Domini, et *conflatum* ejus eloquium in illis dandis, nimirum quia gentilium oracula adeo obscura et ambigua utplurimum erant, ut quomodocumque res evenisset, de qua quaerebatur, interpretationem reciperent eventui semper accommodatam. De istorum obscuritate lepidè Momus apud Lucianum in *Jove Tragoedo cap.* 28. *Tom. II. pag.* 673. Τȣ̃το μὲν ὀρθῶς ἔλεξας, ὦ Ἄπολλον, ἐπαινέσας τȣ̀ς σαφῶς λέγοντας, εἰ καὶ μὴ πάνυ ποιεῖς σὺ τȣ̃το ἐν τοῖς χρησμοῖς, λοξὸς ὢν, καὶ γριφώδης, καὶ ἐς τὸ μεταίχμιον ἀσφαλῶς ἀποῤῥίπτων τὰ πολλὰ, ὡς τȣ̀ς ἀκȣ́οντας ἄλλȣ δεῖσθαι Πυθίȣ πρὸς τὴν ἐξήγησιν αὐτῶν. *Hoc quidem*

rectè dixisti, o Apollo, laudans dilucidè dicentes, etsi non omnino facis tu hoc in oraculis, quum obliquus et gripho similis (perplexus, intricatus) *sis, et in spatium inter duas acies tutò projicias multa, ita ut, qui audiunt, alio indigeant Pythio ad interpretationem eorum*. Vide istic Joh. Matthiam Gesnerum.

V. 32. *Etenim quis Deus praeter Dominum?* per quamdam speciem professionis Fidei effert caussam suae incolumitatis et prosperitatis, quòd scilicet sibi Deus fuerit יהוה, *Ille qui Fuit Est Erit*, quem praeter nullus alius Deus est, nec esse potest, pro certa et omnimoda hominum tutela, ut dicere pergit, *et quis rupes praeter Deum nostrum?* vult dicere, nullus, praeter Deum Israelis, qui est unus et verus, suis est loco rupis praeruptae et inaccessae, ad quam qui se recipiunt, a nemine sibi timent. Redi ad *vers.* 3.

V. 33. *Deus-Fortis cingens me fortitudine*, verbum אזר *cinxit, accinxit*, usurpatur de *constrictione* vestium, ne diffluant in cursu. Ait igitur Vates, Quando se mihi offert opportunitas insequendi hostes, quò expeditior sim, אל *Deus-Fortis* is est, qui mihi vestium lacinias succingit cingulo, atque huic occultam indit fortitudinem, ut raptim et citra offendiculum assequi possim, nec sinit, me fatiscere in cursu; idque est, *et dedit perfectam viam meam*, videlicet planam, sine ullo offendiculo, vel *totam* percurrere me facit, usque dum fugientes comprehenderem. Laus velocitatis in fugiendo, et in insequendo, nemini non nota: hinc tituli Achillis ποδαρκὴς *pedibus valens*, et πόδας ὠκὺς *pedes velox*. De Camilla haec habet Virgilius 7. *Aeneid. v.* 808. *seqq.*

Illa vel intactae segetis per summa volaret

Gramina, nec teneras cursu laesisset aristas:
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres neque tingeret aequore plantas.
ubi vide loca parallela a Cerdano allata.

V. 34. *Disponens pedes meos tanquam cervarum,* modò specialiùs eloquitur corporis partes a Deo roboratas, et primùm quae conferunt ad assequendos hostes, et ad recipiendum se in locum munitum: ait enim, pedes suos aequatos fuisse pedibus cervarum, de quarum velocitate atque celeritate summa legitur, *Vox Dilecti mei, ecce is venit: saliens super montes, subsultans super colles. Similis Dilectus meus capreae aut hinnulo cervorum: Cant.* 2. *v.* 8. 9. 17. et *cap.* 8. *v.* 14. Alibi de Asahele dicitur, *levis in pedibus si s, ut unus caprearum* (marium) *qui in agro.* 2. *Sam.* 2. *v.* 18. Saulus pariter ob dotem velocitatis appellatur *caprea* in hoc loco, *Caprea* o *Israel super excelsis tuis confossus est.* 2. *Sam.* 1. *v.* 19. Assimilat autem pedes suos pedibus cervarum, quia hoc animal exerit celeritatem, ut vidimus, praesertim in montibus, quorum in cacumina se recepisse incolumem postea dicit, *et super* במותי *excelsis mihi stare facit me*, nempe super excelsis, in quae *mihi* propono confugere.

V. 35. *Docens manus meas ad bellum*, primigenia potestas verbi למד est *percussit*, peculiariter aculeo, *stimulavit*, intransitivè *stimulavit se, didicit, assuefactus est:* in Pièl *docuit*, *assuefecit*. Quamvis locum hìc habere possit significatio *docendi*, *assuefaciendi*, quia Polydamas dicit Hectori *Iliad.* 13. *v.* 727.

Οὕνεκά τοι πέρι δῶκε Θεὸς πολεμήϊα ἔργα.

Propterequod tibi excellenter dedit Deus bellica opera etc.

i. e. docuit artes militares; alia tamen exempla sua-

dent praeferre alteram *percutiendi*, quia sermo est de vi membris indita per levem percussionem. Versus hic et superior videntur expressi in *Iliad.* 13. *v.* 59. *seqq.* ubi Neptunus vigorem indit pedibus et manibus utriusque Ajacis, leviter eos sceptro percutiens:

Ἦ, καὶ σκηπανίῳ γαιήοχος Ἐννοσίγαιος
Ἀμφοτέρω κεκοπὼς πλῆσεν μένεος κρατεροῖο,
Γυῖα δ' ἔθηκεν ἐλαφρὰ, πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθεν.
Dixit, et sceptro terram-cingens Neptunus
Ambos feriens implevit robore forti,
Membraque fecit levia, pedes et manus supernè.

et descendere faciunt arcum aereum brachia mea, specimen fortitudinis inditae manibus. Constructio verbi singularis foeminei נחתה *descendere fecit* cum nomine plurali, tam masculino, quàm foemineo, ut hic זרועתי *brachia mea*, est ex usu maximè Arabico. Adeundus Schultensius in *Animadv. ad h. loc.* Ex modo curvandi seu tendendi arcum, quem tradidimus ad *Ps.* 7. *v.* 13. apparet, cur Vates ad eum indicandum usurpet verbum *descendere fecit*. Circa difficultatem tendandi arcus metallicos, narrat Homerus *Odyss.* 21. *v.* 245. *seqq.* neminem procorum valuisse tendere arcum ferreum Ulyssis: de Ulysse autem dicit *cit. loc. v.* 404. *seqq.*

αὐτὰρ πολύμητις Ὀδυσσεὺς
Αὐτίκ' ἐπεὶ μέγα τόξον ἐβάστασε, καὶ ἴδε πάντη,
Ὡς ὅτ' ἀνὴρ φόρμιγγος ἐπιστάμενος καὶ ἀοιδῆς
Ῥηϊδίως ἐτάνυσσε νέῳ ἐπὶ κόλλοπι χορδὴν,
Ἅψας ἀμφοτέρωθεν ἐΰστρεφὲς ἔντερον οἰὸς,
Ὣς ἄρ' ἄτερ σπουδῆς τάνυσε μέγα τόξον Ὀδυσσεύς.
at solers Ulysses,
Statim postquam magnum arcum sustulit, et vidit undique,
Sicut quando vir citharae peritus et cantus

Facile extendit novo in verticillo chordam,
Nectens utrimque bene tortum intestinum ovis,
Sic utique sine nisu tetendit magnum arcum Ulysses. etc.

V. 36. *Et dedisti mihi clypeum salutis tuae,* post inditam agilitatem pedibus et robur manibus, memorat clypei dationem, cujus sub indicatione, quia praecipua est inter armaturas bellatoris, comprehendit etiam galeam, thoracem, ocreas, et hastam. Quandoquidem verò post vocabulum מגן *clypeum* addit ישעך *salutis tuae*, inde conjicio, sacrum Poetam suppeditasse Homero *Iliad*. 18. *a vers*. 478. et Hesiodo *Scut. Herc. a vers*. 139. ideam scutorum, quae Vulcanus elaboravit pro Achille et Hercule, a quibus deinceps Virgilius 8. *Aeneid. a vers*. 626. normam sumpsit scuti pro Aenea: conjicio, inquam, Davidem poeticè finxisse clypeum sibi traditum anaglyphis ornatum, quae repraesentabant facinora a Deo edita pro suorum salute. Alii ejusmodi mores Ebraeis cum caeteris Orientalibus communes, et cothurnatus Carminis stilus, praeter additionem vocis ישעך *salutis tuae*, perquàmverisimilem mihi faciunt istam conjecturam.

et dexterâ tuâ fulciebas me, ut facili negotio sustinerem σάκος μέγα τε ςιβαρόν τε, *clypeum magnumque firmumque*, ut appellat Hesiodus scutum Herculis *cit. loc. v*. 319. neque sub immani ejus pondere fatiscerem.

Sed ulterius progrediamur in Auctorum convenientia. Posteaquam Thetis attulit arma filio, dicit Poeta *Iliad*. 19. *v*. 384. *seqq.*

Πειρήθη δ' ἕο αὐτȣ̃ ἐν ἔντεσι δῖος Ἀχιλλεὺς,
Εἰ οἱ ἐφαρμόσσειε, καὶ ἐντρέχοι ἀγλαὰ γυῖα·
Τῷ δ' ἠΰτε πτερὰ γίνετ', ἄειρε δὲ ποιμένα λαῶν.

Periculum sui ipsius faciebat in armis divinus Achilles,
An sibi apta essent, et in eis currerent (moverent se) *pulchra membra:*
Et verò ut alae erant, et levabant pastorem populorum.

videlicet adeo levia divinitus effecta erant, ut heros ab iis ferri, non ea ferre sibi videretur; seu, quod idem est, ita roborata erant ejus membra, ut res gravissimae, perinde ac levissimae instar pennarum, eum premerent. Et Hesiodus *cit. loc. v.* 320. *seqq.*

τὸ μὲν Διὸς ἄλκιμος υἱὸς
Πάλλεν ἐπικρατέως, ἐπὶ δ' ἱππείου θόρε δίφρου,
Εἴκελος ἀστεροπῇ πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο,
Κοῦφα βιβάς.

quem (clypeum) *Jovis fortis filius*
Jactabat praepotenter, et equestrem insiliit in currum,
Similis fulguri patris Jovis Aegiochi,
Leviter iens.

ubi pariter vides heroem divinitus fultum sub armis, ne istis premeretur, ut noster ait, *et dexterâ tuâ* תסעדני *fulciebas*, vel *juvabas me.*

et humiliatione tua augebas me, armis, quae Dii heroibus dabant, inerat virtus divina, qua sola in discrimine certaminis servabantur: Hesiodus *cit. loc. v.* 413. *seqq.*

Ἔνθ' ἤτοι Κύκνος μὲν ὑπερμένεος Διὸς υἱὸν
Κτεινέμεναι μεμαὼς, σάκει ἔμβαλε χάλκεον ἔγχος,
Οὐδ' ἔρρηξεν χαλκόν· ἔρυτο δὲ δῶρα Θεοῖο.

Ibi sane Cycnus quidem potentis Jovis filium
Occidere cupiens, in clypeum adegit aeream hastam,
Neque tamen perrupit aes; tutabantur enim dona Dei.

Hinc arguebatur *humiliatio* quaedam Deorum, quòd homines, illis etiam absentibus, suis viribus servarentur, perinde ac si quantum potentiae his accederet, tantum illis decederet.

Haec profanorum cum sacris Scriptoribus convenientia circa clypeos a Diis datos heroibus stimulum addit, ut inquiram, utrum etiam *Aegis*, famosus ille clypeus Jovis, ex Orientali officina prodierit. Quandoquidem *Aegis*, quam interdum et Apollo *Iliad.* 15. *v.* 229. et Minerva *Iliad.* 5. *v.* 738. gestabant, ad terrorem incutiendum adhibebatur, ut Jupiter dicit Apollini *Iliad.* 15. *v.* 229. *seq.*

Ἀλλὰ σύ γ' ἐν χείρεσσι λάβ' αἰγίδα θυσσανόεσσαν,
Τὴν μάλ' ἐπισσείων, φοβέειν ἥρωας Ἀχαιούς.

Sed tu in manibus cape Aegidem fimbriatam,
Quam valde incutiens, perterre heroas Achivos.

hinc non nemo conjicit sumptam fuisse *ex columna ignis et nubis*, et ex his verbis Mosis: *Et fuit in vigilia matutina, et respexit Dominus ad exercitum Aegyptiorum, in columna ignis et nubis: et liquefecit* (seu *terrore dissolvit*) *exercitum Aegyptiorum. Et removit rotas curruum eorum, et incedere fecit eos cum gravitate* (graviter, tarde). *Exod.* 14. *v.* 24. *seq.* Hoc jacto conjecturae fundamento, veniamus ad particularia utriusque Aegidis, Homericae et Mosaicae: sacer Historicus dicit, *et respexit Dominus ad exercitum Aegyptiorum*, Homerus autem, sine quo haec verba necessaria luce carerent, *Iliad.* 15. *v.* 318. *seqq.* ait:

Ὄφρα μὲν αἰγίδα χερσὶν ἔχ' ἀτρέμα Φοῖβος Ἀπόλλων,
Τόφρα μάλ' ἀμφοτέρων βέλε' ἥπτετο, πῖπτε δὲ λαός·
Αὐτὰρ ἐπεὶ κατενῶπα ἰδὼν Δαναῶν ταχυπώλων
Σεῖσ', ἐπὶ δ' αὐτὸς ἄυσε μάλα μέγα, τοῖσι δὲ θυμὸν
Ἐν στήθεσσιν ἔθελξε, λάθοντο δὲ θούριδος ἀλκῆς.

Quamdiu quidem Aegida manibus tenebat immotam Phoebus Apollo,
Tamdiu valde utrosque tela attingebant, cadebatque populus:
Sed quando contra in vultum respiciens Danaorum pernicium equitum
Concutiebat, et insuper ipse clamabat valde magnum, tum illis animum
In pectoribus stupescere faciebat, et obliviscebantur impetuosae fortitudinis.

Moses ait, *et liquefecit* (seu *terrore dissolvit*) *exercitum Aegyptiorum:* Homerus in loco paulo ante allato *Iliad.* 15. *v.* 230.

Quam valde incutiens, perterre heroas Achivos.

Mosaica est *columna ignis et nubis*, nimirum pro parte *rutilans*, pro parte *nigricans:* Homerus suam modò vocat ἐρεμνὴν *atram Iliad.* 4. *v.* 167. ut et Virgilius *Aeneid.* 8. *v.* 353. dicit *nigrantem*, unde Minervae epithetum κυαναιγὶς, *nigram ac terribilem aegidem habens*, apud Pindarum *Olymp. Od.* 13. *v.* 100. modò μαρμαρέην *splendentem Iliad.* 17 *v.* 594. Propius ad verba Mosis Silius Italicus *Lib.* 12. *Punic. v.* 718. *seqq.*

Hinc Janus movet arma manu, movet inde Quirinus,
Quisque suo de colle Deus, sed enim aspice, quantus
Aegida commoveat nimbos flammasque vomentem
Jupiter, et quantis pascat ferus ignibus iras.

Adhaec Moses *d. cap.* 14. *v.* 19. *seq.* scribit: *Et profectus est Angelus Dei, qui ibat ad facies exercitus Israelis, et ivit a tergo ipsorum: et profecta est columna nubis a faciebus eorum, et stetit a tergo ipsorum. Et venit inter exercitum Aegyptiorum, et inter exercitum Israelis, et fuit nubes et obscuritas, et illuminavit noctem.* Haec postrema verba

Onkelus interpretatur Caldaicè והוה ענגא וקבלא למצראי ולישראל נהר כל ליליא, *et erat nubes et obscuritas Aegyptiis, Israeli autem lux tota nocte:* nimirum, explanatore Clerico, quà Israelitarum castra spectabat, splendida erat, iisque lucebat; at e regione Aegyptiorum erat caliginosa. In sacra Historia legitur: *Et dixit Aegyptius: Fugiam a faciebus Israelis, quia Dominus pugnat pro eis in Aegyptios. cit. loc. v.* 25. unde apparet, *Columnam* in pugnis eodem tempore his addidisse animum, illis injecisse pavorem: in Homero *Iliad.* 17. *v.* 595. *seq.*

τὴν δ' ἐτίναξε,
Νίκην δὲ Τρώεσσι δίδυ, ἐφόβησε δ' Ἀχαιοὺς.

eamque (Aegidem) *concussit* Jupiter,
Et victoriam Trojanis dedit, in fugam verò vertit Achivos.

Superest videndum, quomodo ex forma *columnae* trahi potuerit idea Aegidis. Id facile demonstratu est, si cum Lipsio de *Milit. Rom. Lib.* 3. *Dial.* 2. distinguamus *scutum* a *clypeo*, et discrimen repetamus ab utriusque forma: *clypeorum* forma est rotunda et in orbem justum relata: *scuta* verò in longum exeunt, juxta figuras ibi exhibitas *pag.* 71. Confer et Ortlobum *Conject. de scutis et clypeis Hebr.* §. 10. His breviter notatis, haud absonum videtur, *columnam* habuisse formam *scuti*, nempe κοίλην σωληνοειδῆ, *cavam in modum canalis*, ut eruitur ex Dione Cassio *Lib.* 49. *cap.* 30. et Livius *Lib.* 44. *cap.* 33. scribit, vigiles *scuto prae se erecto stare galeatos: deinde, ubi fessi sint, innisos pilo, capite super marginem scuti posito, sopitos stare* Vides scuti longitudinem juxta militis staturam, excepto capite cum collo. Hinc Ajax dicitur φέρων σάκος ἠΰτε πύργον, *ferens scutum instar turris. Ili ad* 7. *v.* 219. *Iliad.* 17. *v.* 128. et alibi.

V. 37. *Dilatabas gressum meum subtus me*, efficiebas me μακρὰ βιβῶντα, *longis passibus gradientem*. *Iliad.* 3. *v.* 22. De Neptuno accurrente in auxilium Graecis legitur *Iliad.* 13. *v.* 20.

Τρὶς μὲν ὀρέξατ' ἰὼν, τὸ δὲ τέτρατον, ἵκετο τέκμωρ.

Ter extendit se vadens, (tres fecit passus) *et quarto passu pervenit ad finem destinatum*.

et non vacillaverunt tali mei, etiam quum currerem in lubrico loco gradum fallente: id Graeci exprimunt per verbum ὀλισθέω *Iliad.* 23. *v.* 774.

Ἔνθ' Αἴας μὲν ὄλισθε θέων.

Tunc Aiax quidem lapsus est currens.

quod unicum verbum Virgilius *Aeneid.* 5. *v.* 331. *seq.* pluribus circum loquitur:

vestigia presso
Haud tenuit titubata solo.

Idem sensus habetur *Prov.* 4. *v.* 12. *Ia ire te non arctabitur gressus tuus: et si cucurreris, non impinges*.

V. 38. *Persequar inimicos meos*, sic instructus, si quando me insequantur inimici mei, ego conversus insequar eos; innuitur enim hic παλίωξις, *conversa-insectatio*, quando scilicet fugientes et cedentes retro convertuntur, et insequentes se vicissim fugant, et insequuntur: quam insectationem eloquitur Poeta *Iliad.* 15. *v.* 69. *seqq*

Ἐκ τοῦδ' ἄν τοι ἔπειτα παλίωξιν παρὰ νηῶν
Αἰὲν ἐγὼ τεύχοιμι διαμπερὲς, εἰσόκ' Ἀχαιοὶ
Ἴλιον αἰπὺ ἕλοιεν.

Ex hoc tempore *certè vicissim conversam-insectationem a navibus*
Semper ego faciam perpetuò, donec Achivi
Ilium excelsum capiant.

adde et *vers.* 601. *seq.* et *Iliad.* 12. *v.* 71. *seq.*

et assequar eos, accipe ut illud *Iliad.* 16. *v.* 342. *seqq.*
Μηριόνης δ' Ἀκάμαντα, κιχεὶς ποσὶ καρπαλίμοισι,
Νύξ', ἵππων ἐπιβησόμενον, κατὰ δεξιὸν ὦμον·
Ἤριπε δ' ἐξ ὀχέων, κατὰ δ' ὀφθαλμῶν κέχυτ' ἀχλύς.
Meriones autem Acamanta, assequutus pedibus rapidis,
Percussit, currum conscendentem, ad dexterum humerum:
Ceciditque ex curru, et oculis offusa est caligo.

sequitur enim, *et non revertar, usque ad consumere eos*, donec eos in universum confecero: sic Poeta *Iliad.* 8. *v.* 341. *seq.*
Ὡς Ἕκτωρ ὤπαζε καρηκομόωντας Ἀχαιούς,
Αἰὲν ἀποκτείνων τὸν ὀπίστατον· οἱ δ' ἐφέβοντο.
Sic Hector insequebatur comantes Achivos,
Semper occidens postremum: hi verò fugiebant.

V. 39. *Sauciabo eos*, edicit modum, quo eos conficiet, nempe infligendo dirissima vulnera: etenim radix מחץ propriè valet *jactavit, conquassavit, agitavit huc illuc*, peculiariter *urnam in puteo*, ut aqua extraheretur, *profundiùs immersit*, et hinc *dirissimè sauciavit*, quod Graeci exprimunt verbo ἐλάω, *adigo*. Rem ob oculos ponit Homerus *Iliad.* 5. *v.* 56. *seq.* ubi Menelaus
Πρόσθεν ἕθεν φεύγοντα, μετάφρενον οὔτασε δουρί,
Ὤμων μεσσηγύς, διὰ δὲ στήθεσφιν ἔλασσεν.
Ante se fugientem Scamandrium, *in dorso vulneravit hasta,*
Humeros inter, et per pectora trajecit.

et non poterunt stare, erecti in solo, vel in curru, unde phrasis toties repetita, ἤριπε δ' ἐξ ὀχέων, *cecidit ex curru:* redi ad *vers. sup.*

cadent sub pedes meos, calcandi: damno additur dedecus. Confer *Jehos.* 10. *v.* 24. *Malac.* 4. *v.* 3. et notata ad *Ps.* 7. *v.* 6. et ad *Ps.* 110. *v.* 1.

V. 40. *Et cinxisti me zona-fortitudinis ad bellum*, tribuo dictioni חיל duplicem potestatem, *fortitudinis*, quae est ordinaria, et *zonae*, seu *cincturae*, quia ejus radix חול valet etiam *cinxit*, et *servavit*, et sic accipio de *panoplia*, seu tota militari armatura, cui Numen, praeter defensionem corporis, indiderit virtutem ad rem strenuè gerendam. Hujus acceptionis, praeterquamquod eam postulat sequens vox למלחמה *ad bellum*, auctor mihi est Pausanias *Lib.* 9. *cap.* 17. Τὸ δὲ ἐνδῦναι τὰ ὅπλα, ἐκάλεν ἄρα οἱ παλαιοὶ ζώσασθαι· καὶ δὴ Ὅμηρον Ἄρει τὸν Ἀγαμέμνονα ποιήσαντα ἐοικέναι τὴν ζώνην, τῶν ὅπλων τὴν σκευὴν φασιν εἰκάζειν. *Induere arma veteres dicebant* cingere se. *Nam et Homerum, quum Agamemnonem Marti similem zona fecisset*, Iliad. 2. *v.* 479. *de toto armorum ornatu* (seu *apparatu*) *id intelligi voluisse putant*. Pariter ubi dicitur *Iliad.* 11. *v.* 15.

Ἀτρείδης δ᾽ ἐβόησεν, ἰδὲ ζώννυσθαι ἄνωγεν
Ἀργεῖους.

Atrides clamavit, et cingere se jussit
Argivos.

intelligendum est, quòd jusserit, eos *armari in universum*, quemadmodum ibidem fecit ipsemet Agamemnon, jam jam pugnam initurus. Quem locum excripsit Virgilius 9. *Aeneid. v.* 462.

Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse,
Suscitat.

Inducitur autem Dominus cingens panopliâ Davidem, ne, si citra Numinis interventum armaretur, armorum quaedam inter ictus diffringerentur, alia, solutis loris, deciderent in terram, sicut accidit Patroclo *Iliad.* 16. *v.* 802. *seqq.*

Πᾶν δέ οἱ ἐν χείρεσσιν ἄγη δολιχόσκιον ἔγχος,
Βριθὺ, μέγα, στιβαρὸν, κεκορυθμένον· αὐτὰρ ἀπ᾽ ὤμων

'Ασπὶς σὺν τελαμῶνι χαμαὶ πέσε τερμιόεσσα.
Λῦσε δέ οἱ θώρηκα ἄναξ Διὸς υἱὸς 'Απόλλων.
Τὸν δ' ἄτη φρένας εἷλε, λύθεν δ' ὑπὸ φαίδιμα γυῖα.
Στῆ δὲ ταφών.
Tota autem ei in manibus diffracta est longa hasta,
Gravis, magna, valida, aere *armata: et ab humeris*
Scutum cum loro humi decidit talere:
Et solvit ei thoracem rex Jovis filius Apollo:
Et amentia mentem ejus cepit, et soluta sunt pulchra membra.
Stetitque attonitus.

prostravisti stantes contra me subtus me, si Dominus is est, qui prosternit hostes Davidis, quid opus erat, ut ille hunc cingeret armis et fortitudine? Respondetur: bellatores, qui Numinis auxilio rem prosperè gerunt, huic optimo jure acceptam referunt victoriam, quasi ab eo fuerit pugnatum. Hoc argumentum latè tractatur a nobis in *Ps.* 110. *v.* 5. *et* 6. Mens igitur Vatis haec est: Prostravi hostes meos robore, quod membris meis indidisti. Superiùs *vers.* 33. ubi dicitur, *Deus-Fortis cingens me fortitudine*, sermo est de hostibus victis per ἰωκὴν *persequutionem*, sequitur enim, *et dedit perfectam viam meam;* hìc autem sermo est de victoriâ ἐν αὐτοσαδίῃ, *in stataria pugna*, quia sequitur, תכריע קמי *procumbere fecisti, prostravisti*, קמי *stantes contra me subtus me*. Vides hinc, inesse nostro Heroi virtutem Ajacis Telamonii simul et Achillis, de quorum priori verba faciens Poeta, tangit utrumque *Iliad.* 13. *v.* 324. *seq.*

Οὐδ' ἂν 'Αχιλλῆϊ ῥηξήνορι χωρήσειεν,
Ἔν γ' αὐτοσαδίῃ· ποσὶ δ' οὔπως ἐςὶν ἐρίζειν.
Ne ipsi quidem Achilli ordines-virorum-perrumpenti cesserit,

In stataria quidem pugna; pedibus autem nequaquam potest contendere.

V. 41. *Et inimicos meos, dedisti mihi cervicem*, pro *Et dedisti mihi cervicem inimicorum meorum*, qui mecum in stataria pugna congrediebantur, ideoque erant mihi obversi, horum dedisti mihi cervicem, h. e. pavore immisso effecisti, ut mihi terga verterent, et ego in ipso conversionis actu vel hasta transfixi, vel ense cecîdi, idque est, *et odientes me, scidi eos*. Locus parallelus extat *Iliad.* 11. *v.* 447. *seq.* ubi Ulysses interimit Socum:

Τῷ δὲ μεταστρεφθέντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πῆξεν
Ὤμων μεσσηγὺς, διὰ δὲ στήθεσφιν ἔλασσε.
Huic autem converso tergo hastam infixit
Humerorum in medio, perque pectora trajecit.

Sed bellica Dei oeconomia pro suis ex ipsomet est audienda: *Terrorem meum mittam ante te, et liquefaciam omnem populum, quos ingredieris in eos: et dabo omnes inimicos tuos ad te cervicem. Exod.* 23. *v.* 27. Adde *Deut.* 2. *v.* 25. *et cap.* 11. *v.* 25. Quomodo autem terrorem immitterat, discimus ex 1. *Sam.* 7. *v.* 10. *Et fuit Samuel offerens holocaustum, et Philisthaei accesserunt ad praelium contra Israelem: et intonuit Dominus in voce magna in die illa super Philisthaeos et liquefecit eos, et caesi sunt coram Israele.* Similiter *Iliad.* 8. *v.* 133. *seqq.*

Βροντήσας δ' ἄρα δεινὸν, ἀφῆκ' ἀργῆτα κεραυνὸν,
Καδδὲ πρόσθ' ἵππων Διομήδεος ἧκε χαμᾶζε.
Δεινὴ δὲ φλὸξ ὦρτο θεείου καιομένοιο.
Τὼ δ' ἵππω δείσαντε καταπτήτην ὑπ' ὄχεσφιν.
Νέστορα δ' ἐκ χειρῶν φύγεν ἡνία σιγαλόεντα.
Δεῖσε δ' ὅγ' ἐν θυμῷ, κ. τ. λ.

Tonans autem (Jupiter) *graviter, emisit candens fulmen,*
Et ante equos Diomedis dejecit in terram:

Terribilis autem flamma exorta est sulphuris ardentis.
Et equi territi costernabantur sub curribus;
Nestorisque e manibus fugerunt habenae mirabiles.
Timuit autem ille animo etc.

V. 42. *Vociferabuntur*, hostes ex gentilibus, dum fugient, ac caedentur, ישועו *anxia vociferatione clamabunt*, ad idola, sequitur enim, *et non erit salvans*, ac si dicat, sed nullus ex ipsorum Diis salvabit.

ad Dominum, repete *vociferabuntur*, hic verò loquitur de hostibus ex populo Dei.

Satius forsitan est referre utrumque hemistichium ad socios Sauli, sic ut posterius contineat veluti declarationem prioris. Vide infra *vers.* 44.

V. 43. *Et comminuam eos ut pulverem ad facies venti*, ut pulverem, quam ventus dispellit ante se.

ut lutum platearum attenuabo eos, repetitio ejusdem sententiae: lutum platearum, in quibus obambulat magna plebis frequentia, continua calcatione subtilius fit omni alio pulvere, et ideo, ubi exsiccatum est et comminutum, levius est coram vento. Verbum ריק mutuatur hic significationem a radice רקק.

V. 44. *Erues me a contentionibus populi*, populi Israelitici; nam 2. *Sam.* 22. *v.* 44. ubi refertur hic idem Psalmus, est *populi mei:* respicitur autem ad bella civilia temporibus Sauli, et Isbosethi, et imprimis Absalomi.

pones me in caput gentium, nec solùm conciliabis mihi populares meos, sed externarum etiam gentium, ex gr. Edomaeorum, Syrorum etc. me principem facies; idque est, *populus*, quem *non cognovi*, nempe ab Israelitica gente alienus, *servient*

mihi, se mihi sponte sua subjicient, ut dicere pergit.

V. 45. *Ad auditum auris*, audito tantùm nomine meo, *auscultantes se praebebunt mihi*, erunt dicto audientes, parebunt mihi. In comparatione C. Julii Caesaris cum Davide, vilescit illius fastosus titulus trium verborum *VENI, VIDI, VICI*, inter fercula pompae triumphi Pontici. *Sueton. in Caesar. cap.* 37.

filii alienigenae mentientur mihi, quemadmodum legati Gibonitarum fecerunt cum Jehosua *Jehos. cap. IX.* vel simili mendacio, ex. gr. negantes, se insurrexisse in me, et studuisse partibus adversariorum meorum.

V. 46. *Fili alienigenae etc.* bina verba *marcescent* et *prodibunt* in hoc versu figuram constituunt, quae dicitur ἓν διὰ δυοῖν, *unum per duo*, nempe prodibunt marcidi e claustris suis. Sensus est: alii, quibus non succurret meam implorare fidem et clementiam, prae formidine sese occludent in locis obscuris, et foedo paedore obsitis, unde prodibunt *Adrasteo pallore perfusi*, ut ait Ammianus Marcellinus *Lib.* 1. *cap.* 11. ex illo *Aeneid.* 6. *v.* 480. *Adrasti pallentis imago*.

V. 47. *Vivus* (vivat) *Dominus*, post recensionem tantarum victoriarum gratias agit per acclamationem et doxologiam, more hominum cum Regibus, *Vivat Rex*.

et benedicta, laudata sit, *Rupes mea*, vide supra ad *vers.* 3.

et exaltetur, Deus salutis meae, in laudationibus hominum Deus exaltari dicitur, quando ab illis rectè agnoscitur, decenter celebratur, ejus beneficia rite praedicantur, et supra cuncta creata ponitur.

V. 48. *Deus, dans ultiones mihi*, exaltetur, inquam, Deus, qui ad monstrandam justitiam caussae meae dat mihi ultiones in hostes meos. Agamemnon, duellum initurus cum Paride, sic precatur *Iliad*. 3. *v*. 351. *seqq*.

Ζεῦ ἄνα, δὸς τίσασθαι, ὅ με πρότερος κάκ' ἔοργε,
Δῖον Ἀλέξανδρον, καὶ ἐμῆς ὑπὸ χερσὶ δάμασσον

Jupiter Rex, da ulcisci, qui me prior injuria affecit,
Divinum Alexandrum, et meis sub manibus doma.

et duxit (vel *subjecit*) *populos subtus me*, populos vicinos, qui contra me arma moverunt, et illos ex Israelitis, qui a me defecerunt ad partes Sauli, Absalomi etc.

V. 49. *Evadere faciens me*, exaltetur, inquam, Deus, qui me evadere facit, si quando periclitor in insidias et manum hostium incidere. Deinde eloquitur modum evasionis, *prae inimicis meis etiam prae stantibus contra me exaltabis me*, nempe in locum altiorem illo, quem ad nocendum mihi occupaverint adversarii mei, evehes me, ut ibi sim tutus ab illis. אויבים sunt omnes, qui utcumque hostilem animum gerunt. קמים specialiter qui consistunt in acie.

a viro violentiae erues me, generaliter ab omni viro violento, specialiter a Saulo.

V. 50. *Propterea laudabo te in gentibus Domine*, post epilogum beneficiorum *vv*. 48. 49. iterum gratias agit pro eisdem. Dictio גוים significat hìc cùm *Tribus Israeliticas*, tum *alias nationes*, ad quas pervenient mea carmina.

et Nomini tuo psallam, hymnos tibi canam: repetitio ejusdem sententiae.

V. 51. *Magnificans salutes Regis sui*, qui magnificis mirisque modis me constitutum ab eo re-

gem iterum iterumque servavit; et ideo pluraliter ait *salutes*. Haec autem sunt verba *laudationis*, de qua *vers. sup.* 50.

et faciens benignitatem Uncto suo, Davidi et semini ejus, connotatur his verbis constans et perpetua voluntas benefaciendi, quae in laudationibus et gratiarum actionibus commemoranda est unà cum jam acceptis beneficiis.

usque in saeculum, quemadmodum ei dixerat Deus per Nathanem Prophetam. 2. *Sam.* 7. *v.* 16.

PSALMUS XIX.

ARGUMENTUM

Sicut admirabilis Coelorum structura Solisque majestas palam faciunt intuentibus, se esse operam manuum Dei, ita Lex, quia operatur in animabus supra humanum captum, plus quam evidenter ostendit, se habere Deum promulgatorem. Quae comparatio non animadversa ab Interpretibus id effecit, ut in alia omnia abierint a vero Carminis sensu. Vide ad vers. 8.

V. 1. Praefecto, Psalmus Davidis.

2. Coeli enarrant gloriam Dei: et operam manuum ejus annunciat Expansum.

3. Dies diei eructat sermonem: et nox nocti indicat scientiam.

4. Non est sermo et non sunt verba: nequaquam auditur vox eorum.

5. In omnem terram exivit linea eorum, et in extremum orbis verba eorum: Soli posuit tentorium in eis.

6. Et ipse ut procus emicans e septo suo: gaudet ut heros currere viam.

7. Ab extremo Coelorum egressio ejus, et revolutio ejus super extremitates eorum: et nihil est absconditum a calore ejus.

8. Lex Domini perfecta redire faciens animam: testimonium Domini verum, sapientem reddens simplicem.

9. Mandata Domini recta, laetificantia cor: praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

10. Reverentia Domini munda permanens in perpetuum, judicia Domini veritas: justificata sunt pariter.

11. Sanè desiderabilia prae auro et prae obrizo multo: et dulcia prae melle et ebullitione favorum.

12. Insuper servus tuus monitus per ea: In custodiendo illa praemium multum.

13. Errata quis intelligat? Ab occultis munda me.

14. Praeterea A superbiis cohibe servum tuum, ne dominentur in me, tunc torpescam: et insons-habebor a praevaricatione multa.

15. Sint in beneplacitum sermones oris mei et meditatio cordis mei ad facies tuas: Domine, rupes mihi et redemptor mihi.

COMMENTARIUS

V. 2. *Çoeli enarrant gloriam Dei*, h. e. mirabili suo opificio ostendunt et ingerunt Deum auctorem, juxta sequentem declarationem, *et operam manuum ejus annunciat Expansum*, vel *Firmamentum;* et sic quodammodo canunt gloriam Artificis, ut ante Davidem dixerat Jobus, *Quum cantillarent simul, Stellae Aurorae: cap.* 38. *v.* 7. quae scilicet unà cum aurora mundi in esse productae sunt, et emicuerunt.

V. 3. *Dies diei eructat sermonem*, נבע *scaturivit*

cum crepitu bullituque aqua, *copiosè emanavit:* in Hiphil *scaturire fecit, effudit fontis instar:* per metaphoram, *copiosè loquutus est, manifestavit.* Quemadmodum *Sol* exoriens ab Horatio dicitur *alius* a praecedenti, et *idem* cum eo, *Carm. Sec. v.* 10. ita et *dies*, quem Sol exoriens promit, et occidens celat, *alius* est a praecedenti in successione et numero dierum, *idem* cum eo, quatenus semper eadem repetuntur. Dies ita sibi succedentes Poetae accipiunt, quasi sint personificati, sic ut alter alterum doceat modum suae vicis, juxta sententiam P. Syri *n.* 168. *edit.* 1708. *Discipulus est prioris posterior dies*. Loquelam tempori tribuit etiam Jobus in Carmine execratorio, *Pereat dies in quo natus sum: et nox* quae *dixit Conceptus est vir. Cap.* 3. *v.* 3. ubi vide Schultensium, et lege quae sequuntur. Dum verba facit de divino Coelorum opificio, interserit alternationem diei et noctis, quia utrumque tempus pendet a motu Coelorum, dicente Virgilio de die *Aeneid.* 1. *v.* 374.

Ante diem clauso componet Vesper Olympo.

et de nocte *Aeneid.* 2. *v.* 8. *seq.*

et jam nox humida Coelo
Praecipitat, suadentque cadentia sidera somnos.

et nox nocti indicat scientiam, accipe ut supra, et confer *Ps.* 104. *v.* 20. 21. 22. 23. 24. De utriusque, Solis et Noctis, personificatione legitur apud Senecam in *Oedipo Act.* 1. *v.* 5.

Stragemque, quam nox fecit, ostendet dies.

V. 4. *Non est sermo*, qualis egreditur ex ore hominis loquentis, *et non sunt verba*, ut ea, quibus componitur sermo hominum: *nequaquam auditur vox eorum*, quadrat huc illud Demosthenis *Olynt.* 1. *pr.* Ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρὸς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μονονουχὶ λέγει φωνὴν ἀφιείς. *Equidem praesens tempus,*

o viri Athenienses, tantùm non loquitur, vocem emittens. Quo igitur modo, aut sermone, Coeli enarrant gloriam Dei? id edicitur in *vers. seq.*

V. 5. *In omnem terram* יצא *exivit*, vel *emicuit*, *linea eorum*, ubique locorum extenditur quasi linea verborum, quibus Coeli quodammodo testantur, se esse opus Dei: intellige, ut dixi, admirabile eorum opificium et ministerium, quasi luculentissimam scripturam. Haec explicatio vocis קו *linea* confirmatur ex altero membro, *et in extremum orbis verba eorum*, verba, quae lineam efficiunt, legenda se praebent ab uno ad alterum orbis extremum.

Soli, qui et ipse cursu suo lineam ducit, *posuit tentorium in eis*, nempe *regiam*, ut Ovidius appellat 2. *Metam. v.* 1. Deus adeo magnificè struxit Coelos, ut digni essent, in quibus collocaretur regia *Solis*, qui per excellentiam a Pindaro dicitur ἀστὴρ οὐράνιος, *Stella Coelestis*. *Pyth. Od.* 3. *v.* 134. Huc spectant Ciceronis verba in *Somn. Scip. cap.* 4. *Mediam fere regionem Sol obtinet, dux et princeps et moderator luminum reliquorum, mens mundi et temperator*. Omitto alia.

V. 6. *Et ipse*, nempe Sol, cujus nunc describit celeritatem in peragendo cursu.

ut procus emicans e septo suo, Sol in egressu ad peragendum cursum comparatur cum legitimis procis,

Οἵτ' ἀγαθήν τε γυναῖκα καὶ ἀφνειοῖο θύγατρα
Μνηστεύειν ἐθέλωσι, καὶ ἀλλήλοις ἐρίσωσιν.
Qui bonamque mulierem et divitis filiam
Ambire vellent, et inter se certarent,

quis scilicet sit potior per editum virtutis specimen. *Odyss.* 18. *v.* 275. *seq.* Exemplum habemus in Pelope, quum ambiret Hippodamiam Oenomai filiam.

Solebat enim Oenomaus Pisae dominus amatores filiae ad curule certamen provocare, ita quidem, ut curru celerrimo vehendam filiam Myrtillo aurigae committeret, hoc pacto, ut si procus vel anteverteret currum, vel saltem attingeret, optatis hymenaeis potiretur. Interim verò Oenomaus, hastam gerens, procum sequebatur, quem si jam jam currum apprehensurum putaret, hasta trajiciebat. Hanc hastam impediri, et a se averti, Pelops a Neptuno petit apud Pindarum *Olymp. Od.* 1. *v.* 122. *seqq.*

. . . . πέδασον ἔγχος
Οἰνομάου χάλκεον·
Ἐμὲ δ' ἐπὶ ταχυτά-
των πόρευσον ἁρμάτων
Ἐς Ἆλιν, κράτει δὲ πέλασον.

. . . . *impedi hastam*
Oenomai aeream:
Me verò in velocissi-
mis transmitte curribus
Ad Elin, victoriaeque admove.

Alterum exemplum praebet Atalanta, virgo mirâ corporis velocitate praedita, quae quum abhorreret a nuptiis, procis suis cursûs certamen proposuit, in quo victum mortis poena, victorem conjugii sui praemium sequeretur. De hac Ovidius 10. *Metam.* *v.* 564. *seqq.* canit:

Scitanti Deus huic de conjuge, Conjuge, dixit,
Nil opus est, Atalanta, tibi: fuge conjugis usum:
Nec tamen effugies: teque ipsâ viva carebis.
Territa sorte Dei per opacas innuba silvas
Vivit: et instantem turbam violenta procorum
Conditione fugat: Nec sum potiunda, nisi, inquit,
Victa prius cursu: pedibus contendite mecum:
Praemia veloci conjux thalamique dabuntur:

Mors pretium tardis: ea lex certaminis esto.
Neque virtutis specimina pro obtinendis conjugibus ignorabantur inter priscos Judaeos: nam David obtinuit Micalem Sauli filiam pretio centum, immo ducentorum praeputiorum, quae Philisthaeis necatis detraxit. 1. *Sam.* 18. *v.* 25. *seqq.* Nomine חתן significatur cùm is, qui *affinitatem* jam *contraxit*, nempe *gener, sponsus*, tum is, qui *expetit contrahere*, nempe *procus:* siquidem primigenia potestas verbi חתן sita est in *fervido amore ac desiderio affinitatis*. Sic et apud Virgilium proci dicuntur *mariti* in verbis Annae ad Didonem *Aeneid.* 4. *v.* 35.
Esto: aegram nulli quondam flexere mariti,
Non Libyae, non ante Tyro.
Verbum יצא extuli per Latinum *emico*, quia isto Ovidius utitur in certamine Hippomenis et Atalantae *d. Lib.* 10. *Metam. v.* 652. *seqq.*
Signa tubae dederant, quum carcere pronus uterque
Emicat, et summam celeri pede libat arenam.
Posse putes illos sicco freta radere passu,
Et segetis canae stantes percurrere aristas.
nec non Virgilius in decursione ludicra (nobis *torneamento*, vel *giostra*) ab Ovidiana non valde dissimili *Lib.* 5. *v.* 315. *seqq.*
Haec ubi dicta, locum capiunt, signoque repente
Corripiunt spatia audito, limenque relinquunt,
Effusi nimbo similes: simul ultima signant.
Primus abit, longèque ante omnia corpora Nisus
Emicat, et ventis et fulminis ocior alis.

e septo suo, intellige locum, quem in negotio spectaculorum nos Itali dicimus *le mosse*, Ovidius *cit. loc.* caeterique Latini *carcerem*, vel pluraliter *carceres*, Virgilius *cit. loc. limen*, Graeci νύσσαν, *nyssan*, quae vox notat *carcerem* et *metam*, tam in cursu equorum cum curribus, quàm virorum *Iliad.*

23. *v.* 338. 341. 758. *Odyss.* 8. *v.* 120. *seq.* De antiquitate et usu hujus certaminis ultra memoriam hominum vide Homerum *d. Lib.* 23. *v.* 332. Radix חפף cum Chet non punctato valet *cinxit, operuit;* atque hinc interpretatus sum hìc loci nomen חפה per *septum:* cum Chet verò punctato significat *levis, agilis fuit*, quo sensu noster hìc locus commodè redditur *emicans prae agilitate sua:* habenda est ratio utriusque significationis.

gaudet, hoc verbum regitur pronomine והוא *Et ipse*, videlicet *Et ipse gaudet currere viam*, pro, Et ipse laetus currit viam, ut est apud Ovidium de Phaetonte 1. *Metam. v.* 776.

Emicat extemplo laetus post talia matris
Dicta suae Phaeton.

ut heros, inter praecipuas Heroum dotes erat velocitas pedum, ut passim videre est in Iliadis Libris. Vide *Ps. sup. v.* 34.

V. 7. *Ab extremo Coelorum*, ab ultimo oriente, מוצאו *egressio* (vel *emicatio*) *ejus, et revolutio ejus super extremitates eorum*, ad ultimum occidentem, ubi revolvitur rediturus ad orientem: ait secundo loco *super extremitates* in numero multitudinis, contra quàm dixerat primo loco *ab extremo* in numero unitatis, propterea quod ejus discessus ab una et accessus ad alteram extremitatem fit eodem fere temporis momento, sic ut accessus quasi uniatur cum discessu; atque ex ea unione numerus pluralis *extremitates*. Quando Poetae velocitatem cursorum stadii describunt, memorare solent ejus tantùm extremitates, carcerem et metam, omisso prorsus medio, quasi in isto, ob ineffabilem celeritatem pedum, praevertant spectatorum oculos, fugiantque: Sol autem, (loquor ut oculis apparet) intra vigesimam horae partem plusquam

centum myriades conficit miliarium Italicorum. Hanc Poetae imaginem verè divinam revelavit mihi Antipater in Epigrammate in Ariam stadii cursorem *Anthol. Lib.* 1. *cap.* 1. *sub num.* 3.

Ὁ ϛαδιεὺς Ἀρίης ὁ Μενεκλέος οὐ κατελέγχει
    Περσέα σὸν κτίϛην, Ταρσὲ Κίλισσα πόλι.
Τοῖοι γὰρ παιδὸς πτηνοὶ πόδες· οὐδ' ἂν ἐκείνῳ
    Οὐδ' αὐτὸς Περσεὺς νῶτον ἔδειξε θέων.
Ἢ γὰρ ἐφ' ὑσπλήγγων ἢ τέρματος εἶδέ τις ἄκρου
    Ἠΐθεον, μέσσῳ δ' οὔποτ' ἐνὶ ϛαδίῳ.

Stadii cursor Arias Meneclis filius non redarguit
    Persea tuum conditorem, o Tarse Ciliciae urbs.
Tales enim pueri volucres pedes; neque ei
    Vel ipse Perseus tergum monstrasset currens.
Aut enim in carceribus, aut meta vidit aliquis summa
    Juvenem, medio autem numquam in stadio.

In rem praesentem faciunt haec Tullii verba 4. *Academ. Quaest. cap.* 26. *Sed ab hoc credulo, qui numquam sensus mentiri putat, discedamus: qui ne nunc quidem, quum ille Sol, qui tanta incitatione fertur, ut celeritas ejus quanta sit ne cogitari quidem possit, tamen nobis stare videatur.*

et nihil est absconditum a calore ejus, quamvis tanta cum velocitate, quanta vidimus, Sol feratur, omnia tamen virtute sua recreat et reficit, immo vivificat et continet in vita. In hanc rem non omittendus est Plinius *Lib.* 2. *cap.* 6. *Eorum* (siderum) *medius Sol fertur, amplissima magnitudine ac potestate: nec temporum modò terrarumque, sed siderum etiam ipsorum coelique rector. Hunc mundi esse totius animum, ac planius mentem: hunc principale naturae regimen ac numen credere decet, opera ejus aestimantes. Hic lucem rebus ministrat, aufertque tenebras: hic reliqua sidera occultat, illustrat: hic vices temporum, annumque semper re-*

nascentem ex usu naturae temperat: hic coeli tristitiam discutit, atque etiam humani nubila animi serenat: hic suum lumen caeteris quoque sideribus fenerat.

V. 8. *Lex Domini*, doctrina a Deo quovis modo profecta ad homines: en alter terminus comparationis, quae, ut indicavi in Argumento, tractatur in hoc hymno: quam quidem comparationem more suo Vates occultat, omissis particulis *sicut, ita etc.* ut saepissimè Pindarus, de quo adi Erasmum Schmidium ad *Od.* 11. *Olymp. pr.*

perfecta, in suis affectis, ut dicere pergit, משיבת נפש *redire faciens animam*, ad Creatoris cognitionem, et ad officium erga ipsum, vel *recreans animam*, aegram et deficientem, id quod praestare nequit humana institutio. Significatio *amuleti*, quam habet dictio תמימה in Haririo *Cons.* 2. *pag.* 42. *lin.* 2. et in Arabsiada *Tom. II. pag.* 490. *lin.* 9. non est ab hoc loco aliena, quasi dicat, *Lex Domini* est *amuletum redire faciens* ad Deum, seu *avertens* a peccatis, seu *reficiens animam*, ab aegritudinibus.

testimonium Domini verum, et *certum*, quàm verissimè testatur, Dominum esse illius auctorem, utpote *sapientem-reddens simplicem*, videlicet illum, qui antea rudis erat, et in errorum tenebris ambulabat, verâ imbuit sapientiâ.

V. 9. *Mandata Domini*, פקודים propriè sunt naturalia praecepta, ut volunt Ebraei, quae intellectus dictat et praescribit, et quae sunt in potentia animae, et tanquam *depositum* a Deo in corde hominis, ejus observantiae *commissum*.

recta, et *facilia*, quae pariter est significatio verbi ישר, nempe *facilis fuit*; ducunt enim per viam planam rectamque, omni obliquitate carentem.

laetificantia cor, depulsis sollicitudinibus, quibus angitur Legis ignarus, cui conveniunt versus hi Lucretii *Lib.* 3. *v.* 836. *seqq.*

Praeter enim quod tum morbi est, quum corpori aegrè est,
Advenit id, quod eam de rebus saepe futuris
Macerat, inque metu malè habet, curisque fatigat,
Praeteritisque admissa annis peccata remordent.

praeceptum Domini, מצוה est complexus praeceptorum, quae dicuntur *moralia*.

lucidum, ideoque *illuminans oculos* mentis, ut quae facienda sunt in vita, quaeque omittenda, videant.

V. 10. *Reverentia Domini*, cultus divinus, *munda*, praedita est vi mundandi homines, ut vers. sup. *lucidum* valet praeditum vi illuminandi.

permanens in perpetuum, prout dicitur, *Imbue puerum ad os viae ejus*, ad initium et ingressum vitae cum virtute degendae: *etiam quum senuerit*, ad ultimam usque senectam, *non recedet ab ea*. *Prov.* 22. *v.* 6. quo sensu dixit etiam Horatius *Lib.* 1. *Epist.* 2. *v.* 67. *seqq.*

Nunc adbibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.

judicia Domini, jura civilia pro regimine populi sui, *veritas*, unde probatur iste veritatis character? ex eo quod *justificata sunt pariter*, i. e. omnia simul, et singula seorsim; nam istorum usu obtinetur omnimoda salus Reipublicae, nec ullis calamitatibus affligimur coelitus immissis, contra quàm fit, ubi in publicis rebus grassatur libido Magistratuum, ut religiosissimè cecinit Poeta *Iliad.* 16. *v.* 384. *seqq.*

Ὡς δ' ὑπὸ λαίλαπι πᾶσα κελαινὴ βέβριθε χθὼν
Ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ
Ζεὺς, ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ,
Οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, Θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.
Τῶν δέ τε πάντες μὲν ποταμοὶ πλήθουσι ῥέοντες,
Πολλὰς δὲ κλιτῦς τότ' ἀποτμήγουσι χαράδραι,
Ἐς δ' ἅλα πορφυρέην μεγάλα στενάχουσι ῥέουσαι
Ἐξ ὀρέων ἐπὶ κάρ· μινύθει δέ τε ἔργ' ἀνθρώπων.

Ut verò a nimbo procelloso omnis nigra obruta-gravatur terra
Tempore autumnali, quum rapidissimum fundit imbrem
Jupiter, quando jam viris iratus saevit,
Qui vi in foro obliqua seligunt jura,
Et Justitiam expellunt, Deorum vindictam non curantes.
Propter hos omnes fluvii turgent fluentes,
Multaque fastigia (aggeres) *tunc scindunt torrentes,*
Et in mare purpureum valde gemunt fluentes
Ex montibus in praeceps; et corrumpuntur opera hominum.

V. 11. *Sanè desiderabilia,* הנחמדים He praefixum huic voci habet hìc vim affirmativam et asseverativam, *sane, profectò, ecce,* de qua Schroederus *Gramm. Hebr. Reg.* 157. *pag.* 192. *not. f.*

prae auro, de quo Pindarus in *Olymp. Od.* 1. *vr.*

ὁ δὲ
Χρυσὸς, αἰθόμενον πῦρ
Ἅτε διαπρέπει νυ-
κτὶ, μεγάνορος ἔξοχα πλούτου.

et

Aurum, ardens ignis
Velut excellit no-
cte, superbas eminenter inter divitias.

et prae obrizo multo, פז est *aurum depuratum* ab ipsa natura, convenienter radici פזז *abstergere, mundare*, quod idcirco Graeci dicunt ἄπυρον, *ignem* pro purificatione *non expertum:* idem vocabulum retinet Plinius *Lib.* 25. *cap.* 11. *segm.* 38. *fin.* vocans *apyron*. Si verò attenditur vox Graeca *obrizum*, vel *obryzum*, qua reddidimus Ebraicam פז, tum significatur *aurum solidius*, utpote purius ex crebra coctione; nam quantò purius, tantò solidius est, quemadmodum ad illud Thucydidis *Lib.* 2. *cap* 13. *med.* Ἀπέφαινε δ' ἔχον τὸ ἄγαλμα τεσσαράκοντα τάλαντα σαθμὸν χρυσίȣ ἀπέφθȣ. *Demonstrabat autem, simulacrum illud habere quadraginta talenta pondus auri excocti*, notat Scholiastes, πολλάκις ἑψηθέντος, ὥςε γενέσθαι ὄβρυζον, *pluries excocti, donec fieret obryzum*, et ita derivatur a radice פזז *consolidatus est*. Quaecumque verò sit ejus derivatio, illud est indubium, significari hìc aurum, quod Latini dicunt *ad obrussam* (vel *ad obruzam* exactum), de qua Plinius *Lib.* 33. *cap.* 3. *segm.* 19. *Aurique experimentum ignis est, ut simili colore rubeat, ignescatque: id ipsum obrussam vocant.* Adde Suetonium in *Nerone cap.* 44. ibique Pitiscum.

et dulcia prae melle, דבש, praeter *mel apum*, quidam significare credunt etiam *succum dactylorum*, ipsosque *dactylos*, omnemque *fructum dulcem*, ut notat Hottingerus de *Decim. Mosaic. Exercit. III.* §. 9. sed hìc tenendum est *mel apum*, propterea quod sequitur,

et ebullitione favorum, h. e. melle exquisitissimo, quod *florem mellis* vulgò dicimus, sponte ex favis eliquatum, et nativo fervore *ebulliens*, a radice נפת, *cum fervore ebullivit:* quod et a Poeta dicitur καταλειβόμενον in hoc loco *Iliad.* 18. *v.* 108.

"Ος τε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο.
Quaeque multo dulcior melle stillante.
De hoc melle Palladius in *Junio*, seu *Lib. 7. tit. 7.* ita scribit: *Nobilius mel erit, quod ante expressionem secundam velut sponte profluxerit.* Confer Plinium *Lib. 11. cap. 15.*

V. 12. *Insuper servus tuus*, quicumque te colit, reveretur, et servit, *monitus per ea*, admonetur atque docetur per omnia ista praecepta, quae hìc superius memorantur, quòd *in custodiendo* praecepta *illa* est *praemium multum*. Qualitatem et magnitudinem praemii dicit Salomo: *Praemium mansuetudinis*, nempe reverentiae Domini, est *opulentia et gloria et vita. Prov. 22. v. 4.*

V. 13. *Errata*, peccata per errorem et inscienter commissa, *quis intelliget?* i. e. cognoscit, animadvertit: quomodo ergo per Legem illuminantur oculi mentis, ut ista videant, et visa expientur? respondet Vates: ista tolluntur petendo a Domino, *Ab occultis*, supple *commissis, munda me*, vel *absolve me.*

V. 14. *Praeterea*, hoc etiam Lege monemur poscere a Domino, *A superbiis*, nempe a peccatis, quae scienter et volenter protervo animo patrantur, *cohibe servum tuum*, reprime me et quemcumque alium cultorum tuorum, *ne dominentur in me*, ne dictae superbiae, quae hìc finguntur personificatae, sicut alibi dicitur, *ad ostium peccatum cubans, Genes. 4. v. 7.* si liberiùs debacchari detur, me sibi subjiciant tanquam mancipium. Quam in rem Vates inferiùs precatur: *Ne invadat me pes elationis: et manus improborum ne vagari faciat me* a cultu tuo. *Ps. 36. v. 12.*

tunc, quum me diutiùs cohibueris a superbiis, *torpescam*, nec effraenatè atque praecipitanter fe-

rar in illas. Princeps potestas verbi יתם, teste Schultensio in *Clav. Dialect. pag.* 241. *seq.* est *torpuit*, *lentus ac remissus*; dein *orphanus remansit*: ideoque opponitur voci זדים *superbiae*, a radice זיד *efferbuit cum tumore et arrogantia*.

et insons-habebor a praevaricatione multa, vel *multiplici*, quotquot scilicet citra tuam opem superbiis distractus commiserim; vel etiam non commiserim, a te pro tua commiseratione cohibitus: quò faciunt Augustini verba: *Quidquid mali ipso custodiente non committitis, tanquam remissum ab illo deputate. De Virginit. Cap.* 53. *Tom. VI. col.* 268. *edit. Anteverp.* 1700.

V. 15. *Sint in beneplacitum etc.* conclusio praedictae petitionis, qua Legis studiosus Deum rogat, ut cùm verba oris tum meditatio cordis sint ei accepta, tanquam sacrificium, in quo acquiescit. Vox לרצון *in beneplacitum* nectenda est cum altera לפניך *ad facies tuas*, seu *coram te*, nempe *in beneplacitum coram te*.

Domine sis *rupes mihi*, in qua me commorantem non invadant superbiae: *et redemptor mihi*, a poenis, quas merui pro superbiis et praevaricationibus.

PSALMUS XX.

ARGUMENTUM

Imminente bello (verosimiliter ab Ammonitis, de quo 2. Sam. 10. *et* 1. Par. 19.) *David populo praescribit hanc formulam publicè orandi pro ipso, praesertim quum deget in castris.*

V. 1. Praefecto, Psalmus Davidis.

2. Exaudiat te Dominus in die angustiae: exaltet te nomen Dei Jaakobi.

3. Mittat auxilium tuum e Sanctitate: et e Tzione, fulciat te.

4. Olfaciat omnia munera tua: et holocaustum tuum incinefaciat. Sèlah.

5. Det tibi secundum cor tuum: et omne consilium tuum expleat.

6. Ovemus in salute tua, et in nomine Dei nostri vexillemus: impleat Dominus omnes petitiones tuas.

7. Nunc scivi, quòd servavit Dominus Unctum suum, exaudiet eum e Coelis sanctitatis suae: in fortitudinibus salutis dexterae suae.

8. Hi in curru et illi in aequis: nos autem in nomine Domini Dei nostri commemorabimus.

9. Illi incurvati sunt et ceciderunt: nos autem stetimus, et numeratos nos stitimus.

10. Domine serva: Regem, exaudiat nos in die invocare nos.

COMMENTARIUS

V. 2. *Exaudiat te Dominus in die angustiae*, quum gravi aliquo pressus periculo ad eum clamaveris.

exaltet, te ex angustia et periculo extrahat, et evehat in locum peraltum et inaccessum, ubi tutus sis: sic Venus legitur eripuisse Paridem e manibus Menelai *Iliad.* 3. *v.* 380. *seqq.* et filium Aeneam e manibus Diomedis *Iliad.* 5. *v.* 318. et hinc rursus Apollo e manibus ejusdem *cit. loc. v.* 445. *seq.*

nomen Dei Jaakobi, h. e. Deus Jaakobi, ut alibi plus una vice.

V. 3. *Mittat auxilium tuum*, quidquid tibi fesso necessarium fuerit, et quidem affluenter, *e Sanctitate*, scilicet e Tzione, ut statim subjungit, *et e Tzione fulciat te;* ibi enim erant veluti cellae rei frumentariae, et commeatuum, nec non cupediarum omnium, quibus David et milites refocillarentur. Confer notata ad *Ps.* 110. *v.* 7. et adi *Genes.* 18. *v.* 5. *Jud.* 19. *v.* 8. 1. *Reg.* 13. *v.* 7. *Ps.* 104. *v.* 15. quibus in locis nostrum verbum סעד significat *refectionem per cibum et potum:* quam significationem, figuratè acceptam, non puto hinc alienam, quia antea dicit, *Mittat auxilium tuum*.

V. 4. *Olfaciat*, in signum gratae acceptionis, *munera tua*, quae nos pro te in administratione belli occupato offerimus. Si verò reddere placet, *Memor sit munerum*, quae est magis usitata potestas verbi זכר, tum orantes indicant omnia sacrificia a Davide antè oblata, praesertim ea, quae obtule-

rat, quum sese pararet ad expeditionem. Confer 1. *Sam.* 13. *v.* 12.

et holocaustum tuum, a nobis pro te oblatum, ידשנה *incinefaciat*, igne coelitus immisso, in signum complacentiae, ut 1. *Par.* 21. *v.* 26. et 2. *Par.* 7. *v.* 1. vel, juxta propriorem significatum, *pinguefaciat*, quò ociùs igni devoretur; idque pariter in signum complacentiae. Hoc autem non ideo dicunt, quasi offerrent exile holocaustum, sed hoc optant esse reipsa, quale convenit, ob allatam rationem celerioris combustionis. Confirmat id *He* paragogium, quod auctore Altingio *Gramm. Ebr. pag.* 334. in futuris verborum, citra primam personam utriusque numeri, auget significationem, nempe *incineret celerrimè*. Est autem *He* cum Segòl pro Kamètz. Eadem radix in *Lexico Goliano col.* 828. et in *Giggejano Tom. II. col.* 82. in quinta conjugatione significat *accepit*: quae significatio fecit luculentiorem parallelismum cum altero verbo *olfaciat*.

V. 5. *Det tibi secundum cor tuum*, desideria cordis tui: *et omne consilium tuum*, de tuenda augendaque republica, *expleat*, perficiat. Ulysses ad Nausicaam *Odyss.* 6. *v.* 180.

Σοὶ δὲ Θεοὶ τόσα δοῖεν, ὅσα φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς.
Tibi Dii tanta dent, quanta mente tua desideras.

V. 6. *Ovemus in salute tua*, id fiat, ut laetemur et exultemus ob salutem tuam, quòd scilicet incolumis a bello remeaveris; vel etiam ob salutem, quam per te victorem Dominus largiturus sit universo populo Israelitico.

et in nomine Dei nostri vexillemus, id pariter fiat, ut nosmet invicem, erecto quasi vexillo, invitemus ad ovandum inter laudes Domini, et gratiarum actiones pro parta victoria. Super hac explanatione et potestate verbi דגל adi sis Buxtorfium in

Lex. Chald. et Talmud. col. 501. Locus Talmudicus, prout is ibi allegat, extat in *Lex. Arùch sub d. radice* דגל.

impleat Dominus omnes petitiones tuas, quidquid inter precandum petieris, efficiat.

V. 7. *Nunc scivi, quòd servavit Dominus Unctum suum,* modò Vates introducit unum ex orantibus subitò annunciantem quasi divino afflatu salutem Ducis, et victoriam de hostibus.

exaudiet eum e Coelis sanctitatis suae, unàque exaudiet nos orantes pro eo.

in fortitudinibus salutis dexterae suae, haec nectenda sunt cum verbo *servavit*. Victores tribuere solent victoriam auxilio Dei, quasi hic rem gesserit manu sua.

V. 8. *Hi in curru* (collectivè, pro *in curribus*) *et illi in equis*, supple ex altero hemistichio *commemorent ;* vult dicere, jactent in mutuis sermonibus multitudinem curruum et equorum suorum. Quamvis ista generaliter dicantur de omnibus gentibus, specialiter tamen hìc applicari possunt Ammonitis, legitur enim, *et interfecit David ex Aramaeis* (mercede conductis ab Ammonitis 2. *Sam.* 10. *v.* 6.) *septingentos currus, et quadraginta millia equitum etc. cit. loc. v.* 18.

nos autem in nomine Domini Dei nostri commemorabimus, in colloquiis inter nos gloriabimur de praesidio veri Numinis. Vide loca Biblica a Muisio allata, et quae notantur *vers. seq.* Redi ad *Ps.* 9. *v.* 3.

V. 9. *Illi incurvati sunt et ceciderunt*, non valuerunt stare in pugna adversus nos. Agamemnon quum in eo esset, ut manus consereret cum Trojanis, sic Jovem precatur *Iliad.* 2. *v.* 416. *seqq.*

Ἑκτόρεον δὲ χιτῶνα περὶ στήθεσσι δαΐξαι

Χαλκῷ ῥωγαλέον · πολέες δ' ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι
Πρηνέες ἐν κονίῃσιν ὀδὰξ λαζοίατο γαῖαν.
Hectoream tunicam circa pectus scindere
Ferro ruptam: multique circa ipsum socii
Proni in pulvere mordicus prehendant terram.

nos autem stetimus, erecti in praelio, nec terga dedimus: confer 2. *Sam.* 10. *v.* 18.

et numeratos nos stitimus, post conflictum, quum recenseremus copias, nullus nostrum desideratus est: continuantur verba annunciantis caeterorumque orantium nomine pugnatorum. Verbum ונתעודד magis poeticè redditur, *et numeravimus nos*, eo scilicet modo, quo Agamemnon in concione alloquitur Achivos *Iliad.* 2. *v.* 123. *seqq.*

Εἴπερ γάρ κ' ἐθέλοιμεν Ἀχαιοί τε Τρῶές τε
Ὅρκια πιςὰ ταμόντες ἀριθμηθήμεναι ἄμφω,
Τρῶας μὲν λέξασθαι ἐφέςιοι ὅσσοι ἔασσιν,
Ἡμεῖς δ' ἐς δεκάδας διακοσμηθεῖμεν Ἀχαιοὶ,
Τρώων δ' ἄνδρα ἕκαςον ἑλοίμεθα οἰνοχοεύειν,
Πολλαί κεν δεκάδες δευοίατο οἰνοχόοιο.
Τόσσον ἐγώ φημι πλέας ἔμμεναι υἷας Ἀχαιῶν
Τρώων, αἳ ναίυσι κατὰ πτόλιν.
Si enim velimus Achivique Trojanique
Foedera fidelia ferientes numerari utrique,
Ita ut Trojani recenseantur quoquot lararii sunt,
Nos autem in decurias disponamur Achivi,
Trojanorum autem virum singulum accipiamus pincernam,
Multae decuriae indigerent pocillatore.
Tantum ego ajo plures esse pueros Achivorum
Trojanis, qui habitant in urbe.

Qua distributione in recensendis militibus duorum exercituum usus est etiam Darius apud Justinum *Lib.* 11. *cap.* 13. *Ante praelium utraque acies* (Macedonum et Persarum) *hostibus spectaculo fuit.*

23

Macedones multitudinem hominum, corporum magnitudinem, armorumque pulchritudinem mirabantur: Persae a tam paucis victa suorum tot millia stupebant. Sed nec duces circumire suos cessabant. Darius vix denis armatis singulos hostes, si divisio fieret, evenire dicebat. At verò non utrobique eadem est ratio gloriationis, sed prorsus contraria: in Homero et Justino ratio jactantiae ducitur ex multitudine copiarum unius exercitus contra paucitatem alterius; in nostro autem loco ex perexiguo militum numero contra innumerabiles, quia rem pro Judaeis gerit Dominus, ut in bello Gidonis cum Midjanitis. *Jud. 7. per tot.* Redi ad *vers. sup.*

10. *Domine serva*, nempe *Regem*, quem enunciat in altero hemistichio. Chorus claudit carmen, orans pro salute Regis etiam in posterum, nec non pro incolumitate totius populi, inquiens, *exaudiat nos in die invocare nos*. Simili fere modo Horatius precatur Fortunam *Lib. 1. Od. 35. v. 29. seqq.*

Serves iturum Caesarem in ultimos
Orbis Britannos, et juvenum recens
Examen, Eois timendum
Partibus Oceanoque rubro.

INDEX VOCUM EBRAICARUM

INDEX

RERUM ET VERBORUM

A

B

C

R

S

T

V

Pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
71.	27.	ἄριον. . . .	αὔριον
72.	11.	rogent . . .	rogant
87.	24.	*diriges* . . .	*dirige*
90.	5.	dimittendos .	demittendos
107.	18.	quonia mquem	quoniam quem
114.	28.	*al.* 6. *num.* 2.	*num.* 6.
119.	8.	*v.* 5. . . .	*v.* 1.
126.	8.	δωρήσσατο . .	θωρήσσετο
128.	25.	ὦς	ὦς
152.	3.	Ἶλυ. . . .	Ἶλυ
ibi	4.	Ὤχετο . . .	Ὤιχετο
155.	6.	*fecit?* . . .	*fecit*
158.	34.	αἰδρίη . . .	ἀϊδρίῃ
173.	12.	*consuevit?* . .	*consuevit.*
193.	20.	θεμισοπόλυς. .	θ μιςοπόλυς
207.	28.	אל-חנא . . .	אל-חנא
225.	2.	Ἦ	Ἡ
233.	4.	*inveniens* . .	*invenies*
265.	24.	*accipies* . .	*accipias*
277.	35.	*semper.* . .	*semper*
283.	13.	נחנם	נחנם
298.	2.	contra . . .	supra
326.	14.	circum loquitur	circumloquitur
333.	19.	*contra* . . .	*supra*
347.	16.	*intelliget* . .	*intelligat*